Roymau

Digitized by Google

ONALE
VITT. EMANUELE
S
C
3
MA

Digitized by Google

8. 32. C. 13

~~C. 61. 6.~~

C. 11. f

Digitized by Google

Digitized by Google

TRIAS
FORTIVM DAVID.

I. *ROBERTVS DE ARBRISSELLO, Fundator Fontebraldenſis.*

II. *S. BERNARDVS, Apis Gallica, Claræuallenſium Pater.*

III. *Homo Dei CÆSAR DE BVS, autor Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ.*

SACRA DICTIO TRIPLEX,

R. P. THEOPHILI RAYNAVDI, ex Societate IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LVGDVNI,
Ex Typographia IACOBI CANIER, in vico Mercuriali.

M. DC. LVII.

Cum Priuilegio & Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

TRINITATEM Patriarcharum pridem dedi: Alteram nunc profero Triadem quam item Patriarcharum poſſim dicere. Nam tametſi qui ſecundo loco in iſta Triade ſtatuitur S. Bernardus, Claræuallis duntaxat pater ac fundator fuit, non autem Ciſtercienſis Ordinis vniuerſi, in quem ipſe iam conſtitutum, allectus eſt à Stephano Abbate; Tamē fuit ea eiuſdem Ordinis ante S. Bernardum tenuitas, tótque & tantæ ad illud inſtitutum per S. Bernardum factæ ſunt acceſſiones, vt tametſi nomine tenus non appelletur Fundator, præſtiterit tamen Ordini, quod autores Ordinum ſolent, atque adeo pro Ciſtercienſium Patriarcha poſſit haud iniuria haberi. Idque eſt, quod Gregorius IX. decernens S. Dominico Canoniſmum, tonſas albas & nigras Ordini Prædicatorum præuias diſcriminans; vt Nigrarum ductorem S. Benedictum, ita TONSARVM ALBARVM ARIETEM id eſt GREGIS CISTERCIENSIVM Ducem, vocat S. Bernardum; cui item Patriarchæ nuncupatio ac decus, ratione aliorum quorundam Ordinum, opera eius conſtitutorum (vt infra monſtrabo,) haud iniuria tribuatur. Eſto igitur hæc quoque Trinitas Patriarcharum; quam quia Beatus hic ternarius, manum ſuam miſit ad

fortia, TRIADEM FORTIVM DAVID, denominare placuit.

AGMEN in hac Triade ducit, ROBERTVS DE ARBRVSCELLO, & quia temporis ordine prægreditur, & quia primarium fuit conſilij mei argumentum. Nam çœteros per occaſionem duntaxat dedi : Robertum ex inſtituto educendum ſuſcepi. Aio *educendum* ; ſiquidem poſt Andream Roberti ſocium, qui extrema eius attigit veriùs quàm deſcripſit ; & Baldricum vtrique ſupparem, certè non admodùm ætate abiunctum, etiam ſi multi (vt annotabo,) obiter, & in tranſcurſu, nonnulla de Roberto tradiderunt, ſanè illuſtria & lectu ac imitatu digniſſima; tamen qui Latinè, ſummi in Eccleſia viri res ſtylo expreſſas dederit, qua par fuit accuratione, inuentus eſt nemo. Latinè dixi, quia vernaculo idiomate R. P. HONORATVS NICQVETVS, in Ordinis Fontebraldenſis Hiſtoria, de Roberto eius Cœtus autore, plenè diſſeruit; & ita quidem, vt nullas in eo probati ſcriptoris prærogatiuas, quis deſideret; non diligentiam in colligendis ac notandis omnibus; non iudicium in cenſendo ac pronunciando de ſingulis; non fidem in referendis ſyncerè & ad veritatem: Etiam mundus ſuus orationi non defuit, grauis tamen & maſculus, qui illud argumentum, & autoris maturitatem deceret : alioqui nullo modo ſonat diſertè, quod dicitur ineptè, iudice contra Petiliani inſulſita

ſitares Auguſtino.* Sed (vt præmiſi,) ſcriptio vndecunque benè materiata & conformata, quia vernaculè exarata, Galliæ finibus concluſa hæſit; & Roberti nomen ac decora in externas oras minimè propagauit: vt proinde vir planè ſummus, & pridem digniſſimus qui ſuper candelabrum poſitus, orbi vniuerſo illuceret, ſorte magnis plerïſque hominibus non noua, hactenus extra Galliam propè ignotus latuerit. Itaque pertæſus tenebrarum harum, & indigniſſimæ obſcuritatis res Roberti orbe reliquo ferè prementis, ſtatui vnionem pretioſiſſimum è ſuo veluti oſtreo educere, & conſpiciendum vniuerſæ Eccleſiæ proponere. Qua ipſa ſimilitudine adhibita, Os aureum, * ac Theodoretus, † multorum ſanctorum ingloriam diu ſortem, denique emicare, non ſine diuini ea in parte conſilij, admiratione expreſſerunt.

* *Lib. 2. in Petil. c. 32.*

* *Hom. 7 in ad Coloſ.*

† *Orat. 9. de prouid.*

ACCESSIT ſtimulus admotus à Magna Heroina, Illuſtriſſima D. IOANNA BAPTISTA BORBONIA, Fontebraldenſi Antiſtita, & totius Ordinis capite, cuius humana decora vndecunque ſumma, virtutum omnium Chriſtianarum ſplendor mirificè inoculat; ita vt in tanta gradus ſublimitate, per Religioſæ vitæ compoſitionem, Iphigenias, Radegundas, Hartongathas Edelburgas, Elfedas, Valburgas, Mathildas, Edithas, Aldegondas, Irminas, Oſmannas, & alias FILIAS REGVM in Honore ſponſi Regis vitam ſanctiſſimè exigentes

Digitized by Google

æuo noſtro repræſentet. Moderatione autem diligenti & ſanctè ſollicita, quâ pro fouenda & promouenda religioſa diſciplina, quâ pro tutãdis & conſeruandis aduerſùs Harpyas ni caueatur, vndecunque irruituras Ordinis iuribus deſiderari ætate noſtra non ſinat, ſanctas Antiſtitas, Ebbam, Publiam, Opportunam, Burgundoforam, Salebergam, Adelindem, Banſuidam, Valbergam & quotquot inter Aſcetrias, laude rectionis nauiter ac materne obitæ claruerunt. Abſiſto pluribus, ne modeſtiam virtutum eius pupillam, laudatione tametſi impari & lõgè infra iuſtum data, fatigem. Hæc igitur Illuſtriſſima Heroina, operam qualemcunq; à me contribui, in Roberti, Ordinis cui ipſa præeſt, autoris & informatoris exornationem popoſcit; & elaboratum Commentarium, qua valet ingenij vi & bonarum literarum peritia à ſe diſcuſſum, prodire voluit, gloriæ (vt ſpem concepit) magni ſerui Dei Roberti, Fontebraldenſium autoris, commodaturum.

NEXVI Roberto, S. Bernardum tempore æqualem, tametſi ortu paulo iuniorem; vtrumque Chriſtiana fortitudine aggrediente, inſigniter illuſtrem: quod de Roberto, proſtratio tot hoſtium Dei, facit teſtatiſſimum. Nec minùs liquet de Bernardo, quem propterea expreſſi imagine Apis argumentoſæ, id eſt pugnacis atque belligeræ. Tertium addidi, qui Triadem fortium Chriſti, in tribus for-

rium

Digitized by Google

ctum Dauid principibus præ delineatam expleret; hominem Dei, Cæſarem de Bus, patientiæ ætate noſtra miraculum, atque adeò fortitudine ſuſtinētè laudatiſſimum. Tantoperè illuſtris ternarij ornamenta, ſi ingenij culpa detriuero, non ad argumenti ieiunitatem, quod eſt reuera feraciſſimum, ſed ad gracilem auenam, me non inuito referrор.

HVgo Guillelmus Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. Ludouico XIII. 14. Febr. 1611. & Ludouico XIIII. nunc Regnante 23. Decembris 1650. conceſſum; quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione Imprimant: Permittit Iacobo Canier, Typographo Lugdunenſi, vt librum cui inſcriptio eſt, *Trias Fortium Dauid*, Robertus, Bernardus, & Cæſar, Authore P. Theophilo Raynaudo, Theologo Societate Iesv, ad annos ſexè Imprimere & liberè diuendere poſſit. Datum Auenione 7. Februarij. 1657.

HVGO GVILLELMVS.

Præclara

Approbationes & Facultates.

PRæclara geſta Trium Fortium Dauid, præcellenti ſtylo à R. P. Theophilo Raynaudo Societate IESV, conſcripta, à quolibet inoffenſo pede legi poſſunt, quippè quæ nihil quod orthodoxæ fidei, bonisvè moribus contrarietur, habeant, imo incentiuis ad piè & ſanctè viuendum ſunt referta. Ideò cenſeo valdè proficua futura ſi typis mandentur. Actum Lugduni die. 15. Iunij 1657.

Fr. STEPH. Molin, Carmelita Doctor Pariſienſis.

FR. Philibertus Petrot Ordinis Minorum, ſacræ Facultatis Pariſienſis in Theologia Doctor, legi librum cui titulus eſt Robertus de Arbriſſello à R. P. Theophilo Raynaudo Societatis IESV conſcriptum, in quo nihil quod ſit contrarium fidei & bonis moribus reperi. In quorum fidem ſubſcripſi, die 15. Iunij Lugduni. 1657.

Fr. PHILIBERTVS PETROT Minor.

VIſa Doctorum approbatione, huius libri cui titulus eſt Robertus de Arbriſſello &c. editioni libenter annuimus. Lugduni die 15. Iunij 1657.

DENEVF-VILLE, Vic. General.

LE Procureur du Roy qui à veu l'approbation des Docteurs & celle du Sieur Vicaire General, n'empeſche que le Liure intitulè, Robertus de Arbriſſello prædicator Apoſtolicus, præcepta & Conſilia Euangeliſans in ſapientia & virtute multa, ſoit imprimé par Iacques Canier, Maiſtre Imprimeur de cette Ville, auec defenſes à tous autres en tel cas requiſes & accouſtumées. Faict a Lyon ce 15. Iuin 1657.

VIDAVD.

SOit fait ſuiuant les Concluſions du Procureur du Roy, ce 15. Iuin 1657.

SEVE.

Digitized by Google

ROBERTVS
DE ARBRISSELLO,

Prædicator Apoſtolicus, Præcepta, & Conſilia Euangelizans, in ſapientia & virtute multa.

Digitized by Google

SVMMA TRACTATIONIS CAPITA.

PROPOSITVM.

Sedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. 2. Reg. 23.

I. *Tractatur ad literam locus ex 1. Reg. 23.*

II. Idem locus allegoricè aptatur Roberto Arbriſſellenſi, inter tres Chriſti fortes, ſuæ ætate, Principi.

III. Nexus ſapientiæ & fortitudinis in Roberto.

IV. Ex Roberto, & duobus ſociis, ternarius fortium Chriſti.

V. Bernardus de Tirone, vnus fortium Roberti Sociorum quantus.

VI. Obiter de Vitali à Moritonio, tertio fortium Chriſti.

VII. Robertus inter tres veri Dauidis fortes, Princeps.

VIII. Idem Predicator Apoſtolicus, quia à Papa prædicationi addictus.

IX. *Imo potiùs, quia inſtructu Apoſtolorum ſimili, ad prædicandum venit. Quis ille inſtructus.*

X. *Prior, inſtructus Apoſtolici pars, ſcientia in Roberto, cuiuſmodi.*

XI. *Sanctitas Roberti, inſtructus Apoſtolici pars altera.*

XII. *Characteres Apoſtolici Prædicatoris in Roberto; conſequenter ad inſtructum præmiſſum.*

XIII. *Cur dictus* Predicator poteſtatiuus.

XIV. *Robertus, quaſi alter Paulus.*

XV. *Baptiſtæ prædicantis, nonnulla ſimilitudo in Roberto.*

XVI. *Exerramenta Prædicatorum non Apoſtolicorum, procul à Roberto.*

XVII. *Robertus ferarum arundinis, beſtiarius; & beſtiarum calami manſuetarius.*

XVIII. *Feræ arundinis à Roberto domitæ, Hæretici: ac primùm Roſcelinus Tritheita.*

XIX. *Deinde Sacerdotes Concubini pertinaces in ſcelere, & dicentes malum, bonum.*

XX. *Præterea inceſtuoſi, graduum cognationis, contra iuſſa Eccleſiæ quaſi iniuſta, contemptores.*

XXI. *Tandem Simoniaci, ad ſacrilegium, addentes hæreſim.*

XXII. *An Robertus, aliquando Simoniacus.*

XXIII. *Beſtiæ calami à Roberto ſubactæ, potentes ſeculi; & imprimis, Gulielmus Aquitanus.*

XXIV. *Item Comes Carnotenſis.*

XXV. *An etiam Ebraldus?*

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. *Et Graſſatnes, à quibus ipſe interceptus.*

XXVII. *Juo Epiſcopus, & Bernardus Abbas bonæ vallis, à Roberto manſuefacti.*

XXVIII. *Apiaria per Robertum, multiplicia.*

XXIX. *Regulares, & Fontebraldenſes.*

XXX. *Roberti cura præcipua erga mulieres ad meliora conuerſas. Hæ, quales.*

XXXI. *Error de Tiſſerando, primo monaſteriorum ad emerſas excipiendas, autore.*

XXXII. *Decora Fontebraldenſium. Diſcuſſum an incluſæ, primæ omnium.*

XXXIII. *Silentium apud Fontebraldenſes admirabile.*

XXXIV. *Inibi, ver virtutum aliarum.*

XXXV. *Paupertas inſignis Fontebraldenſium.*

XXXVI. *Caſtitas earundem Angelica.*

XXXVII. *Euerſio Beatricis, an Fontebraldenſiũ labes.*

XXXVIII. *Fontebraldenſium obedientia ſuperexcellens ex virorum ſubiectione ad mulierem.*

XXXIX. *Robertum, eam ſubiectionem inuexiſſe, non eſt ambigendum.*

XL. *Ad quæ protendatur ea ſubiectio.*

XLI. *Quantam dignitatem obedientiæ conciliet ea virorum ad mulierem ſubiectio.*

XLII. *In eadem ſubiectione humilitas ſumma.*

XLIII. *Pietas ſpecialis in ea ſubiectione, ex mente Roberti, Ioannem Deiparæ obſequentem, recolentis.*

XLIV. *Ioannis ſpecialiter colendi fundamenta ex Patribus.*

XLV. *Summum Ioannis decus, ex eo quòd ſit Deiparæ attributus in filium.*

XLVI. *In Ioanne, omnes fideles, attributi Deiparæ in filios.*

XLXII. *Qualis ſit in Ioanne filiatio, abſurdæ ſententiæ.*

XLVIII. *Vera ſententia; & indidem ſumma Ioannis dignitas; eiúſque piè æmulandi incentiuum Roberto viros fœminæ, ſubiicienti.*

XLIX. *Improbata ab Epiſcopo Pictauienſi, ea ſubiectio.*

L. *Itémque ab Abailardo.*

LI. *Improbatus Abailardus, Antiſtitas Monialium reijciens.*

LII. *Item reprobans communem vtrique ſexui regulam.*

LIII. *Ac deniquè improbans quod fœmina viris præſit, vt à Roberto eſt inſtitutum.*

LIV. *Illud inſtitutum, tametſi tunc nouum, non idcircò improbandum fuit.*

LV. *Ternarius Apiariorum* Roberti, *concluditur. Quaternarius ablegatur.*

LVI. *Moles curarum* Roberti, *ex Monialium rectione.*

LVII. *Synopſis rerum* Roberti, *& quanta ei inde apud homines gloria.*

LVIII. *Quanta indidem, (quod longè paius eſt)* Roberti *apud Deum gloria.*

LIX. *Omnes Beatorum aureolæ,* Roberto *vendicatæ.*

LV. *Fontebraldenſibus gratulatio, & parænesis.*

PROPO

PROPOSITVM.

Sedens in cathedra, ſapientiſsimus Princeps, inter tres, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. 2. Reg.29.

HOc de principe inter tres Dauidis fortiſſimos, in ſacra Regum hiſtoria pronunciatum, allegoricè ad virum inter Chriſti Duces ſua ætate primarium, aptare conſilium ineo. Is eſt ***Robertus*** cognomento ***Arbruſcellenſis***, ſapientia & fortitudine in cauſa Dei, celeberrimus; & ſua ætate inter veri Dauidis Chriſti Domini, fortes primarios, facilè Princeps. Quod tamen allegorici ſenſus inædificatio, tum demùm rectè fiat, cum ritè conſtitutus fuerit cortex literæ, ab eius explanatione eſt auſpicandum.

1 *Tractatur ad literam locus ex 1. Reg.23.*

De ipſo Dauide, locum propoſitum accipiunt, Hieronymus, Rupertus, Rabanus, aliique nonnulli ſed non omnes incedunt eodem greſſu. Sunt qui tres eximias Dauidis virtutes, ſapientiam, humilitatem, fortitudinem, exprimi eo loco cenſeant; ad quas virtutes nemo militum Dauidis, quamtumuis egregius, ex æquo cum Dauide pertigerit. Id enim eſſe ait Hieronymus, quod de Abiſai & Banaia ſubiicitur; ***ad tres primos***, hoc eſt ad tres Dauidis virtutes in Principe ſummas, ***neuter*** eorum ***peruenit.***

Digitized by Google

uenit. Sapientiam porrò Dauidis, Lyranus ſingulariter hîc commendari obſeruat, non modò cum conceptis verbis *Sapientiſſimus ſedens in cathedra* appellatur; Sed etiam cum denominatur *tenerrimus ligni vermiculus*. Ea quippè ſimilitudine, delicatum quiddam & tenerum, ſimúlque acutum inſinuatur, ad emolliendas & leniter veluti pertundendas ſcripturæ diuinæ difficultates accommodatum. Videndus in eam rem Iacobus Pinto. *a*

a Lib. de Chriſto Crucif. tit. 2. loco 4. n. 3.

At non pauci, antiqui iuxta ac recentiores, non de Dauide, ſed de vno aliquo inſigni eius milite, locum propoſitum accipiunt; notantes, illius quidem militis nomen, hîc non exprimi in actu ſignato, ſicut exprimitur 2. Paral. 11. Deſcribi tamen ex ſapientia & fortitudine, atque humillimi animi moderatione: qui ſunt eximij illius aſſeclæ Dauidis, luculenti characteres. Sic habent Ioſephus, *a* Strabus, *b* Hugo, *c* Richelius, *d* Vatablus, *e* Clarius, *f* Sancius, *g* atque Pineda. *h* Fauet Hebræus contextus, in quo, *Dauid* in loco de quo agimus, eſt caſus datiui, vt monſtrat nota præfixa, *le Dauid*. Latina item editio correcta, adhibet diſpunctionem, commate appoſito poſt vocem *Dauid*: ita vt ſenſus ſit, proponi nomina fortium Dauidis, non autem celebrari ipſum Dauidem. Sic enim habet lectio emendata. *Hæc nomina fortium Dauid*. Ibi ſiſtit oratio. Tum ſubditur de primo fortium Dauidis. *Sedens in cathedra, ſapientiſſimus, Princeps inter tres: Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno*. Et poſt hunc primum inter tres fortes Dauidis, continenter ſubditur ſecundus, *Eleazar*, Et tertius *Semma*; qui 2. Paral. 11. in ſimili recenſione trium fortium Dauidis, non ſignatur ex nomine; ſicut hoc loco Regiæ hiſtoriæ, primus fortium, non eſt ſuo nomine expreſſus; eo autem c. 11. exprimitur ex nomine. Sic enim ibi legitur. *Hi Principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum, vt Rex fieret ſuper omnem Iſrael, iuxta verbum Domini quod locutus eſt ad Iſrael. Et iſte numerus robuſtorum Dauid.*

a L. 7. antiq. c. 12. *b. c. d. e. f. g. h. Ad hunc locum.* L. 3. de Salom. c. 27. n. 10.

Digitized by Google

uid. Ieſbaam filius Hacamoni, Princeps inter triginta. Ipſe leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos, vna vice. Et poſt eum Eleazar. Igitur voces Hebrææ quas Hieronymus 2. Reg. 23. reddidit *Sedens in cathedra ſapientiſſimus,* iuxta 70. & textum Hebraicum, ſunt, *Ieſbaam filius Hacamoni:* quæ voces, Latinè continent notionem expreſſam verbis illis, *ſedens in cathedra ſapientiſſimus.* Idque eſſe in ſcriptura frequens, vt Latina editio pro nomine proprio exhibeat eius ſignificationem, rectè notauit Gaſpar Sancius. a Sic 1. Paral.4. *ſecurus & incendens*, ponuntur pro *Iochim & Chozeba.* Et in ſacro Epithalamio, pro *Veelſemoth*, ponitur *ea quæ habet populos, notione poſita pro voce.* Et *Thomas* dicitur *Didymus*, quæ eſt notio vocis illius Hebraicæ. Simon item *Chananæus*, appellatur *Zelotes.* Sic igitur pro *Ieſbaam filius Hacamoni*, poſitum eſt, *ſedens in cathedra ſapientiſſimus.* Pari modo, ſignificatio nominis proprij, pro ipſo nomine adhibita eſt, cum *Ieſbaam*, vocatus eſt *tenerrimus ligni vermiculus*: Hebræa ſunt. *Ipſe Adino Ezenita*, quem Serarius benè aduertit, eſſe corticem Hebrææ vocis adhibitum 2.Paral.11. Sed per ſuam interpretationem expreſſum 2.Reg.23. cum dictum eſt, *quaſi tenerrimus ligni vermiculus.* Qua obſeruatione propoſita, euaneſcunt multa, à variis inædificata extimo cortici verborum illorum Latinorum. Hîc Ieſbaam, inter omnes fortes Dauidis tricenario comprehenſos, & variis ternariis pro geſtorum præcellentia diſtinctos, in primo, atque adeò præcipuo ternario primus; in variis præliis, nunc octingentos (vt habetur 2.Reg.23.)nunc trecentos hoſtes, (vt dicitur 2.Paral.11. vno impetu confecit atque proſtrauit. (Quid mirum, cum Sanſon diuinitùs roboratus, in aſini mandibula, vno impetu mille viros peremerit?) Proindéque Ieſbaam ab inſigni fortitudine, quam nullus fortium Dauidis exæquauerit, celebratur. Fuiſſe item inſigni ſapientia, præſertim in re bellica, & rebus gerendis, forſitan & reliquo inſtructu literario illius

a In c. 6. cant.n.8.

temporis, præfertur denominatione *ſeden:is in cathedra,* atque *ſapientiſſimi.*

2. *Idem locus allegoricè aptatur Roberto Arbriſſellenſi inter tres Chriſti fortes ſua ætate Principi.*

Nexum hunc ſapientiæ & fortitudinis in primo trium primariorum fortium Dauidis à ſcriptura expreſſum, iuuat recognoſcere in viro, ſua ætate, inter tres fortiſſimos Chriſti Duces, ſapientiſſimo. Is eſt ***Robertus de Arbriſcello, Armoricus***, cuius ſocij duo, inter Chriſti eo æuo ſtrategos, religioſis ipſi quoque expeditionibus clari, ***Vitalis de Moritonio***, & ***Bernardus***, ***Tironis*** poſtea Abbas; ambo verè fortes Chriſti; ſed ad primum, hoc eſt ad Robertum quem dixi, non peruenerunt, vt ex dicendis, perſpici liquidò poterit. Hunc Robertum, (quandoquidem nihil ad ſanctos attinens eſt vacuum luce laudis, iuxta Ambroſium, *a*) natione Armoricum, dixi, è pago *Arbriſſello*. Prouinciam ***Armoricam***, Otho Friſingenſis *b* vocat ***terram ingeniis illuſtribus abundantem, quæ ad ſcientias capeſſendas ſint facta.*** Inde ſanè præter cœteros ab ingenij præcellentia commendatos, oriundus fuit Fauſtus, poſtea Rhegienſis Epiſcopus. Indidem prodiit Petrus Abelardus, & ipſe monſtrum ingenij; tametſi eum iudicij ſoliditas; & vtrumque fortaſſis, fidei ſinceritas & infermentatio defecit: De Abelardo ſiquidem, res eſt extra controuerſiæ aleam. De Fauſto, ſub iudice lis eſt, & procliuius eſt quod cauſa cadat, ſi ſummo iure cum eo agatur. Vterque tamen, ingenij acumine valuit plurimùm. Ciuis itaque eorum fuit Robertus; nam aberrant toto cœlo, qui eum Campaniæ Gallicæ tentant adſcribere, Trecis oriundum ſtatuentes. At Baldricus Archiepiſcopus Dolenſis, Roberti æqualis, ex ſchediis Fontebraldenſibus, natales Roberti deſcribentibus, omnem dubitandi cauſam amputat, dicens. [Fuit Beatus Robertus de quo loqui diſpoſuimus (aduerte, prænomen ***Beati***, iam tunc à tanto Antiſtite, ex communi haud dubiè vſu, Roberto delatum;) Chriſtianæ profeſſionis cohœres, & filius, Britanniæ minoris alumnus; quam prouinciam decorauit;

a Lib. 1. de Virg.

b Lib. 1. de geſtis feder. Imp. c. 47.

nit; Sacerdos ex pago Rhedonenſi oriundus; villæ quæ vulgo *Arbriſſellum* nuncupatur, indigena & colonus. Pater autem ipſius, *Damaliochus*, mater verò *Orguendis* nominabatur.] Non potuit Baldricus, accuratiùs ſignare Roberti natales, & patriam. Patrem (vt hoc obiter addam,) cum Robertum ſuſcepit, fuiſſe *ſeniculum*, hoc eſt ætatis iam nonnihil deuexæ; matrem autem *pauperculam mulierem*, dixit ipſe Robertus, referente Andrea eius diſcipulo, extrema Roberti deſcribente. Nec minùs portendere videtur ea ex annoſo Patre procreatio, inſigne aliquando ſobolis meritum, quàm portenderit S. Rochi ſuſceptio de matre propè anu; & S. Staniſlai Cracouienſis ortus, poſt annum triceſimum coniugij parentum; vel S. Modeſti Hieroſolimitani, poſt annum quadrageſimum quintum. Alios inſignes ſanctitate viros ex parentibus annoſis ſatos, exhibet Philippus Berlaymont. *a* Et multos ipſe quoque annotaui, in opere de pietate ſpeciali. *b* Notat verò Rupertus ad illud Matthæi 1. *Chriſti autem generatio ſic erat*, ſic ſerò editos, ad magnum quendam & admirabilem vſum à Deo deſtinari: Id quod exempla Iſaaci, Samuëlis, Baptiſtæ, ac ſimilium confirmant.

a In parad. puero. p. 1. c. 2.
b Poſt pũctum 12.

A prædictis ergo parentibus, editus eſt Robertus, Arbriſſelli vrbis Rhedonenſis villa ſiue pago. Deflexa, aut luxata voce, aliqui inde denominant, *de Arbriſſello*; alij *de Arbriſſellis*, nonnulli, *de Arbrincello*, aliqui *de Arbeiſel*, quidam *de Arbuſculo*. Anonymus Andegauis latens, vocat *de Arbrexelo*, alij *de Bruxello*, non nemo *de Arborecello*. Probarunt diligentiam in ea varietate annotanda, Andreas Quercetanus, *a* & Ioannes Baptiſta Sauchetus. *b* Sed vera cognominatio eſt ea quam Baldricus adhibuit, firmátque hodierna appellatio. Nam pagus ille ſeu villa Rhedonenſis, hodiè *Arbriſſel*, dicitur. Indidémque refelluntur, non modò qui Robertum fecere Trecenſem, id eſt in pago affinis denominationis *Arbreſex*, ad Trecas Campa-

a Ad Petrũ Cluniacẽſem lib. 2. epiſt. 17.
b Ad vitã Bernardi Tironi. c. 11.

c Ad annũ 1117. n. 11. d Eodem anno. e Lib. 11. tract. 6. diſp. 5.

niæ editum; Sed etiam qui *Pariſienſem* dixerunt, vt Baronius, c Gordonius, d & Haëphtenus: e exerratione apud hos duos, orta ex Baronio, in quem vitio librarij, irrepſit vnius vocis lacuna. Cum enim in Baronij autographo eſſet, *Robertus de Abruſſello, Theologus Pariſienſis*, incogitans, aut præceps librarius, eiúſque mendo inhærens Typographus, dixit; *Robertus de Abruſſello Pariſienſis*. Et adhuc mendoſiùs apud Haëphtenum, (credo oſcitantis Librarij, aut Typographi noxa;) legitur, *Robertum Bleſælium Pariſienſem*, fundaſſe cœnobium Fontebraldenſe anno 1117. Tot menda, quot verba. Nam Robertus, nec *Bleſælius*, dictus eſt, nec ortu fuit Pariſienſis, nec cœnobium Fontebraldenſe fundauit anno 1117. (quo anno Septuagenarius obiit, Februarij 24.) Sed fundauit multo

a Ad c. 42.

anteriùs, hoc eſt vt habet Baptiſta Sauchet a ad vitam Bernardi Tironenſis, anno Chriſti 1106. vel vt ex Chro-

b Ad l. 4. Goffrid. epiſt. 32.

nico Turonenſi notat Sirmondus b anno M. C. Quanquam chronicon id non dicit; Sed tantùm ſignato anno celebrati Concilij Pictauienſis M. C. addit, non multùm poſt, ædificatum eſſe monaſterium Fontebraldenſe: quæ nota temporis, benè cohæret cum ea quam alius ſignabat; cum capedo ſexennij, non ſit tanta. Probabilem tamen facit notam à Sirmundo propoſitam, quod Paſchalis 2. in diplomate dato Laterani, anno 1105. teſtatur ſe à Petro Pictauienſi Epiſcopo accepiſſe, [Robertum Presbyterum, magnæ religionis virum, inter cœtera religionis ſtudia quibus indeſinenter inſiſtit, non paruam ſanctimonialium concionem, ad diuinum ſeruitium congregaſſe, in loco qui dicitur, *fons Ebraldus*.] Et Paſchalis anno 1105. de iam conſtituto cœnobio Fontebraldi meminit. Sed de his ferè parergis, plus ſatis. Ad ea quæ potiora ſunt, accingamur.

3. *Nexus ſapientiæ ac fortitudinis in Roberto.*

De viro Dei Roberto, varia ad omnem laudem ſumma, liceret proferre, quæ & laudatus proximè Baldricus literis prodidit, & alij ſcriptores non ignobiles annotarunt

Digitized by Google

runt. Mihi tamen maximè ſapit, ea vna quam tetigi ſapientiæ & fortitudinis iugatio; cum qua nexa eſt teneritudo vermiculi ligno affixi, humilitatis animi teſſera. Humilis quippè animi eſt, & ſuam ſapientiam à Deo fuiſſe indultam agnoſcere, & fortitudinem ſuam ad Deum cuſtodire: id eſt vt Auguſtinus *a* interpretatur, de ſe non præſumere, nec ſuperbire: Sed humili de ſe ſenſu, Deum originem totius quod in anima pulchrum eſt; (Sapientiæ inquam & virtutis,) profiteri. Itaque illa duo iugata in Roberto conſiderans, eius humilitatem eo ipſo teſtatam dabo. Illa porrò iugatione declaranda, Robertum exhibebo ſpecie ſphyngis ſacri, apud Ægyptios inter ſacra vſurpati; vt Autores ſunt, Plutarchus, *b* Clemens Alexandrinus, *c* atque Syneſius. *d* Ponebant enim in ſacris, Sphynga; ſiue quia omnis de diuinis rebus oratio, eſt ænigmatica; ſiue ad inſinuandum, in Rectore populorum neceſſarium nexum timoris & amoris; hunc hominis, illum feræ in ſphynge adunatis ſymbolis, inſinuantes. Siue etiam quod ad præſens inſtitutum potiùs facit, & à Syneſio concinnè (vt omnia,) expreſſum eſt, ſapientiam practicam; (prudentiam inquam,) cum fortitudine iungendam admonentes: & qui idoneus apud mortales numinis miniſter futurus ſit, eum nec à ſapientia ſolùm, nec tantùm à fortitudine; Sed ab vtraque illa dote, rectè conſtitutum eſſe oportere. Sicut Chriſtus, in domo Dei ſummus œcononomus, iuxta Paulum à coniugio fortitudinis & ſapientiæ collaudatur apud Siracidem *a* dicentem de Chriſto. *Poſuit Dauid puero ſuo excitare Regem ex ipſo fortiſſimum & in throno honoris ſedentem in ſempiternum; qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum, qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum.* Quibus verbis, ſummam Chriſti fortitudinem ſimul ac ſapientiam celebrari, in tanto confeſſionis noſtræ Apoſtolo requiſitam, optimi interpretes agnoſcunt. Videſis Cornelium. *b* Talem omninò fuiſſe Robertum, inter tres veri Dauidis

a In pſal. 58. Conc. 2.

b Lib. de Iſidor.

c Lib. 5. Strom.

d Orat. de regno.

a Cap. 24.

b Ibid. 11. 34. & 35.

fortes ea tempeſtate primarios, facilè Principem, monſtratum venio.

4\. *Ex Roberto & duobus ſociis ternarius fortiũ Chriſti.*

Tres primos dico, ipſum Robertum, & Vitalem de Moritonio, (corruptè apud Gaufridum Groſſum *c* legitur *Mauritonio*,) atque Bernardum, Tironis Abbatem Acceſſit poſtea ad hanc Triadem Radulfus de Fuſteia, agente Petro de Stellis, celebri per id tempus Eremita, belli ſacri poſtea tubicine ſub Vrbano II. de quo Tyrius *d* Potuit quippè beatam illam Triadem, facere ſuis alloquiis Tetradem, homo Gallus, & ortu Ambianenſis, non Hiſpanus; vt malè cum Helmoldo Genebrardus ad annum Chriſti 1088. Hunc tamen quartum, meritò hic dimittemus, quia tametſi fuit vir magnus, & fundator ipſe quoque, multarum & magnarum congregationum, vt loquitur Gaufridus Groſſus in Bernardi Tironenſis actis; tamen tres veri Dauidis fortes quos propoſui, Robertus, Bernardus, atque Vitalis, principio abſque Radulpho coaluerunt, & inuicem ſibi manus ſocietatis ſacræ dederunt. Deinde Radulfus, inopia ſcriptorum ferè latet; certè longè parciùs micat quàm cæteri, nacti ſcriptores accuratos: vt Robertus Baldricum, & Andream; Bernardus Guidonem Groſſum, Vitalis Oldericum Vitalem, & alios quoſdam.

c Cap. 11.
d L. 1. belli ſacri c. 11. & 12.

Siſtam ergo in beato illo ternario, de quo præclarè Gaufridus Groſſus, deſcribens acta Bernardi Tironenſis. *a* [Bernardus (inquit,) Domino Roberto de Abreſſello, atque Vitali de Mauritauia coniunctus, Gallicanas regiones nudis pedibus peragrabant; in Villis, Caſtellis, atque vrbibus, verbum Dei prædicabant, homines ab erroribus vitæ ſuæ eruentes, quaſi validi ac robuſtiſſimi arietes, diuinæ potentiæ viribus adiuti muros infidelitatis atque vitiorum impellentes: configebant, corda hominum, ab amore caducarum rerum euellebant; mala eorum colloquia bonos mores corrumpentia deſtruebant; malorum operum nequitias diſperdebant, totius iniquitatis coadultam

a Cap. 24.

dultam congeriem diſſipabant; virtutes (Dei amore) ſordibus eorum inferentes plantabant,& plantatas exemplo corroborantes ædificabant: Et quamuis mortuorum cadauerum reſuſcitatores non eſſent, quod maius eſt faciebant;id eſt animas in peccatis mortuas viuificabant, & viuificatas, Deo veræ vitæ coniungebant.] Componatur hoc beati illius ternarij elogium, cum eo quod eidem pangit, Gulielmus [a] Neubrigenſis in Anglicana æui ſui hiſtoria, vbi ſcribit in hunc modum. [In tranſmarinis partibus, (ſcribebat enim Gulielmus in Anglia, cui Gallia eſt tranſmarina;) ſicut à maioribus accepi, tres memorabiles fuere vno tempore viri: Scilicet Robertus cognominatus *de Arbuſculo*, Bernardus,& Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi, & Spiritu feruentes, circuibant per caſtella & vicos, ſeminantéſque ſecundùm Iſaiam, ſuper omnes aquas, de conuerſione multorum fructus vberes colligebant; piè inter ſe placito conſtituto, quod Robertus, quidem, fœminarum communi labore ad meliora conuerſarum, ſollicitudinem gereret: Bernardus verò & Vitalis,maribus propenſiùs prouiderent. Robertus itaque famoſiſſimum illud monaſterium fœminarum, de fonte Ebraldi, conſtruxit; & regularibus diſciplinis reformauit. Bernardus verò apud Tirocinum,& Vitalis apud Sauiniacum, Monachis regulariter inſtitutis, ſuos quiſque ab aliis per quaſdam præceptorũ proprietates diſtinxit.] Quod Robertus, directioni mulierum addictus,ex trium ſociorum conuentis dicitur, non eſt ita accipiendum, quaſi mares quoque non direxerit. Id enim falſum eſſet, cum & Canonicos regulares & monachos rexerit, atque peculiaribus inſtitutis formauerit; & prædicando, diu ad promiſcuam turbam egerit. Quemadmodùm ergo Bernardus & Vitalis,tametſi fœminis in Domino iuuandis nauabant operam, cum ſe dabat opportunitas; tamen propenſiùs, (vt dixit Neubrigenſis,) iuuandis maribus ſe impendebant: Ita Robertus, vtrique ſexui opera ſua commodare

[a] Lib. 1. c. 15.

Digitized by Google

commodare ſategit; tametſi paulò plus operæ quàm duo alij, ad iuuandum & informandum ſequiorem ſexum impendit.

5. *Bernardus de Tirone, vnus fortiũ, Roberti ſociorũ quantus.* Hæc communiter de tribus fortibus veri Dauidis Chriſti, ea ætate præliatis prælia Domini, Neubrigenſis; qui emendandus eſt circa Bernardum, ſedem eius vocans *Tirocinum* cum debuiſſet dicere *Tironum*. Id enim nomen eſt Abbatiæ quam primus rexit Bernardus, éſtque ædificata ad riuulum cui nomen *Tirono*, in villa cui nomen *Gatzeca*, ex conceſſione Iuonis Carnotenſis, & Canonirum ad quorum ius pertinebat is locus. Peius verò impegit circa hunc Bernardum, Vuillelmus Malmesburienſis, *a* confundens illum cum S. Bernardo Claraualleuſi, qui tametſi ſynchronus huius Bernardi, tamen Ciſterc ienſis erat, non Benedictinus, qualis fuit Bernardus Tironenſis; præ Claraualleuſi parciùs micans. Inſignem in eo paupertatis amorem, quem ſuis inſtillabat Monachis, adeò in ſanctæ expoliationis caducorum omnium ſtudio flagrantibus, vt defectum annonæ ad victum neceſſariæ, nec niſi quaſi miraculo à Deo interdum ſuppeditatæ, ferrent æquanimiter: Veſtitu autem adeò craſſo & vili, (tametſi monaſtico,) vterentur, vt eos incolæ primùm habuerint pro Saracenis, per ſubterraneas cauernas ad terram explorandam progreſſis, vt narrat Gaufridus Groſſus. *b* Adeò verò benedixit Deus Bernardi ſtudiis, vt Monachi ſub eius ductu, intra triennium ad quingentos excreſcerent, virtutibus ac meritis, quàm caducis opibus clariores. Sed de Bernardo, hoc loco non plura, quod Groſſum nactus ſit, haud quaquam Groſſum & craſſum, ſed accuratum & non inelegantem ſcriptorem, apud quem de eo multa & præclara ſit reperire, ſi quis hominem pleniùs aueat cognoſcere.

a Lib. 1. de Reg. Anglorum in Henrico I.

b Cap. 36.

6. *Obiter de Vitali à Moritonio, tertio fortiũ Chriſti.* Vitalem, ex beata propoſitorum Chriſti fortium Triade vnum, aberrant qui Roberti Germanum fratrem faciunt. Vitalis enim Moritonienſis, in Neuſtria editus eſt;

Robertus

Digitized by Google

Robertus verò in Britannia minore. Itaque non fuerunt fratres ſecundùm carnem & ſanguinem; tametſi in Chriſto, ac ſecundùm ſpiritum, ſupra germanos fratres fuere coniunctiſſimi, ac ſtudiis & charitate inuicem nexi. Egregium tametſi longiuſculum Olderici Vitalis, [a] de hoc Vitali teſtimonium, iuuat adſcribere, quod ſpiritum ac genium huius hominis Dei, ſpiritui ac genio Roberti planè geminum, cum nexu ſapientiæ & fortitudinis, optimè aperiat: Sic habet. [Venerandus Vitalis, qui quondam fuerat Roberti Comitis Moritoſij (aut *Moritonij ?*) Capellanus,& apud Moritonium S.Ebrulfi Canonicus, ſæcularium curarū ac diuitiarum depoſitis oneribus leue iugum Chriſti,per Apoſtolorum veſtigia ferre decreuit; & in deſertis locis aliquandiu cum Religioſis quibuſdam habitauit. Vbi mollioris vitæ priſtinas conſuetudines edomuit, & rigidioris obſeruantiæ cultus edidicit. Denique Sauineium vicum, vbi antiquorū, ingentes ædificiorum ruinæ apparent,conſiderauit, ſedémque ſibi, ſuíſque ad habitandum elegit, & in contiguo ſaltu, monaſterium in honore ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis condere cœpit. Ritus Cluniacenſium, vel aliorum qui Monachalibus obſeruantiis iamdudum mancipati fuerant, imitatus non eſt, ſed modernas inſtitutiones Neophytorum, prout ſibi placuit, amplexatus eſt. Hic eruditione literarum, erat apprimè imbutus, fortitudine ac facundia præditus,& ad proferendum quicquid volebat, animoſus; non parcens in populari ſermone infimis, non potentibus, quaſi tuba exaltabat vocem ſuam, iuxta Iſaiæ vaticinium; annuncians populo Chriſtiano ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Reges igitur Ducéſque reuerebantur illum. Plures turbæ manicabant, vt audirent verba eius; quæ poſtmodùm auditis ab illo, latenter olim actis facinoribus, lugubres & confuſæ redibant à facie ipſius. Omnis ordo intrinſecùs pungebatur eius veridicis allegationibus. Omnis plebs contremiſcebat

[a] Lib. 8. Hiſtor. Eccleſ. *Sub finem.*

coram illo ad correptiones eius; & vterque ſexus rubore affectus, verecundabatur ad improperia illius: Nuda quippè vitia manifeſtè premebat & occultorum conſcios probroſis redargutionibus ſtimulabat. Sic nimirum ſuperbos athletas; & indomitos vulgi cœtus, plerumque comprimebat, atque locupletes heras, ſeruis veſtibus, & Canuſinis pellibus delicatè indutas, trepidare cogebat, dum verbi Dei gladio in ſcelera ſæuiret, & ſpurcitiis pollutas conſcientias feriret, grandiſonóque diuinæ animaduerſionis tonitruo terreret. Solers itaque ſeminiuerbius, multis profuit, multos ſecum aggregauit. In cœnobio quod conſtruxerat, per annos ſeptem Deo militauit, & vſque ad bonum finem bonæ vitæ permanſit. In oratorio poſt aliquantam ægritudinem in qua fideliter confeſſus fuerat, & ſacræ communionis viaticum deuotè perceperat, ad matutinos de S. Virgine Maria, lectori poſcenti benedictionem dedit, & à cunctis qui aderant, dicto *Amen*, mox ſpiritum exhalauit.) Hactenus Oldericus.

XII. *Robertus inter tres veri Dauidis fortes, princeps.*

Delibaui hæc pauca de Vitale atque Bernardo, vt ex ſanctitate & ſimili ſpiritu ſociorum, Roberti (qui hic mihi ſcriptionis ſcopus eſt,) ſanctitas & ſpiritus innoteſceret. Et verò ſocij collucent radiis ſociorum, iuxta prouerbium quod Tullius [a] appellat *vetus* pares cum paribus facillimè congregantur. Et illud Pſaltis a Dydimo atque Euthymio ad hanc rem detortum, de Dei more prout hominis facta tulerint, inuertentis ſeſe; *Cum ſancto ſanctus eris, & cum electo electus eris, cum innocente innocens eris*. Sicut è contrario, *Cum peruerſo peruerteris*. Socij ſanè ſibi inuicem vitia illinunt, quemadmodùm ſcabioſæ oues ſibi inuicem affricant pruriginem: & è contrario accidit circa virtutes. Itaque neceſſitudine ac ſocietate horum trium hominum Dei, verè fortium Chriſti, verè ſapientium, quiſque ſocius profectus ſuos ac quæſtus augebat, & ad promouendam Dei gloriam (ſicut ſancta quatuor animalia, interprete B. Gregorio [a] percutiebant alas ſuas,) exemplo,

[a] In Catone maiore.

[a] Serm. 10. in Ezech.

Digitized by Google

exemplo ſocij excitabatur. Et præter fluxa (vt ſic dicam,) ſpecimina fortitudinis ſimul ac ſapientiæ eorum, quæ inter ſpargendum Dei verbum tranſeunter ediderunt, in emollitione multorum corde durorum ad pietatem; iucundum eſt aduertere, quantam ſtabilium ſedium multitudinem beata hæc Trias, intra non adeò multos annos ſtatuerit Deo, & ſanctis legibus egregiè informarit. Vltra quadraginta ſupra centum, recenſet capitatim Baptiſta Souchetus *b* ad Bernardi Tironis Acta. Quod ſi mulier prudens, ex vnicæ domus compoſitione, dicitur à ſapiente *mulier fortis*, quam inuentum iri, propè deſperabat, quomodò hi tres habendi non ſunt verè ſapientes ac inſtructi prudentia iuſtorum, verè fortes ac naui in tot tantarúmq; ſacrarum ædium & ſtructura & inſtitutione? Sed dimiſſis quæ ſunt Roberto cum adeò ſelectis ſociis communia, quæ eius ſunt propria perſequamur; nexum fortitudinis ac ſapientiæ in geſtis eius palmaribus expendentes. Ea mihi occurrunt præſertim tria. 1. Verbi Dei tractatio Apoſtolica. 2. Subactio, ſiue debellatio, aut cicuratio ferarum arundinis, & beſtiarum calami. 3. Religioſi inſtituti multiplicis, noua & pietatis ſimul ac ſapientiæ, per inſignem animi fortitudinem, in tam implexo, tamquè arduo negotio perneceſſariam, ad exitum perducta conſtitutio. Penes bina priora facinora, Robertus Euangelicarum legum præco; penès tertium, Tuba conſiliorum Chriſti, habendus fuit. His expenſis, nec ſegniter libratis, in ſpem venio, manifeſtum fore, iure Robertum, Principem inter tres fortes extitiſſe. Auguror præterea, cœleſte hoc margaritum, apud pleroſque (præſertim exteros,) vili hactenus oſtreo abditum, (iuxta præclaram Theodoreti de multorum ſanctorum ingloria hîc conditione philoſophiam,) debitam æſtimationem eius dignitati commenſam aſſecuturum, haud exiguo prouentu gloriæ Dei; qui honeſtauit eum in laboribus, & compleuit labores illius.

b In c. 42.

8\. *Idem prædicator Apoſtolicus, quia à Papa prædicationi addictus.*

a In pſal. 92.

b Tract. de Eccleſ. poteſt. c. 10.

c In Pſal. 106.

Apoſtolicus verbi Dei prædicator audire in primis poſſet Robertus, ob eius Pontificiam delegationem ad concionandum; qualis facta eſt iis, per quos Innocentio I. teſte, innotuit Euangelium in omnibus propè nunc Chriſtianis oris. Cuiuſmodi fuere, Auguſtinus Dorouernenſis, Mellitus, Bonifacius, Patricius, Eobanus, Xauerius. Reuera enim ſicut Chriſtus, ex Auguſtino *a* denominatus eſt *caput fluminum*, quia ab eo flumina quæ locuta ſunt, & eleuauerunt voces ſuas, hauſerunt ſacræ doctrinæ latices quos per orbem profuderunt: Ita Romanus Pontifex, quem ſiue à Vicariatu Chriſti confeſſionis noſtræ Apoſtoli, vt voluit Alexander à S. Elpidio, *b* ſiue potiùs ab Apoſtolorum Principis ſucceſſione, *Apoſtolicum* nominamus; exitus aquarum in ſitim mortalium reſtinguendam, variis omninò regionibus curauit, tanto generis humani commodo, vt quod ad ea Pſaltis verba Arnobius *c* notauit, *qui inde potatus non fuerit, ſiti pereat.* Poſſet igitur Robertus, ea communi, & ad extimum verborum corticem primùm obuia ratione, denominari *Prædicator Apoſtolicus*; quippè ab *Apoſtolico*, id eſt à ſummo Pontifice, ad prædicandum Dei verbum adhibitus: Audi Baldricum. [Contigit in illis diebus, (vtique anno 1095.) vt Romanus Pontifex Vrbanus ſecundus, vrgente temporis neceſſitate, in Gallias deuenerit, & ad Andegauos declinauerit. Audiuit de Roberto. Non enim abſcondi debebat tanta lucerna ſub modio. Accerſiri eum mandauit, eiúſque colloquium deſideranter cupiuit. Celebrare ibi habuit ſolemnem cuiuſdam Eccleſiæ dedicationem, ad quam confluxiſſe putares totam orbis amplitudinem. In tanto conuentu, Robertum loqui præcipit; Et non inſolitis mandat ſermonibus vti. Locutus eſt ergo luculenter ad populum, cuius verba valdè Domino Papæ complacuerunt. Intellexit etenim quod Spiritus ſanctus os eius aperuerit. Imperat denique & iniungit ei, prædicationis officium. Et aliquantulum reni-

tenti

Digitized by Google

tenti ei, talis obedientiæ commendat miniſterium. Secundum à ſe eum ſtatuit, Dei ſeminiuerbium: vtque vbique diſcurrat, adhortatur ad huiuſmodi ſtudium. Hinc ex tunc, ſummi Pontificis legationi curioſiùs cœpit inſiſtere, & finitimorum Epiſcopatuum regiones perambulare.

Quid illud, *ſecundum à ſe, eum ſtatuit ſeminiuerbium?* Eſt ſanè Romanus Pontifex *prædicator primus Eccleſiæ* vt habetur ex S.Gregorio. *a* In quem ſenſum accipio, quod Cyrillus Hieroſolimitanus, *b* eum denominat *præconem Eccleſiæ ſupremum.* Quod tametſi iure præcipuo, & incommunicabili, valet de præconio & promulgatione credendorum, iuxta Alexandrum III. in epiſtola ad Vpſalenſem Epiſcopum, eiúſque coëpiſcopos; tamen valet quoque, de ſimplici expoſitione verbi Dei, agendo ad populum, omninò decente Romanum Pontificem, vt rectè diſſerit Innocentius III. inſcribens ſuas conciones Arnulfo Abbati. De huiuſmodi ergo ſeminatione verbi Dei, accipiendus eſt Baldricus, cum ait, Robertum à Pontifice ſummo, ſtatutum eſſe *ſecundum à ſe ſeminiuerbium.* Nimirum Vrbanus ipſe Pontifex, concionabatur frequenter; vt liquet ex variis eius concionibus habitis in Concilio Claromontano, quarum vnam exhibet Tyrius, *c* aliam Vuillelmus Malmesburienſis. *d* Tertiam ex ſchediis Vaticanis repræſentat Baronius ad Chriſti annum 1095. vt vel hinc liqueat, quàm inficetè eorum temporum vicinus, Nicephorus Calliſtus, *a* inficiatus ſit, Romanos Pontifices, Verbi Dei prædicationi ſe impendiſſe; eo addito ad mendacium auctario, quod nullus item alius, Romæ verbum Dei tractaret ad populum. Quæ numerari poſſunt inter ſtribiligines Nicephori, ob quas Gennadio, *b* aut cuicumque alteri operis quinque capitum autori, ludibrium debuit. Nec mirum eſt, hominem ſchiſmaticum, vel etiam hæreticum, de Romano Pontifice, & Romana Eccleſia, adeò abſona chartis illiuiſſe.

a Lib. 13. moral. c. 8.
b Catech. 11.
c Lib. 1. c. 15.
d Lib. 4. c. 2.
a Lib. 12. c. 34.
b Ad c. 2. Synodi Flor. ſect. 7.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

uiſſe. Erat igitur Vrbanus Papa concionator; nec qualiſcumque, ſed potentiſſimus; vſque adeò vt ſuis concionibus, habitis pro expeditione in terram ſanctam, Occidentem propè totum vacuerit. Sanè infinitum propè numerum mortalium, illis Vrbani concionibus inflammatum, nomina dediſſe ad bellum ſacrum, hortatore Vrbano indictum, legere eſt apud Gaufridum Groſſum, in actis Bernardi Tironenſis, *c* & apud Synchronum autorem Altercationis ſynagogæ & Eccleſiæ; *d* Nec non apud Oldericum Vitalem ac Tyrium. *e* Itaque Vrbanus delegans Roberto prædicandi poteſtatem, rectè dictus eſt, ſtatuiſſe illum, *ſecundum à ſe* concionatorem. Ipſe enim Vrbanus, ratione dignitatis, haud dubiè primus erat. Secundùm ſe verò, voluit. Robertum obire munus prædicandi, honeſtans illum ampliſſima ad id facultate quam nullus inferior Antiſtes, poſſet vel inhibere, vel arctare: Fortaſſis etiam addita alia quapiam prærogatiua, qualis interdum extraordinariis aliquibus verbi Dei tractatoribus, conceſſa eſt. Habuit quippè Robertum, Vrbanus, pro ſingulariſſimo concionatore, & electo Spiritus ſancti organo, vt monſtrant quæ hactenus præmiſi.

c Cap. 8.
d In præf. *ferè initio.*
e Lib. 9. hiſtor.
f Lib. 1. c. 16.

XIX. *Imo potiùs quia inſtructu Apoſtolorũ ſimili, ad prædicandum venit. Quis ille inſtructus.*

Non eſt tamen hæc *Apoſtolici prædicatoris* notio, ſecundùm quam Robertum denominaui *Apoſtolicum verbi Dei Tractatorem, ac prædicatorem*; Sed alia citra Pontificiam delegationem æquè communis cuiuis Apoſtolorum imitatori, in tractando ad populum Dei verbo. Vt quid velim ob oculos ponam, recolendum in primis eſt, quomodò Chriſtus Dominus, Apoſtolos in ſua Eccleſia primos Verbi Dei prædicatores, ad id munus aptauerit atque inſtruxerit, & quomodò illi, poſt inſtructum de cœlo ſuppeditatum, in obeundo eo munere ſint verſati. Inde enim arceſſenda oratio eſt, vt liquidò perſpiciatur, rectè Robertum fuiſſe dictum, *Prædicatorem Apoſtolicum*, exprimentem imitatione ſanctos Apoſtolos, Euangelij primos ſatores ac prædicatores. Non pigebit lectorem meum,

tantulæ

tantulæ moræ, in exponenda idea aptationis, ex qua Robertus in Apoſtolicum Euangelij præconem euaſit, præſtructo apparatu, ad eam dignitatem in Eccleſia Dei ſummam, conſentaneo. Expreſſit eum apparatum Hieremias, ex B. Ambroſij, *a* & Paſchaſij Rathberti, *b* ac Innocentij tertij *c* interpretatione; cum loquens in perſona myſtici corporis Chriſti, dixit, *de excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Oſſa huius Corporis, ſunt Apoſtoli, iuxta B. Auguſtinum ad illud pſalmi 34. *Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi?* Et ad illud eiuſdem pſalmi, *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.* Nam quamuis hæc oſſa diſperſa ſint, vt habetur pſal. 21. nullum tamen ex eis eſt contritum. Quid enim fieret corpore, ſi eius fulcra, contrità iacerent? Oſſa igitur Eccleſiæ, Apoſtoli. Et in hæc oſſa miſſus eſt de cœlo ignis, non conſumens & vaſtans, (ait S. Ambroſius *a*) ſed illuminans & incendens, vnde ſequitur eruditio Eccleſiæ. Ingerit porrò verbum *erudiendi*, memoriam veteris ſpectaculi, quod in Sacerdotis rationali obuerſabatur; cum duodecim lapides (ſymbola duodenarij Apoſtolorum iuxta S. Cyrillum, *b*) diuinitus radiabant; vt propterea *fulgores* ac *ſplendores*; vel *doctrina* & *veritas*; aut *illuminatio* ac *perfectio*, Hebraicè *Vrim* & *Thummin* appellarentur. Vulgatus Deuteron. 33. vbi Hebræa ferunt *donec ſtaret Sacerdos ad Vrim & Thummin*, vertit; *donec ſtaret Sacerdos doctus atque perfectus.* Eadem Hebraica phraſis, apud Nehemian in vulgato contextu, exprimitur his verbis, *donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus*, En Eccleſiæ *eruditionem*: id eſt colluſtrationem & ardorem innoxium à molli flamma. Miſſus eſt ab excelſo iam Chriſto, (iuxta S. Ambroſium *c*) in Apoſtolos ignis ille, verè *ex vltimis*, nimirum à Patre Filióque, & vltimis diuinitatis receſſibus: vel vt Paſchaſius *d* legit, *ex intimis*: Idque ferre literam *Men*, & huic Threnorum loco, & octonario 13. pſalmi 118. præfixam, S. Ambroſius *e* adnotauit.

a In pſal. 118. Serm. 13. *initio.*
b In Thre.
c Serm. 2. de Pentec.

a Lib. de anima c. 8.

b In expoſitione Symboli.

c In prol. operis de Spiritu ſancto.
d In Threnos.
e Serm. 13. in pſ. 118.

Digitized by Google

notauit. Ab hiſce & *vltimis* & *intimis*, prodiit in oſſa Eccleſiæ, (Apoſtolos inquam,) ignis erudiens; hoc eſt luce & calore, doctrina & ſanctitate, illuſtratione & perfectione, oſſa illa myſtica perfundens; tanta ſcientiæ vbertate, vt [eorum cognitio ad inſtar fundamenti firmata ſit poſteris.] Iuxta Cyrillum Alexandrinum, exponentem cur Apoſtoli denominati ſint *montes*, qui radios Solares excipiunt primi. Tanta item ſanctimoniæ & perfectionis copia, per vigorem & ardorem ſacrum voluntati inditum, illis aduénit; vt qui priùs infirmi erant, ac debiles, & ianuis clauſis ſe tutabantur; mox intrepidi ac exquiſitè roborati & feruidi, pericula omnia, ipſámque mortem deſpicerent. Quando hoc? Non ſanè, cum ſuperſtite Chriſto audiebant, *ſine intellectu*, & *cor habentes obcæcatum*: quando exprobrabatur illis, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me:* quando Thomas vnus ex 12. refugiens periculoſum in Iudæam regreſſum, per Sarcaſmum aiebat, *Eamus & nos*, (ſcilicet,) *& moriamur cum eo*; provt verba Thomæ ſibi timentis, accipit Baſilius Seleuciæ. *b* Non igitur tunc immiſſus eſt oſſibus Apoſtolicis, ignis de excelſo; ſed in Pentecoſte, cum Spiritus veritatis, Apoſtolos ſe ad prædicationem accingentes, docuit omnem veritatem, vtilem ad fidem plenè tradendam iis quorum Dominus corda aperiret. Tunc genua infirmata à ieiunio, robore indito firmata ſunt, & caro immutata eſt propter oleum Spiritus ſancti ſubmiſſum; vt fert B. Auguſtini *a* expoſitio, & ſapidiſſima & pietatis refertiſſima: ſuffragante B. Ambroſio, *b* qui ſcitè proſequitur, Spiritum ſanctum eſſe oleum lætitiæ, vegetans atque corroborans animam cui de cœlo confertur. Obuenerunt Apoſtolis, plena lux intellectus, & robur voluntatis, ac excelſitas animi ad omnia ardua imperterriti, cum eſſent in procinctu ad prædicandum; eáque fuit aptatio Apoſtolorum ad Euangelicam prædicationem: qua aptatione præmiſſa, quid non præſtiterunt, Euangelizantes virtute multa?

a In c Iſai.

b Orat. 40.

a In pſal. 108.

b Lib. 1. de Spiritu ſancto c. 8.

Digitized by Google

Liquet ex his, diſputationem nunc præmiſſam de inſtructu Apoſtolorum vt euaderent in prædicatores Apoſtolicos, non fuiſſe excerrationem à ſuſcepta diſſerendi de Roberto voluntate, ſed tunc maximè rem eius eſſe actam, cùm aptationem exponerem, qua Apoſtoli euaſerunt in prædicatores primos, qui futurorum forma concionatorum haberi poſſent, ita vt qui ad eam ideam effingerentur, prædicatores Apoſtolici iure cenſerentur: Hos inter, Robertum meritiſſimò annumerari, conſtare poteſt ex præindita ei, ſimiliter (proportione ſeruata) atque Apoſtolis, vberi ſcientia & perfectione, luce & calore, intelligentia & excelſitate animi, ad ardorem inflammatæ voluntatis conſequente; & ex magnis & miris, effectibus, eius ſic aptati, prædicationes ſubſecutis, Recognoſcamus in Roberto ſingula.

X. *Prior inſtructus Apoſtolici pars, ſcientia; in Roberto cuiuſmodi.*

Scientiæ vbertatem, quia humanam diligentiam non aſpernatur Deus, videri poſſet Robertus Pariſiis comparaſſe, dans ſacris literis & ſtudiis Theologicis operam, in matre Academiarum, ab Alcuino pridem conſtituta Lutetiæ; & hoc ipſo tempore quo Robertus floruit, pulchrè collaudata à Philippo bonæ ſpei Abbatæ, a ſic affante Heroaldum. [Amore ductus ſcientiæ, Pariſios aduenisti, & à multis expetitam optato compendio Hieruſalem inueniſti. Hic enim Dauid decachordum pſalterium manu tangit; hic tactu myſtico pſalmos pangit; hic Iſaiæ legitur, legendo delegitur prophetia; hîc Prophetæ cæteri, diuerſos modulos, concordi proferunt melodia; hîc ſapiens Salomon, erudiendos conuenas operitur; hîc ad pulſandum tantus concurſus, tanta frequentia Clericorum, vt contendat ſupergredi numeroſam multitudinem laicorum. Felix ciuitas, in qua ſancti codices tanto ſtudio reuoluuntur, & eorum perplexa myſteria, ſuperfuſi dono ſpiritus reſoluuntur: In qua tanta lectorum diligentia, tanta denique ſcientia ſcripturarum, vt in modum Cariatſepher, meritò dici

a *Epiſt. 3. In fine.*

poſſit *Ciuitas literarum.*] Hœſit ibi Robertus, & chartis impalluit, diligens in paucis & nauus literarum procus, ita tamen vt (quod Baldricus diſertè notat,) nihil de ſtudiis pietatis per literarias exercitationes remitteret; nec fieret illi Lutetia,quod aliis pleriſque, *exilium animæ*, vt expoſtulabat Petrus Cellenſis.*a* Adeò verò benè conſtitutus à literis exceſſit Lutetiâ Robertus, euocante Syl-

a Epiſt. 65.

ueſtro Redonenſi Epiſcopo, ad ſuppetias deficientis ſe literaturæ, tale ſubſidium epoſcente; vt illicò potuerit ſatisfacere Epiſcopi deſiderio,qui ſic eum per literas affatus erat. [Eſto quæſo in reſponſis Eccleſiaſticis,noſter interpres;audiam te,& loqueris in me.] Perinde ac ſi diceret;ego Epiſcopale faſtigium ita tenebo, vt tu mihi ſis oculus & lingua. Ad omnia dubia tu conſulêris.Eris mihi, non modò quod Valerio Auguſtinus,& Damaſo Hieronimus; ſed quia auctior eſt & grauior egeſtas mea præ tenuitate doctrinæ; eris inquam mihi veluti intellectus, & moderator per omnia. Sapienter profectò, in inſipientia ſua Sylueſter. Nam cum munus Epiſcopi ſit,præconem agere: & *Epiſcopus illiteratus* (Iudice Bleſenſi, *a*) ſit *præco mutus*, prudentiſſimè quæſiuit, per quem obiret, quod per doctrinæ defectum præſtare ipſe nequibat. Et quæ Sylueſtri felicitas fuit,non qualemcumque miniſtrum nactus eſt, literis quidem excultum; at de eorum numero,quos idem Bleſenſis *b Officiperdas* nominat, ſub Epiſcopi vmbra ſanguiſugas, nec niſi plebi Dei deglubendæ (intendentes:) Sed doctum ſimul ac imprimis pium;nec magis à ſcientia, quàm à virtutibus commendatiſſimum. Hœſit in eo munere Robertus:& inſignia iam partæ & continuato ſemper ſtudio in dies augeſcentis doctrinæ ſpecimina edidit,per quadriennium, dum ſuperſtes fuit Sylueſter. Eo autem naturæ concedente,declinans Robertus inuidiam ex rectè geſtis, & exagitata pro munere quod apud Sylueſtrum obiuerat, ſacrilegiorum colluuie,ſubortam; Andegauos petiit,vbi dubia

a Epiſt. 23.

b Epiſt. 25.

Digitized by Google

dulcia ſtudia, moroſiùs Redonis præ mole negotiorum continuata, magnis animis reſumpſit, & ſacras literas publicè profeſſus eſt, iure *Magiſtri Pariſienſis*; quem titulum adeò non reiecit Robertus, vt etiam iam fundator cœtus religioſi multiplicis, non *Dominus*, non *Abbas*, (Baldrico teſte) dici ſuſtinuerit; ſed *Magiſtri* titulo adamato abiecerit cæteros. Quamvis autem (vt præmiſi) humana parandæ augendæve doctrinæ ſubſidia, non repudiauerit Robertus; attamen potiorem partem doctrinæ qua ad prædicandum inſtructus eſt, ſubminiſtrauit Spiritus ſanctus; quem os eius aperuiſſe, Vrbanus Pontifex ex Cortyna Apoſtolica pronunciauit.

XI. *Sanctitas Roberti inſtructus Apoſtolici, pars altera.*

Alterant inſtructus Roberto ad prædicandum inditi partem, ſcientiæ veluti animam, hoc eſt, ſanctitatem præferunt apertè illa Baldrici de eo. [Honorabatur ab omnibus, quoniam & honorabilis erat. Nam & gratia Dei euidenter cum illo ambulabat, nec erat ſermo illius ſterilis, nec otioſus, quem commendabat laudabilis & verborum & operum comitatus. Quod prædicabat complebat operibus, ne fortè cum aliis prædicaret, nec operaretur; ipſe ſtatim reprobus efficeretur.] Nimirum nullam eſſe ſermonis vtilitatem ſi diſcrepent opera, a Philo admonuit; addens, id eſſe cur rationale ab epomide humeris impoſita pendere iuberetur; quod dicta factis deficientibus erubeſcere, probroſum ſit, & ſterilitatem inferat dicentis orationi. Itaque ſanctitudine cuius bona opera germen erant, inſtruxit Robertũ Spiritus ſanctus, ne fieret velut æs ſonans & cymbalum tinniens, ſubneruans vita exlege & moribus incompoſitis, doctrinæ & orationis efficacitatem. Vt poſſet repleri Spiritu ſancto, priùſquam loqui inciperet, (vt habet de Apoſtolis Antiphona Eccleſiaſtica) omnibus fæcibus cum ſanctimonia non conſentientibus, vas ſuum vacuauit, quod monebat facere Iordanus Saxo, cum rogatus agere ad ſuos in Pentecoſte, optandum ſibi & cuiuis alio-

a L. 3. de vita Moſis.

rum ad virtutem hortatori, dixit eſſe, imitari Apoſtolos, qui prædicationem Euangelicam auſpicantes, *repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto & cœperunt loqui.* Non priùs os aperuerunt & loqui cæperunt, quàm replerentur ſpiritu: quod vt aſſequerentur, effundendus fuit præiacens corruptæ materiæ aceruus. Effudit ſalubriter Robertus præoperante Deo, omnem pectoris cacochymiam; qua miſerum hominem occupante, caſſus abit omnis ad benè ſibi, benè aliis faciendum connisſus; ac ne ſcientia quidem parari primùm, vel retineri, ac vſui eſſe iam parta poteſt. Non abſimiliter atque apud Dionem Pruſæum, *a fons veritatis*, (Sic appellabant) nemini ad potandum patebat, qui priùs quicquid ſtomachum grauabat, abieciſſet, & leuaſſet viſcera.

a Orat.

XII. *Characteres Apoſtolici prædicatoris in Roberto, conſequenter ad inſtructum præmiſſum.*

Sic inſtructus ad dicendum Robertus, & in intellectu ſimul ac voluntate, imitatione Apoſtolorum, ſcientia & ſanctitate egregiè conſtitutus; quid mirum ſi characteres omnes Apoſtolici prædicatoris prætulerit? Talem certè exhibent, quæ de eius concionibus ſunt prodita. Iam ſupra ex Gaufrido Groſſo, inſigne de eo hac in parte teſtimonium protuli. Sed quia is communiter de beata Triade, Robertum & duos eius ſocios, Vitalem ac Bernardum complexa, agebat; audiamus ſingillatim de Roberto agentem Baldricum. In operis præfatione, Petronillam inter ſpirituales Roberti filias primam, ſic affatur.] Ad fontem Ebraldi veniſti, vbi fontem vberem, fontem prædicationis, fontem Religionis inueniſti & hauſiſti: Dominum videlicet Robertum, noſtris temporibus ſingularem ſeminiuerbium, doctorem illuſtrem, & eximium; verbis & operibus admirandum.] En Robertũ *fontem prædicationis*. Cuiuſmodi verò prædicationis fons fuerit, ſic euoluit idem Baldricus, in actorum fronte. [Quoniam Deus, nuſquam & nunquam poteſt eſſe otioſus, diebus tamen noſtris, coram nobis operatus eſt manifeſtiùs; dum venerabilem Robertum de Arbriſſel-

lo,

lo, mundo dedit ſpeculum, ſuffocatorem vitiorum, propugnatorem & educatorem virtutum, omnium deſolatarum & erronearum perſonarum ſolamen, & præambulum. Iſte ſiquidem Robertus, ſolis Orientalis Radius, lucifer irreuerberatus, prædicator poteſtatiuus, Occidentalem orbis plagam irradiauit, & ignorantiæ tenebras ore poteſtatiuo defuſcauit.]

XIII. *Cur dictus Prædicator poteſtatiuus.*

Quid illud, *Prædicator poteſtatiuus*: & *ore poteſtatiuo*? Quæ inferiùs ſubiicit, id manifeſtant. [Redolebat in Roberto quodammodò odor optimæ facundiæ: Nam rarus erat, ſimilis eloquentiæ. Vnde factum eſt, vt eo audito, multi corda ſua percuterent, ſuiſque prauis conuerſationibus abrenuntiarent. Alij domum ſuam reuertebantur, prædicationibus eius meliorati; alij ſecum demorari cupiebant, eiúſque famulatui deſeruire, & irremoti conſodales, ei adhærere rogitabant.] Rurſum alibi. [In ſermocinando contra peccatores, videbatur inuectiuus. Peccati verò deſertores, affectu paterno conſolabatur: Vnde accidit, vt multi publicani & publicanæ, ipſi adhæſerint; atque toto poſſe obedierint: nullum ſiquidem remittebat errabundum; ſed tandem in ſinu ſuo, pœnitentem confouebat collocatum: ſermo eius non poterat eſſe non efficax; quia vt ita dixerim, omnibus omnia erat, pœnitentibus lenis, auſterus vitioſis, lugentibus blandus & facilis: Virga irreuerentium, baculus ſenum, & vacillantium, pectore gemebundus, oculo madidus, conſilio ſerenus. Hunc profectò dixerim habitaculum Ieſu Chriſti, templum & organum Spiritus ſancti, reſponſalem & vicarium altiſſimi.] Sed & Andreas, aſſiduus Roberti aſſecla, & iugis auditor, poſt tactam in vltimo eius ad populum ſermone, inſignem vim dicendi, ſubiungit. [Quid mirum ſi hoc ſermocinium tam excellenter impleuit, per quem Deus tot & tanta ſermocinia penè incomparabilia, teſtantibus illis qui audire meruerunt, mundo præbuerat? Tantam namque prædicationis ſan-

ctæ gratiam, ei Dominus donauerat, vt cum communem ſermocinationem populo faceret, vnuſquiſque quod ſibi conueniebat, acciperet. Non erat eius prædicatio inefficax, ſed in tantùm audientium corda conterebat, vt patenter daretur intelligi, quis eſſet illic: Nimirum Spiritus ſanctus aderat, ſine cuius auxilio, ſermo Doctoris exteriùs fruſtra laborat.]

Non eſt quid præterea quæramus, vnde liqueat Robertum fuiſſe Apoſtolicum prædicatorem, & quomodo imitatione Apoſtolorum prædicantium, ſermo eius fuerit potens ac efficax, & ipſe dictus meritò ſit *prædicator poteſtatiuus.* Neque enim verbis vigebat ſolùm, ad verberandum aërem, ſed corda quoque transfigebat, & potenter mutabat. Quod iam olim feciſſe Chriſtum, qui dictus eſt *potens ſermone*, monſtrant illa de eo verba apud Lucam c.4. *docebat illis ſabathis, & ſtupebant in doctrina eius; quia in poteſtate erat ſermo eius.* Quo loquendi modo, minùs placent qui putant inſinuari poteſtatem miraculorum quæ Chriſtus inter prædicandum operabatur, ſermonem confirmante Deo, ſequentibus & comitantibus ſignis. Minùs item arrident Titus Boſtrenus, ac Euthy-
a Annot. 52. nius, & Toletus, *a* qui ſermonem habere in poteſtate, referunt ad id quod Chriſtus, non more Prophetarum diceret, *hæc dicit Dominus*; Sed ex ſuo nomine & propria auctoritate doceret. Hæc tametſi non carent veriſimilitudine, tamen genuinus ſenſus eſſe videtur, quem Mathæus & Marcus, ille c.7. hic c.1. innuunt, cum propoſita prærogatiua Chriſti docentis, aiunt omnes admiratos eſſe eius doctrinam, quia, *erat docens eos, ſicut habens poteſtatem; & non ſicut ſcribæ eorum & Phariſæi.* Nimirum Doctores hi Hebræi, docẽdo captabãt fumos, ac plauſum, & mulcendis populi auribus dabant operam, nec loquebantur ad cor, vt transfigerent auditores; ſed veluti cantillantes, mulcebant aures. Vnde frigida erat eorum oratio, & inepta ad commouendum. At Chriſti doctrina,

Digitized by Google

quia ſolum fructum intendebat,& efficaciter corda permouebat,dicitur non fuiſſe ſicut ſcribarum & Phariſeorum,ſed *fuiſſe in poteſtate*. Stupebant ad Chriſtum docentem turbæ, ait Victor Antiochenus Marci 1. [quia non loquebatur ad gratiam,neque vlli prorſus adulabatur,nec auditorum laudes captabat ; Sed erat ſermo eius in poteſtate. Hortabatur enim non ad quæuis promiſcuè, ſed ad cæleſtia & animæ ſalutaria ; perfidíſque & obſtinatis peccatoribus ſupplicia comminabatur.] Adde quod agebat ad populum cum maieſtate quadam & energia loquendi, quæ deficit declamitantes ; affectatur autem, grauiter & non pueriliter tractantes verbum Dei, hoc eſt vt vernacule dicimus, *qui parlent en maiſtres:* Ad quorum energicam & emphaticam dictionem permouentur audientes,quia verba eorum ſunt ſicut ſtimuli,iuxta Sapientem. Hoc ergo fuit, Chriſti ſermonem fuiſſe in poteſtate; ſiue Chriſtum fuiſſe *prædicatorem poteſtatiuum.* Similiter ſe geſſiſſe Apoſtolos prædicantes, Pſaltes ex perſona Chriſti ſic tradit,interprete Auguſtino. *a Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum, abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. Audient verba mea quoniam potuerunt;ſicut craßitudo terræ,erupta eſt ſuper terram.* Senſus eſt; Oratio mea, denique accepta erit eis. Ipſimet eorum iudices ac Doctores, comparati ad Petram deſerti, de monte filiæ ſion proditurarn, abſorbebuntur,& obſoleſcent,imo euaneſcent, & rudes planè ac hebetes fuiſſe deprehendentur.Pleríque impij qui ſibi in peccatis placebant,audient verba quæ per ſuffectos mihi verbi adminiſtros edam, qui adeò *poteſtatiuè* loquentur, vt audiant populi, nec ſecus euertantur eorum animi, quàm craſſiſtudo terræ, vi ligonis aratríue proſciſſæ, erumpit. Fluuius prædicationis ex Apoſtolorum ore manantis, ſubuertit fundamentum eorum,vt eſt apud Iobum : qui etiam interprete B. Gregorio, *a* aquas diuini verbi emiſſas ſubuertere terram, & ſuſdéque emouere profitetur. Hoc

a In pſal. 149.

a L. 11. mor. cap. 6.& 7.

XIV. *Robertus quaſi alter Paulus.* Hoc in Paulo prædicante,& terram euertente comprobatum,ſœpè monſtrat S. Chryſoſtomus: *b* Et comprobatum item eſt in Roberto,quem *Pauli parelion*, haud iniuria dixerim. Nam Martyrologium Fontebraldenſe 24. Februarij,qua die beatus eius obitus conſignatur, ſic de eo habet. [Fuit Robertus vir Chriſtianiſſimus, & micantiſſimum Eccleſiæ ſanctæ lumen,& in prædicationis exercitio, aliquatenus alter S. Paulus.] Ad quam laudem vix eſt qui poſſit accedere; Tanta enim eſt B. Pauli, in tractando Dei verbo,& omnibus concionatoris numeris implendis apud omnes Patres celebritas,vt qui vel de nonnulla ad eum vicinia honeſtari poſſit, inter Eccleſiæ primates recenſeri haud iniuria queat. Quinimò S.Chryſoſtomus, *a* non modò à Pauli ſimilitudine poſteros omnes ſubmouet, ſed etiã negat eſſe qui digni eius ſoleis cenſeri,poſſint,tot ab eo paraſangis omnes elõgãtur.Quadantenus igitur,*alterũ Paulum* in prædicationis exercitatione,dici Robertũ,decus eſt ſupra omnẽ modulum noſtratem,exaggeratum; honor eſt incomparabilis. Et multa ſanè ſunt Paulo reſpondentia in Roberto prædicante. Sed nominatim, quod Paulus vt prædicatoris Apoſtolici nomen impleret,contundebat & liuidum faciebat corpus ſuum; vt infirmatus, fortis fieret ac potens,inſigne decus eſt,quod nequaquam Roberto defuit, quandoquidem de eo etiam num Andegauis, agente, hoc eſt veluti ponente ſpiritualis vitæ tyrocinium,& adhuc ſeculari, ſic Baldricus. [Deſtinans carnis illecebris auſteriùs dominari, ſubtus ad carnem, indutus eſt loricam; quà veſte duobus vſus eſt annis, antequàm ad Eremum proceſſerit. In biennio autem quo illa ferruginea veſte carnem domabat,delicatis deſuper tegebatur pannis;oculis & fauori hominum ſe occultans; conſpectui verò Dei, ſe duntaxat manifeſtans.] Agnoſceres laudatum Hieronimo Monachum ſub paludamento, in

b Homil. 4 in ad Galat. & hom. 12. in ad Coloſſ.

a Homil. 15 in ad Rom.

Digitized by Google

Nebridio & Exuperantio. Vel celebratum Sulpitio *a* S. Martinum, à Monachatu iam in militia. Id quod etiam in Maximo, cōcinniſſimè laudat Fauſtus. *b* Et verò cumulat hæc laus exornationem à lorica ferrea. Nam qui ſuorum tortores membrorum, ferro ad nudam carnem applicito procedebant, quod ad colligendam gloriolam id facere viderentur, reprehenſi iam olim fuerant ab Abbate Apolline apud Palladium; & à S. Epiphanio; *d* ac lege Caroli Magni (tametſi indictam pœnitentiam prætexerēt,) iuſſi ſunt cōcludi, abolito vſu qui ſub Carolo Caluo teſte Aymonio inualuerat. Robertus, quòd ſolius Dei fauorem aucuparetur, ferream loricam qua ad carnem amiciebatur, veſte delicata operiebat. Quo genere imbonitatis in ſeipſos (æquè in abſcondito, vt Pater redderet eis in manifeſto) viros legimus Theodoſium Anachoretam apud Theodoretum, *a* nec non Iacobum, & Euſebium; & quod magis mirere Cyram & Maranam, ſanctiſſimas mulieres: Quos omnes multiplicibus circulis ferreis, innexuiſſe & attriuiſſe nuda membra, prodit ibidem Theodoretus. Meminit itē Chryſoſtomus *b* mulierum vincula manibus præferentium. Propior tempore, & vltorij in ſeipſum inſtrumenti genere, fuit Roberto Dominicus cognomēto *loricatus*; de quo, ſic inſtitutor eius in Spiritu, Petrus Damiani. *c* [A tribus iam circiter annorum luſtris, lorica ferrea veſtitur ad carnem: duobus autem ferreis circulis angitur in corpore; duobus item per brachiorum artus arctatur.] Non ſtetit ibi ardor Dominici. Nam addit Damiani. [Circulis ferreis quatuor, quia ſibimet præ longa conſuetudine quaſi iam viluerant, quatuor item ſuperaddit: vt duobus in coxis, duobus conſequenter in cruribus, ſtringeretur. Enim verò loricas quibus vtebatur, tanquam cilicia vel lanea quædam indumenta, poſt menſes, ſiue poſt ſpatium prolixius abluebat, vt rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris teredinem non haberent &c. Exeſis

a In vita c. 1.
b hom. de eo.
c c. 52. lauſ. in *d* Anaceph.
e L. 1. capitul c. 79. l. 2. miracul. S. Germani c 14.
a 11. ΘΕΟ. c. 10. ibid. c. 20. ibid. c 4.
b Homil. 9. in ad Ephes.
c c 9. vitæ.
d 11.

Digitized by Google

ieiunio membris, & hamatæ loricæ mole detritis. Æthiopicam contraxiſſe nigredinem videbatur.] Sed & vlteriùs progreſſus eſt, ſancto in ſe odio Dominicus. [Rauennæ (ait idem Petrus *a*) apud fabriles officinas, noua ferreorum nexuum armamenta confinxit; multíſque ſe circulis per diuerſa membra, ipſe ſibimet Iudex ac reus, violenter arctauit. Nam duo dependebant vincula ceruice tenus, per humeros altrinſecùs; hinc ad ſexum, illinc vſque ad femur. Duos verò in coxalibus circulos, duos ſuſcepit in vlnis. Vndique igitur tam multiplici conſtrictione vallatus, ad nos rediit.] Quorſum hæc in ſeipſum propè efferatio, præmiſerat Damiani, *b* ſic ſcribens. [Longo iam annorum elabente curriculo, ferrea ad carnem lorica præcinctus, infœderabilem pugnam cum iniquis ſpiritibus conſerit : ſempérque paratus ad prælium, non ſolùm corde, ſed & corpore præmunito, aduerſus hoſtiles acies feruidus bellator incedit.]

a c. 12.

b c. 8.

Hæc adeò dura, (propè dixi trux & inhumana) ſui tractatio, & redactio corporis in ſeruitutem, quantumvis mirabilis, nec ad imitandum propoſita; concedere tamen aliqua ex parte videtur, caſtigationi corporis ſui per Robertum admotæ; æquè ad carnem applicata ferrea lorica, emaciantem ſeſe, ac contundentem, & (vt Paulinam vocem retineam,) liuefacientem ſuum Corpus, ne aliis prædicans, ipſe reprobus efficeretur. Si quidem Dominici factum, *a* ad expiationem tetri criminis quo ſe iuuenis impiarat, Sacris Ordinibus per ſimoniacam lepram ſe ingerens, pertinebat : Eámque ſui vexationem Dominicus, in eremo inter Eremitas omni ſancto in ſe odio ſæuientes, adhibuit; Non vſquequaque clam ſuis; nec externo tectorio habitus mollis ac delicati, oculis imponente ſpectatorum. Robertus & adhuc degens in ſæculo; & ætatis flore atque progreſſu innocenter tranſacto, nemine vel ſuſpicante, ſoli Deo dabat placationem, non tam pro anima ſua, quàm pro aliis; vt ad ſanctè tractandum

a cap. 6.

Digitized by Google

.dum Dei verbum, per Corporis caſtigationem, exemplo Pauli ſe aptaret atque componeret.

Æquè S. Gulielmus Aquitanus, tametſi loricatus ad nudam carnem, videri poſſit concedere Roberto de huius ſancti in ſe odij gloria. Is ſi quidem docente Sancto Eremita, qui ei ſatisfactionem culpis admenſam indixit, à quo tempore plenè reſipuit, propria lorica ferrea ad carnem nudam applicita, macerauit ſeſe, omnibus diebus vitæ ſuæ. Ita refert Theobaldus, *a* qui poſtmodum addit. [Lorica propria, fortiter ad carnem connexa, ſuperueſtitur; firmitérque per totum corpus, decem catenis, ſeu vinculis, artificis magiſterio ſubtiliter conſtringitur, ne proceſſu temporis facilè diſſoluatur. Poſt hoc aſperrimo cilicio deſuper contegitur, ferréaque Galea, ſubtiliter, vt ſolui non poſſit, capiti militis imponitur; ſicque ſpiritualibus armis onuſtus, à ſuo præceptore dimittitur.] Dura profectò, & ferrea corporis tractatio. Sed is erat Gulielmus, tótque contaminatus ſceleribus, vt Eugenius *b* 3. propè deſperare ſe diceret, plenam illi ac facinoribus adeò omnibus proportionatam pœnitentiam, poſſe obtingere. Theobaldus *c* per Actorum eius initia, gurgitem cœnoſiſſimum turpitudinum eius, ac feritatum, exhibuit; extraneis malum, ſuis peiorem, peſſimum ſibi, deſcribens: ad iraſcendum flammeum, ad ignoſcendum ferreum, ſaxeum ad miſerendum. Lurconem adeò, vt quæ octo aliorum iuuenum fortiſſimorum cibaria forent, ei ad vnum prandium vix ſufficerent. Dæmon corporatus, ſi feritatem & truculentiam in alios ſpectares, videri poterat: Alter Herodes, præ ſpurcitia, proprij germani vxorem, violenter à viro abductam, per triennium & ampliùs, iuſtæ vxoris loco habuerat. Schiſmatis in Eccleſia culmen fuerat, clauiúmque Eccleſiæ contemptor; omnibus denique flagitiis coopertus & conſtupratus vſque ad ſenectam. Tam horrendo homini, (de cuius probris omittimus plura,) tam horrida

a c. 10. Actor.

b c. 12. Actor.

c cap. 1. Actor.

corporis vexatio congruebat. Roberto, à prima ætate innocuo, poterat videri diſſentanea; niſi ſancti, Labeculas ſuas quia numen violant, apud ſe reputarent omninò graues, ſéque ea ratione aptarent ad Deum aliis placandum & conciliandum.

XV. *Baptiſtæ prædicantis nonnulla ſimilitudo in Roberto.*

Niſi Robertum ſuſcepiſſem effingendum in prædicatorem ad Apoſtolicā formam; quem cum Paulo hactenus compoſui, cum alio prædicatore ſanè inſigni, componerem: Baptiſtam dico, cum quo concionante, & vitam viuente Eremiticam atque præduram, eſt Roberto ſimilitudo non parua. Fuit ſanè Robertus in Eremo, ea inſignia ſolitudinis bona (quæ Eucherius aureolo de Eremi laudibus libello, Petrus Cellenſis, *a* Franciſcus Detraſa *b* aliíque annotarunt;) ſua facere geſtiens, quod exquiſitè præſtitit. Proptereáque ab Andrea eius extrema deſcribente, ***Eremitarum lucerna***, eſt nuncupatus. Seceſſum Roberti attingens Baldricus, rem planè conficit, & Baptiſtæ ac Roberti collationem liquidam exhibet. [Diuertit (inquit,) in ſyluam, hominum aſpernatus collegium, factus contubernalis beſtiarum. Vbi quantis inhumanitatibus in ſe totus ſæuierit, quot & quantis crucibus ſe ipſe mactauerit, quàm diris concuſſionibus ſe ſe extenuauerit, quis dignè recenſeret? Nā præter ea quæ extrinſeca videbantur, vt eſt porcorum cilicium induere, barbam ſine aqua radere, lectiſternium, præter humū, vinum omninò, cibóſque lautos & ſaginatos neſcire; ſomnum permodicum naturali neceſſitate impellente rarò capere; quidam intrinſecus in eo erat cōflictus, quidam mentis rugitus, quidam penetralium ſingultus, quem autumare poſſes crudelem & impium, cui nullum incidere poterat terminale remedium; quem multi ſuſurrabant, imbecillitati luteæ eſſe impoſſibilem & nimiū.] En, Baptiſta in eremo prædicans, in ſeipſum fuit duriſſimus, ita vt malignis, præ nimia (vt volebant,) abſtinentia, & cibi ac veſtitus horriditate, emotæ mentis haberetur. Id

a Epiſtol. 67.
b In opere de vita ſolitaria.

enim

enim eſt quod Chriſto teſte de eo aiebant, ***Dæmonium habet*** : hoc eſt, non ſecus ac arreptiuus , agitur intemperiis,deiectus de mentis ſanitate. Nihil prædictorum , in Robertum non cecidit. Victus ac veſtitus aſperitas, in Roberto ad populum agente , qui illi in deſerto confertiſſimus aderat, cum ex dictis eſt perſpicua , tum ex iis quæ Baldricus alibi præterea tradit, docens eum nec vinum quàm diutiſſimè;nec cibos ſaporatos guſtaſſe, ſemper nudis pedibus inceſſiſſe,& tunicas & ſaccum aſperrimum induiſſe,curam Carnis in deſideriis non feciſſe;ieiunia ſæpè continuaſſe, orando frequenter pernoctaſſe, membris ſuis per diuturnam inediam fuiſſe per quàm infeſtum.Quid hic deſideres,ad plenam cum voce Clamantis in deſerto contentionem ?

Neque verò defecit Robertum inſigne illud Ioannis prædicantis decus,quo non ſolùm ad plebeculam agebat euellens & eradicans liberè vitiorum paliuros,ſed etiam loquebatur de teſtimoniis Dei in conſpectu Regum & non confundebatur. Ex quo capite S. Theodorus Studita B. Platonem patruum ſuum cum Ioanne Præcurſore componit,quod ſicut iſte inceſtum & adulterum Herodem apertè redarguit,ita ille Conſtantinum iuniorem filium Irenes damnatis amoribus implicitum,& legitimæ vxoris exturbatorem , dignè generoſo Chriſti pugile corripuiſſet,indéque efferato impio Principe , graues in ſe & ſuos,ipſámque nominatim S.Theodorum ærumnas deuocaſſet. Laudat in Baptiſta eam libertatẽ & imitatione exprimendam docet S.Iſidorus Peluſiota ; Conſtipat in eandem ſententiam S. Gregorius ex nouo ac veteri inſtrumento complurium ſanctorum liberè magnos qui ſunt in terra increpantium exẽpla.Recentioris item memoriæ exẽpla profert Claudius Rangolius ex Cromero, nimirum S.Staniſlai, ac Sbignei,& Gedeonis Epiſcoporũ Cracouienſium , qui Reges poteſtate abutentes increpuerunt liberrimè.Hoc ergo incocti generoſo honeſto

Catech. 69.

L. 3. epiſt 397.

7.moral.c. 12.

in c. 15. primi Reg. ad v. 19.

pectoris decus ſibi cum Baptiſta & ſanctis recenſitis commune fuiſſe,manifeſtum fecit Robertus, agens cum Philippo Franco,à quo denique Bertradam abſtraxit; & agens cum Guillelmo Aquitano, aliiſque de quibus poſtea,prodens quanta eſſet animi excelſitate in cauſa Dei. Nec mirum.Nam vt diſſerit S. Gregorius, ſancti tametſi externa ſpecie deſpicati, quantæ intrinſecùs arci præſideant,teſtatiſſimum faciunt. [Cuncta quippe quæ foris eminent, occultis eorum obtutibus per deſpectum iacent.Nam ſuper ſe interiùs rapti in alto animum figunt, & quæque in hac vita patiuntur,quaſi longè infra labentia, atque à ſe aliena conſpiciunt. In horum profectò oculis,quicquid temporaliter eminet, altum non eſt;nam velut in magni vertice montis ſiti, præſentis vitæ gaudia plenè deſpiciunt, ſéque ipſos per ſpiritualem celſitudinem tranſcendentes ſubiecta ſcilicet intus vident,quæcunque per carnalem gloriam foris tument. Vnde & nullis contra veritatem poteſtatibus parcunt.] Sic ſe geſſit, Baptiſtam prædicantem æmulatus Robertus.

XVI. *Exerramenta prædicatorum non Apoſtolicorum, procul à Roberto.*

Sed quando Robertum ad formam Apoſtolici prædicatoris effingendum recepi, abſiſto vlteriori expenſione eius ſimilitudinis, quæ inter Baptiſtam & Robertum in deſerto prædicantes interceſſit, contentus titulum *Prædicatoris Apoſtolici*, quem Roberto detuli, omnibus in eo numeris expletum,& nulla ex parte mancum,agnoſcere. Quid enim ad tanti muneris abſolutionem deſiderari in Roberto potuerit, equidem non video. An non enim ſedit priùs,ac in receſſu hœſit, vt indueretur virtute ex alto? An imitatus eſt præproperos illos, quorum læditur in flore botrus, iuxta B. Gregorij *a* interpretationem? qui illoti,impexi,incompoſiti,irruunt in miniſterium ante tempus ſuum: quod Bernardus *b* contrariam S. Benedicti praxim celebrans,meritò damnat, nec non Caſſianus. *c* An dixit & non fecit? Quam primam docentis abuſionem,proponit auctor libri perperam Cypriano inſcripti

a L. 1 mor. c. 4. & 8. mor. c. 33. & 34.
b Serm. 1. de S. Benedicto.
c Collat. 14. c. 16.

ſcripti *de abuſionibus ſeculi* : Et Auguſtinus *d* idipſum corripit, diſcordiam cordis & linguæ, malis moribus teſtimonium contra bonas voces ferentibus, reprehendens; & dolens eſſe, qui ſtrepant vocibus, muti moribus. Tales iuxta eundem B. Auguſtinum *e* ſcribæ & Sacerdotes Iudæorum, qui rectè docuerunt Magos, vbi Chriſtus naſceretur, ipſi tamen hæſere immoti. Addit idem S. D. exemplum eorum qui iuuerunt Noëmum in arcæ fabricatione, nec tamen eam ingreſſi ſunt, ſed diluuio perierunt. Item exemplum lapidum miliarium, commonſtrantium iter, nec tamen illud ineuntium. S. Ignatius Loyola, agens de viro Sancto, qui multos prouocabat ad Religioſum ſtatum, nec tamen eum inibat, conferebat æri campano, omnes ad Eccleſiam excitanti, ſemper hærendo in ſacra turri. Perinde ſe gerunt, qui dicunt & non faciunt. An dixit phalerata, non fortia? Puerile id vitium eſt, non cogitantium nullomodo ſonare diſertè, quod dicitur ineptè, de Auguſtini *a* ſententia, quæ etiam eſt Athanaſij *b* & Petri Damiani, *c* ac Petri Cellenſis. *d* An ſapientiam per profunditates ſubtilium quæſtionum oſtentauit, minùs ſollicitus, vt verba ſua eſſent ſagittæ acutę in corda inimicorum Regis? Hoc Caſſianus *e* malè formatæ mentis eſſe ſtatuit, redarguítque S. Hieronymus, *f* & S. Gregorius *g* atque Facundus, *h* obſeruans ſeruum Euangelicum, non *fidelem* duntaxat dictum, ſed etiam *prudentem*, vt hoc abruptum declinet. An mollis fuit & palpo, nec valens latrare defectu fortitudinis, factus auditoribus velut carmen muſicum, quod ſuaui dulcíque ſono canitur, ſugillante Ezechiele? An rumuſculos per blandiloquia eſt aucupatus, more cauponum, in quos Hieronymus ad illud Iſaiæ 1. *Caupones tui?* Nec remiſsè Chryſoſto. *k* An numerum auditorum quæſiuit, ſuccenſente Chryſoſtomo, *l* & quod mirere multò iuſtiùs Epicteto apud Arrianum? An ſola magnifica ſuggeſta captauit, homo etiam in Plateis & compitis ſpar

d Serm. 18. ex 40. nouis, & in appendice ſer. 5. & ſer. 18. verb. Dom.
e Serm 66. de diuerſ. c 4.
a L. 2. in Petil. c. 31.
b In pſal. interpret. *in ipſo fine.*
c Lib. 8. epiſt. 8.
d Epiſtola 45.
e Collat. 14. c. 13.
f præfat. in Epiſt. ad Galat.
g 17. mor. c. 12 & 13.
h Lib. 12. *pag.* 547.
i Cap. 33.
k Hom. 2. ad pop. vbi Duc.
l Hom. 2. & 28. in Ioan.
m Lib. 3. c. 23.

n Pag. 76. *o* Tract. vlt. de Relig l. 9. c. 1. n. 5. *p* Ad regul l. cõmun. à n. 13. *q* Lib 1. orator. Chriſt c 5. ex Pul la Clemẽtis VIII.

ſpargens verbum Dei, Baldrico teſte? Abhorrent ab eo vſu filij ſuperbiæ; ſed probauit Chriſtus, & Pontifices firmarunt, docentibus Suare *o* Nigronio, & Carolo Regio. *q* An velut ſpongia, vni ſe loco affixit, talentum concreditum ferè reddens inutile? At audi Andream de Roberto pronunciantem. [Iam plurimos annos indefeſſus prædicator, non ſolùm adiacentibus, verùm etiam exteris nationibus, verba Dei diſtribuerat.]

Hæc & ſi quæ alia, multorum ſpecie tenus ſacrorum Oratorum exerramenta, procul à Roberti concionibus fuere. Non enim erat ex illis verbi Dei adulteratoribus à Paulo reprehenſis, qui adulterorum more (vt benè ponderat S. Gregorius, *a*) voluptatem ſuam, non fructum quærunt; Sed tractabat ſyncerè & cum fide verbum Dei. Proindéque fuit verè *Prædicator Apoſtolicus*, ad normam qua Apoſtolos formauit Spiritus ſanctus, ritè compoſitus: ac proinde dignus, qui omnibus ſacris Oratoribus ſit pro Idea; præſertim ratione illius coniugationis admirabilis, quam ſemper cum alibi, tum inter concionandum prodidit, nectens ſapientiam & fortitudinem. Itaque de eo, referente Andrea [non indignè, religioſus quidam metricanorus ait,

a 16. mor. c. 28.

Si quæris, ſcilicet ſimilis non inuenietur.
Qualis quantus erat, fructu teſtante docetur.

b Lib. 5. de Regib. Angl. in Hẽrico. 1.

Aſtipulatiúſque eſt Guillelmus Malmesburienſis, *b* his de eo verbis. [Robertus de Bruxello, omnium ſui temporis concionatorum famoſiſſimus & profuſiſſimus: tantum non ſpumea, ſed mellea viguit eloquentia, vt hominibus certatim opes congerentibus, illud egregium Sanctimonialium monaſterium, apud fontem Euraldi, conſtituerit.]

XVII. *Robertus ferarum arundinis beſtiarum, & beſtiarũ calami mãſuetarius.*

Hactenus Robertum, Apoſtolici Prædicatoris munus plenè ac inconfuſibiliter, (vt Paulus depoſcebat,) obeuntem conſiderauimus. Quo munere cum peccatores quoſcumque ad humanam vitam traducere ſatageret, egit

egit brutorem curatorem. Nihil enim ſiue in ſcripturis, ſiue apud Patres vulgatius,quàm hominem peccato bruteſcere.Chryſoſtomus creber *a* eſt in ea ſententia. Neque Patres duntaxat,ſed Ethnicorum quoque ſapientes idem tradidere; Epictetus præſertim,ac Tyrius, adducti proponendo generalia alexipharmaca aduerſus malitiã moralem. *b* Itaque Robertus, magno Robore ſecundùm nomen ſuum à *Robore* ductum, (vt philoſophatur Andreas, (decertans cum peccatoribus,arguens, obſecrans, increpans,in omni patientia & doctrina, brutorum curatorem egit. Nunc ſpectandus eſt,non vt qualiacumque bruta tractans,ſed vt agens cum feris & beſtiis trucibus, quod apud Romanos,*beſtiariorum* fuit. Sic nominabant, non eos qui damnabantur ad beſtias,mox ab eis vorandi;quippè inermes ac intecti, vt contigit S.Ignatio, Antiocheno Antiſtiti: Sed eos qui armati ac benè muniti ad ſe tuendum,ac offendendam beſtiam, deſcendebant in arenam. Sic apud Suetonium, *a* in C.Cæſaris munere [depugnauit furius leptinus Stirpe Prætoria,& A.Galenus ſenator quondam, actórque cauſarum.] Nero apud eundem; [Exhibuit ad ferrum, etiam quadringentos ſenatores, ſexcentóſque Equites Romanos; & quoſdam fortunæ atque exiſtimationis integræ; ex iiſdem ordinibus,confectoreſque ferarum & ad varia arenæ miniſteria.] Seneca *b* Iuuenes nobiliſſimos memorat in arenam à luxuria coniectos. Itaque non criminoſi duntaxat, (vt haberi volunt ex l.3. ff. ad l. Cornel. de ſicar. nec vilia tantùm capita, munus beſtiariorum obibant; vel ij tantùm atroces gladiatores, qui pileum & rudem ex vltrò ſuſcepta cum feris pugna captabant, Tertuliano teſte ſed alij quoque, & interdum primæ notæ homines, agebant beſtiarios, ſiue vltronei, ſiue adacti. Quo poſteriore modo, Nicephorus Calliſtus de ſe à Paulo cenſuit 1. Cor. 15. *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi.* Adſcribitur Nicephoro,

a Hom. 11.de pat. Iob. & hom. 9.in 1. ad Cor. & c. 5. hom.10.

b In mor. d.4.à n. 398.

a In Iulio c 39.

Cap. 12.

b Epiſt. 100.

e Lib. de ſanctitud. Pauli cap. 12.

d Ad 1. Cor. 15.

e Ad Chriſti annum 55.

Claudius Dauſqueius, refragantibus Eſtio, *d.* Iuſtiniano, *e* atque Baronio. *f* Vt vt ſit, de reali & phyſica ad beſtias depugnatione, myſticam certè, cum ibi Epheſi, tum alibi ſæpè numero obiuit, Paulus, cum aduerſariis beſtialem in modum efferatis, alacriter conſtantérque decertans, & truces feras ſternens atque conficiens. Quod ipſum decus, Roberto Apoſtolico homini, & Pauli veſtigia relegenti, vendicatum venio; ſubiecturus de beſtiis ab eodem manſuetario condocefactis atque cicuratis; adhibita qua vbique præcellebat, ſapientiæ & fortitudinis iugatione.

a Pſal. 67.

b Epiſt. 27. & in cap. 49. Ezech.

Id vt exequar, producendæ ſunt nonnullæ feræ arundinis, & beſtiæ calami, in quibus Robertus operam collocauit. B. Auguſtinus *a* expendens illud pſaltis, *Increpa feras arundinis congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati ſunt argento*; concinente S. Hienimo, *b feras arundinis* interpretatur hæreticos; qui ſtylo, ſiue arundine, aut calamo ſcriptorio abutentes, peruertunt ſcripturas, & blaſphema dogmata obtrudunt; veréque ſunt *tauri pingues*, propter ſuperbiam duræ indomitæque ceruicis, qua efferuntur inter *vaccas populorum*; ſiue ſic denomines plebes malè ſeductas, ſiue mulierculas oneratas peccatis, ex 2. Timo. 3. à quibus hæreſes non modò fouentur, ſed ſemper ſumunt exordia, iuxta inſignem Hieronimi *c* diſputationem. Sinuntur autem à Deo, huiuſmodi feræ arundinis graſſari ac furere, *vt excludant eos qui probati ſunt argento*: id eſt vt qui probati ſunt, vel argento eloquiorum Domini, vel ſupra commune argentum, emineant fiántque manifeſti; in quem finem, oportere hæreſes eſſe, pronunciauit Apoſtolus. *a*

a 1. Cor. 11.

b Lib. 33. mor. c. 4.

Iam beſtias Calami, ſiue iunci, Iob c. 49. ex B. Gregorij *b* interpretatione, eos denotat, qui gloria temporali prænitentes, dominantur in populis, tenéntque honorum faſtigia. Expendens enim B. Gregorius, illud de Behemotho

Digitized by Google

mothodictum, *ſub umbra dormit, in ſecretò calami.* [Per calamum, (inquit,) vel arundinem, nitor gloriæ temporalis exprimitur, ſicut de iuſtis per ſapientiam dicitur, *fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Arundinetum namque vitam ſecularium appellat, qui more arundinum, per temporalem gloriam, foris quaſi ad alta proficiunt, ſed intus à ſoliditate veritatis inaneſcunt. Vnde & Iudæorum Regnum, calamo comparatur, cum per Prophetam, apparente in veritate carnis Domino, dicitur, *Calamum quaſſatum non confringet &c.* Hoc ergo loco, quid aliud appellatione *calami*, niſi mentes ſecularium temporali gloriæ deditæ deſignantur; qui tanto apud ſemetipſos intus inaneſcunt, quanto alti & nitidi exteriùs oſtenduntur: quia dum ad exteriorem gloriam per ſuperficiem defluunt, nulla intus ſoliditate firmantur. More quippè calami, intus ſunt quidem per fatuitatem vacui; ſed foris per ſpeciem & oſtentationem pulchri. Sed quanto ab eis exterior gloria ſtudioſiùs quæritur; tanto eorum corda grauioribus cogitationem ſtimulis agitantur.] Scitè in eandem ſententiam Leo 9. Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem, & Euſebius Gallicanus. *a*

a Homil. in illud. *Arundinem quaſſatam non confringet.*

XVIII. *Feræ arundinis à Roberto domitæ, hæretici: ac primùm Roſcelinus Tritheita.*

Feras ergo arundinis, Hæreticos qui ea ætate multi & periculoſi graſſabantur, edomuit pugnans ad eos Robertus; Roſcelinum Tritheitam peſtilentiſſimum fidei Catholicæ hoſtem, teſtatur Petrus Abelardus *b* à Roberto exagitatũ, vt & à S. Anſelmo l. de Incarnatione Verbi aduerſus eum conſcripto: Et meminit quoque, eiuſdem erronis, & errorum eius, Iuo Carnotenſis. Homo factioſus, excitata primum Nominalium Secta, magnas turbas Pariſiis exciuerat; vt diſcimus ex carmine de illis motibus quod extat apud Auentinum. *d* A tricis autem circa voces, eò deuenit, vt ſacræ Triadis perſonas non minùs eſſe tres res prorſus abiunctas contenderet, quàm ſint tres Angeli: Idque niſi admitteretur, fore aiebat,

b Epiſt. 27. *c* Epiſt. 7. *d* Lib. 6. annal. Boior.

vt fatendum eſſet, Patrem ac Spiritum ſanctum, non minùs carne noſtra amictos eſſe, quàm filium. Quod autem concertatoribus ſuis, (præſertim S. Anſelmo & Roberto,) impar eſſet, teſtatur Abelardus, ad hæreticorum arma conuerſum, grauaſſe eos tetris calumniis; vt genius hoſtium fidei eſt, docente S. Auguſtino, *a* cum deſunt quæ aduerſus fidem Catholicam verè opponant, vel quibus errores ſuos ſtabiliant, fingere lapſus perſonales eorum quos habent in dogmatum ſuorum peruerſitate infeſtos. Intereſt quæ hac in parte de Roberto à Roſcelino nequiſſimè violato, ad Pariſienſem Epiſcopum ſcribit Abelardus, non reticere. Profeſſus enim ſe quoque, ab hoc (vt vocat,) *Semper erecto ac ſemper inflato Catholicæ fidei hoſte antiquo, ſummo Dei inimico, & fidei labefactatore, ſolis bonis ſemper infeſto, Tritheiſmi in Sueſſionenſi Concilio à Patribus reuicto, & in exilium pulſo*, contumeliis ac minis impetitum, ſubdit. [Hic contra egregium illum præconem Chriſti Robertum de Arbroſſello, contumacem auſus eſt Epiſtolam confingere; Et contra illum magnificum Eccleſiæ doctorem, Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, adeò per contumelias exarſit, vt ad Regis Anglici imperium, ab Anglia turpiter impudens eius contumacia ſit eiecta, & vix tum cum vita euaſerit. Vult eum infamiæ habere participem, vt per infamiam bonorum ſuã conſolebatur infamiam, nec niſi bonum odit, qui bonus eſſe non ſuſtinet: qui ob intemperantiam arrogantiæ ſuæ, ab vtroque regno in quo conuerſatus eſt, tam Anglorum ſcilicet, quàm Francorum, cum ſummo dedecore expulſus eſt, & in ipſa cuius pudore Canonicus dicitur B. Martini Eccleſia, nonnunquam, (vt aiunt,) à Canonicis verberatus, morem ſolitum ſeruauerit. *&c.* Hic ſicut Pſeudodialecticus, ita Pſeudochriſtianus, cùm in dialectica ſua, nullam rem partes habere æſtimat; diuinam paginam impudenter peruertit; vt eo loco quo dicitur Dominus *partem*

a Epiſtola 137.

tem piſcis aſſi comediſſe, partem huius vocis quæ eſt *piſcis aſſi*. non partem rei intelligere cogatur. Ne quid igitur mireris, ſi is qui in Cœlum os ponere conſueuit, in terris inſaniat: Et qui Dominum perſequitur, membris eius deroget; & nemini parcat, qui nec ſibi parcere poteſt.] Profectò, vt de Prophyrio mordere & inſanire ſolito, dixit Theodoretus, cum aliquando dixiſſet ſana, *de comedente exiuit cibus*, *& de forti dulcedo*, Habet hic quoque locum circa Abelardum, impietati ac malignitati Roſcelini atteſtantem; & grauatos ab eo viros optimos referentem, non abſque inſigni Roberti à Roſcelino proſciſſi commendatione.

Epiſtola verò quam à Roſcelino in Robertum confictam ſcribit Abelardus; vel, vt cenſet Andreas Quercetanus, *a* illa ipſa eſt quæ apud Gaufridum Vindocinenſem legitur; (repræſentata à Iacobo Sirmundo, qui non niſi ex Cœnomanenſi codice eam vulgauit, quia in Codice Vindocinenſi Epiſtolarum Goffridi, iſta non compâret, vt referunt qui viderunt:) vel ſi non eſt, autore Roſcelino exarata, & Goffrido ſuppoſita, eſt alia à quopiam nugiuendo adhibita aliquali permutatione, ſtyli Gaufrido familiaris, (vt planis ac impoſtoribus aſſolet) afficta Gaufrido; Satana hanc labem, per ſuum emiſſarium Roberto capitaliſſimo hoſti ſuo affricari curante. Quæ eſt antiqua Satanæ malignitas notata a S. Cypriano, *a* purgante S. Cornelium, a probris falſò de eo diſſeminatis per Nouatianum eiúſque partiarios. Verba S. Cipriani huc perbellè cadentia ſunt. [Quod quædam de illo, (*Cornelio*) inhoneſta & maligna iactantur, nolo mireris; cùm ſcias, hoc eſſe opus ſemper Diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.] Ad eandem mentem S. Gregorium magnum refero alibi, *b* pro Leone Epiſcopo omnibus probris malignè cooperto ſollicitum.

a In notis ad eam epiſtolam.

a Epiſtola 52.

b In opere de calum. c.8.

Mihi igitur perſuaſiſſimum eſt, epiſtolam Gaufrido adſcriptam, fuiſſe inuidia Diaboli, ab aliquo plano & impoſtore ſceleratè confictam, & vt vadibilior eſſet calumnia in epiſtola exarata, Gaufrido ea tempeſtate clariſſimo fuiſſe ſuppoſitam. Et fuit ſanè Gaufridus Roberto coniunctiſſimus, nec affectu tantùm, ſed etiam effectu, vt propterea beneficium ordinis vt vocabant, id eſt participationem meritorum Ordinis Fontebraldenſis, & perpetuum anniuerſarium à morte eius celebrandum acceperit, vt habet Tabularum Fontebraldenſe (vbi de Teloneo per eum attributo Fontebraldenſibus in gratiam Roberti:) Quis ergo credat, Goffridum de viro quem ſanctiſſimum noſſet, tam male materiatam planéque beſtialem calumniam ſibi adeò præproperè perſuaſiſſe, & literis exprobratoriis commiſiſſe? Si tamen quis planè obfirmetur in præconcepta ſententia, quod ea Epiſtola ſit conſcripta à Gaufrido, dicendum erit, eam potuiſſe à Gaufrido figmentis Roſcelini alteriúſve calumniam Roberto ſtruentis, implanato conſcribi; non abſque nominis Roberti detritione; ſed duntaxat apud improuidos, & ad pauca attendentes: Adde etiam apud homines carneos, quibus ſolet incredibile videri, quantumcũque cantam virorum cum altero ſexu frequentiam, non ſine aliqua lutulentiæ aſpergine continuari. Et vbi ſemel aliquis malignè, rumorem falſum in ſuo cerebro natum ſparſerit, ægrè impeditur eius proſeminatio, etiã extra vulgus; nec niſi magno adhibito ſtudio, obliteratur, vbi primùm facta eſt diſſeminatio. Hîc Lugduni, (vt exemplo inſigni rem confirmem,) vir honoratus ac prædiues, ab homine cuius res nutabant, interpellatus de mutuo danda grandi ſumma qua labantem ſortem fulciret; Cum renuiſſet certo diſcrimini ſummam illam committere; (mox enim qui interpellauerat, euerſus eſt fortunis omnibus, atque decoxit;) per ſceleratum genus vltionis, eſt dehoneſtatus à decoctore; confingente,

Charta 275.

eius

eius filiam minorem, adactam ad cænobium, in nuptiis ſororis, cum ad Monialem noua nupta veniſſet, benè compta, & diuite mundo inſtructa, deſperatione ſtatus in quem per vim coniecta fingebatur, laqueo collum inſeruiſſe, & obiiſſe biothanatam. Qui rumor, tametſi falſiſſimus, (nam puella hodieque poſt annos circiter duodecim à ſparſo falſiloquio, ſuperſtes eſt, & læta ſemper ac ſortem ſorori non inuidens in Dei obſequio hac ipſa in vrbe perſeuerat:) tamen adeo altas radices egit, vt è multorum mentibus non ſit eradicatus; & hodiéque non pauci, (& quidem non ex fæce populi,) alta mente repoſitum teneant; exiſtimέntque reipſa probrum illud filiæ adactæ ad cænobium; & in eo præmærore de infelici trabe ſuſpenſæ atque demortuæ, honoratæ cæteroqui familiæ adhæreſcere. Quis neget malignißimè excogitatum à ſpurco hæretico Roſcelino, figmentum, potuiſſe, Vindocinum ad Gaufridum inibi Abbatem peruadere, & bibulis auribus excipi; præſertim ſi tantus ſplendor Roberti, aliena lumina præſtinguebat; ac ex Gaufridi litteris de eo incerto rumore datis combibi, non abſque Reberti iniuria? An verò nouum eſt imponi viris optimis, vt de innoxiis per obreptionem ſecus ſtatuant, quàm veritas ferat? S. Gregorius magnus (quantum nomen!) artibus Brunichildis Reginæ, vel emiſſariorum eius concitatus eſt in ſanctum Deſiderium Viennenſem, quaſi ex ore eius, Iupiter ſimul & Chriſtus audirentur, eo quod vir eo gradu, grammaticam, hoc eſt literas humaniores profiteretur. De qua abſona, & talem Antiſtitem dedecente occupatione, S. Gregorius ex relatione ſibi facta commotus, dedit literas increpatorias ad ipſum S. Deſiderium, cùm tamen vir ſanctus procul abeſſet ab ea noxa, fuiſſétque S. Gregorio impoſitum. Benedicto II. impoſitum erat, S. Iulianum Toletanum ſordere hæriſibus, quas etiam vulgato libro propalaſſet, Authorem notauerat, & librum proſcripſerat publico

publico decreto Benedictus, tenuítque ea infamatoria ſententia per biennium, vt habetur ex Concilio Toletano 15. & apud Rodericum, c.3. c. 13. & tamen tutante innocentiam ſuam, & libri ſui nitorem, S. Iuliano, Pontifex ſe implanatum faſſus, reſcidit latam ex ſubreptione ſententiam. Et idem contigit Martino V. circa S. Bernardinum, Pontifice in ſanctum virum per æmulorum fraudem & falſos rumores primùm concitato, poſtea autem errorem dedocto, & infamiam qua vir ſanctus malignè aſperſus fuerat, nouo decreto abſtergente. Alia exempla addenſo in diſſertatione *de honore iudicis*, contra eorum ſuperbiam qui cauſati ſuum honorem, ſententiam ex errore aut ſubreptione latam volunt perſtare irretractatam. Nunc ex paucis illis exemplis quæ ſignaui, ſat eſt eruere, poſſe imponi viris magnis; ita vt ſuccenſeant innoxiis, & per ſubreptionem à malignantibus inductam, dehoneſtent perſonas omninò labis puras, cuius dehoneſtationis ipſos poſtea pænitere debeat, & malè latam ſententiam retractare teneantur, ni velint apud iuſtum iudicem, eorum iuſtitias iudicari. Quod ipſis Eccleſiæ Rectoribus, circa viros optimos, ſolis falſis rumoribus grauatos contigit; quidni Gaufrido Abbati potuit accidere, circa affictam Roberto labem ex ſubreptione & nimia credendi facilitate, literis commiſſam, cum Roberti infamia?

Sed (vt dixi) ea Roberti dehoneſtatio, ſolos improuidos vellicat: cum ex multis adiunctis, etiam in Gaufridi Epiſtola ſignati; & ex ſumma fragrantia nominis Roberti apud æquales & poſteros, etiam Pontifices ſummos, &
a num. 57. ſanctitate inſignes viros, vt inferiùs a referam, conſtare liquidò poſſit, genus illud monſtroſi propudij, quod de Roberto iactatum memorat (non enim affirmat,) Gaufridus; reuera non cecidiſſe in Robertum. Huius aſſerti, mihi argumentum non inualidum ſuggerit, Roberti ſumma ſollicitudo in ſuis conſtitutionibus expreſſa, vt

Religioſi

Digitized by Google

Religioſi ſui cum ſuis Monialibus, decenter & quàm cautè verſarentur. An enim potuit aliud præſcribere, quam ipſe ſeruaret? Item vrgeri poteſt, Roberti ſub mortem exomologeſis; qua annos ſuos excutiẽs, & vmbras peccatorũ ab humili ætate ad ſeniũ ſynceriſſimè pandens, alto ſilentio, craſſam illã ſimplicitatem, periculi refertam inuoluit, retecturus haud dubiè; qua erat ſui cõfundendi cupiditate, (præ qua minutias puerilũ lapſuũ non diſſimulauit,) ſi ſe ad eum modum impegiſſe conſcius ſibi fuiſſet. In quam rem, alibi *a* iam diſputatum. Nunc quod de Roſcelino alij tacuerunt, Abelardus autem tam luculenter expreſſit, lubens arripio; eum ſcilicet, ſingularem ferum; in Robertum ſtrinxiſſe genuinum, & quem ſuis erroribus infeſtum impatientiſſimè ferebat, calumnioſis figmentis dehoneſtare tentaſſe: ſed ſtratum ac contritum à Roberto, depaſtione vineæ Domini, eſſe prohibitum.

a Lib. de Calum. ſect. 2. ſerie 1. c. 11.

XIX. *Deinde ſacerdotes concubini pertinaces in ſcelere, & dicentes malum bonum.*

Alios hæreticos, Roberti ætate Eccleſiæ Dei infeſtos, repetere licet ex Actis Bernardi Tironenſis. Et in primis ſpurcos ſacerdotes, coniugiis ſe ſe, (imò ſcortationibus ſacrilegis) implicantes, pertinaci contra Eccleſiam interdicentem infelicibus illis nuptiis, obfirmatione; adeò vt poteſtatem Eccleſiæ in iis connubiis improbandis inficiarentur, & Canones quibus vetabantur ſic iungi mulieribus, iuri naturali atque diuino aduerſari contenderent, porci mulieroſiſſimi, ac lutulentiſſimi. Non ſorduiſſent quidem hæreſi, ſed tantùm ſpurcitia hi ſacri homines, (& verè *ſacri* quia deteſtabiles, vt auri *ſacra fames*;) ſi ſtitiſſent intra ſacrilegam voluntatem connubij, quod publicè inibant, præmiſſo iuramento de nũquam abiiciendis quas in ſimilitudinem vxorum duxiſſent, vt habet Gaufridus Groſſus in Bernardo Tironẽſi. *a* Eorum tamen ſpurcitia, ad hæreſim progreſſa eſt, non modò quia vt ait S. Anſelmus, *b* velle conſuetudines Eccleſiæ conuellere, genus eſt hæreſis; ſed etiam (&

a Cap. 25.
b Lib. de nupt. conſang. c. 1.

quidem præſertim,) quia iniquitatis, arguebant legem ſanctiſſimam: Et quia honeſtum eſſe contendebant, ſacrilegè fornicari,& Groſſo teſte liberis ex nefario commercio ſuſceptis, Eccleſias tanquam patrimonium relinquere; nec raró Eccleſiam aſſignare dotem filiabus. Heu tempora! heu mores! Bacchationes huiuſmodi carneorum Clericorum in Pontificem ſanctiſſimum Gregorium VII. horrendum eſt legere apud Lambertum Schanaſburgenſem, *c* atque Bernardum, *d* & alios Gregorij Apologiſtas in Gretſeri de Gregorio collectaneis accruatos. Nec S. Leo IX. qui eum lapidem mouere porrò perrexit poſt Gregorium, indemnis ab eorum nequitia & maledicentia abiit; cuius etiam legatum, Synodi Erfurtenſis pręſidem, Archiepiſcopum Moguntinum, quod poſt ſemeſtres inducias, Pontificia iuſſa vrgens, abrumpi fæda fædera connubialia vrgeret, Cathedra exturbandũ in ipſo Concilij conclaui,& merita (vt aiebãt,) morte multandũ, decreuerunt ad terrorem eorum, qui decretum, ipſorum iudicio execrandum & importabile, imponere humeris Clericorum tentarent. Hoc erat cur Petrus Damiani, *a* indefeſſus nitoris Eccleſiæ æmulator, & talium dedecorum ſtrenuiſſimus inſectator; *hæreſim* vocaret, quæ non niſi *ſpurcitia* fuiſſet dicenda, ſi per ſolam intemperantiam deliquiſſent; hæ (vt cum Apoſtolo loquar) in ſtratis ſuis maculæ.

c In chró. ad annũ. 1074.

d In Apolo. pro Gregorio. 7.

a Opuſc. 17. & 18.

Stans ergo pro Sanctiſſimis Gregorij ac Leonis conſtitutionibus Robertus, immanibus procellis ac decumanis patuit,& frementibus ad eius conciones contaminatoribus. Ordinis ſacri; mulierculis quoque quaſi vxoribus, reuera proſtibulis, ſuam à prætenſis viris abiunctionem impatientiſſimè ferentibus œſtro Mænadico in eum conclamantibus; vitæ diſcrimen non ſemel adiit. Non ſecus ac fidus Roberti Symmiſtes Bernardus Tironenſis, Conſtantiis Neuſtriæ vrbe, quod cœlibatum ſacerdo

Digitized by Google

ſacerdotum potenter infigeret,ferè incidit in paratas inſidias,& à mulierculis earúmque auxiliaribus,propè eſt oppreſſus. Studia Roberti in hanc rem, cùm primùm à Syluestro Epiſcopo Rhedonenſi in partem ſollicitudinis vocatus eſt, Baldricus notauit: Nec procedente tempore,aliquid remiſit de ſua flagranti cura pro decore ac ſanctitudine domus Dei: Sed vegetior ſemper ac fortior; deſpuebat minas, & carnalia arma Carnalium Sacerdotum. Nam monſtroſi per omnia æui illius Sacerdotes,etiam arma tractaſſe leguntur; nec à bellis & præliis abhorruiſſe,adeò cum Spiritu carnis cohæret inhumanitas ac feritas. Imperterritus ergo Robertus, aduersùs agmina volutatorum in cubilibus & impudicitiis, procedebat, exerens arma potentia Deo. Poterat quippè cum Paulo *a* dicere; *in carne ambulantes*, Hoc oſtreo carnis circundati, *non ſecundùm carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ,non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtrunctionem munitionum*; Hominum ſe rationibus friuolis munientium aduersùs Dei & Eccleſiæ iuſſa quæ capeſſere debuerant. *Conſilia deſtruentes & omnem altitudinem, extollentem ſe aduersùs ſcientiam Dei*; Scientiam ſanctorum à Deo communicatam per Eccleſiam ſequeſtram; *Et in captiuitatem redigentes, omnem intellectum in obſequium Christi*; reuincendo errores,& ad ſalubrem deditionem adigentes, omnes rebelles lumini; *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Præfractè contumaces, gladio verbi Dei quem nobis Chriſtus concredidit,detruncaturi. Præſtabat hoc Paulus, præſtitit deinceps eius imitatione Robertus, *inceſtas ſacerdotum copulationes* (Sic nominat Baldricus,) tanquam immunditias in hæreſim degenerantes,inconciliabiliter debellans.Cur *inceſtæ* dictæ ſint *hæ copulationes*, ratio eſſe poteſt; quod ſacerdotes, fidelium ſint veluti Patres ſecundùm ſpiritum. Ideóque inceſto ſe polluere videantur, ſi cum muliere quacumque,iungantur quaſi connubio:Omnes

a 2. Cor. 10.

G 2 enim

enim fœminæ, ſunt earum in Chriſto filiæ. At cum filia ſpirituali, pacta connubialia inire, vetat lex Eccleſiaſtica; & tanquam inceſtuoſum ſacrilegium exagitatur à Petro Damiani. *a* & ab Optato in quibuſdam Donatiſtis, immanis turpitudinis inſimulatur. Eſto non ſit ea cognatio, obex ille qui lege Canonica, inter miniſtrum Baptiſmi ac Confirmationis, & horum Sacramentorum ſubiecta, contrahitur; ſed eius violatio, ad inceſtum ſimilitudinarium, non niſi latè dictum pertineat.

a Opuſc. 7.c.6.

XX. *Præterea inceſtuoſi, graduum cognationis, contra iuſſa Eccleſiæ quaſi iniuſta contemptores.*

Subeſt verò fortaſſis, eiſdem *inceſtis copulationibus* à Roberto exagitatis, alia notio, altera tetra hæreſi, grauida. Ex Petro ſiquidem Damiani, *a* nauo per id tempus Pontificum adminiſtro, & ex S. Anſelmo *b* Roberti æqualibus, conſtat; viguiſſe tunc temporis quam Petrus Damiani vocat *hæreſim*; contendentium fas eſſe, intra gradus iure Canonico vetitos, iungi connubio; & leges Pontificias *inceſti* damnantes ea connubia, irritas eſſe & iniquas. Id ergo eſſe inſuper poteſt, quod ſignatur vocibus *inceſtarum copulationum* à Roberto exagitatarum. Quamvis enim ſacerdotes, inceſtas copulationes inire dici poterant in ſenſu propoſito ſuperiùs; tamen quia non pauci, (communi cum laicis culpa, calcabant leges Eccleſiaſticas de gradibus cognationum ſeruandis, & abſtinendo à connubiis quæ ratione gradus indebiti, inceſta erant; alligantes ſibi peccata duplicia; Idcirco, ex hoc item capite, illæ ſacerdotum quaſi nuptiæ, inceſtæ erant, æquè ac nuptiæ à laicis tentatæ in ſimili gradu prohibito. Malum id temporis latè graſſans, & ab irato Deo interdum ſeuerè multatum, vt præter cæteros, qui hanc ætatem contingebat, Robertus Rex Francorum, ſuo damno teſtatum fecit. Scribit enim de eo Petrus Damiani, *a* quod ſobolem ex tali connubio ſuſceperit, collo & capite prorſus anſerino: Et cum nihilominus in ſcelere computreſceret, perculſus anathemate, deſertus à ſuis omnibus, præterquàm à duobus ſeruulis, qui

a Opuſc. 8. initio.
b Lib. de nupt. conſang.

a Opuſc. 34.c.6.

qui omnia vaſa quæ vſui Regi fuiſſent, illicò concremabant, turpe denique commercium reſcidit, & ſaniora conſilia ſuſcepit. Simili peruicacia aduerſus Eccleſiaſticas leges de Cognationum gradibus, obfirmatus Rex Danorum Sueno, cum ad fortes increpationes Adalberti Hamburgē ſis Præſulis, nequaquam auocatus eſſet à ſcelere, grauiſſimis calamitatibus ſubiacuit, quas Adam *b* in hiſtoria, ſigillatim proſequitur, attigítque etiam Baronius ad annum 1050. *c* *b* Lib. 3. c. 10. *c* n. 11.

Probauit Robertus Zelum ſuum contra aliam quoque hæreſim; ſimoniacorum dico. Nam tametſi ſimonia non eſt contra fidem, ſed contra religionem; attamen à S. Gregorio, & Petro Damiani, aliíſque Patribus, donatur nomine *hæreſeos*, vt notatum eſt in Tractatione de malis bonorum Eccleſiæ: quia mercimonium circa rem ſacram exercere, contra reuerentiam, rei ſacræ ex religione debitam; & contendere hoc non eſſe peccatum, ſordet hæreſi. At Roberti ætate, pleríque lucri odorem vndecunque bonum ducentes pertinaciter negabant, illud mercimonium eſſe illicitum; & Eccleſiæ illud vetanti rebelles, ſchiſmate eam ſcindere & dilacerare non dubitabant. Horum nonnulli, ſubtiles in ſua nequitia audire geſtientes, ſeparabant pretioſum à vili: vt duo Ducis Tuſciæ Capellani, adducti à Petro Damiani. *b* Aiebant enim ſe non emere aut vendere ſpirituale quod eſt in beneficio; Sed duntaxat temporale ei adiunctum: quod genus mercaturæ eſſe labis purum, videbantur ſibi rectè monſtrare ex calice conſecrato, cuius materia; (puta argentum vel aurum,) etiam poſt initiationem, ſine ſcrupulo diuenditur, aut emitur; abſtractione facta ſpiritualis formæ per initiationem adiunctæ. Itaque per eam diſtinctionem ablandiebantur ſibi, & Pontifices, ne eo quidem modo puram eſſe talem beneficij mercaturam docentes, auerſabantur; præfracte aſſerentes, ex ruditate ingenij, & craſſitie non ſecernente quid vendibile

XXI. *Tandem ſimoniaci; ad ſacrilegium addentes hæreſim.*

a Lib. 35. 1. c. 3. n. 6.

b Lib. 5. Epiſt. 13.

& temporale,quid ſpirituale & inuendibile ſit in beneficio, talia falsò effutiri. Alij hæreditate poſſidebant ſanctuarium Dei; adeò tupi exerratione, vt apud eos, etiam mulieres coniugio illigatæ, pinguibus beneficiis potirentur; ac etiam in Odeo ſedes Prælatorum, quaſi pro iure ſuo occuparent. Quanta fœditate,hæc laicorum in ſacra beneficia inuolatio,in Gallia ſat diu ſit graſſata, legere eſt apud Fileſacum, Opuſculo cui titulus eſt, *querela Gallicana Eccleſia.*

Hæc deformatio, aut etiam vaſtatio Eccleſiæ, Roberti quoque ætate,ac nominatim Rhedonibus cum eò Robertus à Syluestro Epiſcopo Lutetiâ eſt euocatus, graſſabatur admodùm licenter,ac immaniter. Sanctiſſimi Pontifices,ac nominatim Gregorius VII. Leo IX. Paſchalis II. omnibus neruis in huius lolij eradicationem incubuerunt,collaborantibus piis pleríſque quos diuina prouidentia in bonum Eccleſiæ ſemper excubans, pro neceſſitatibus temporum excitat. Iis annumerandum eſſe Robertum, monſtrat Baldricus; affirmans, Robertum toto quadriennio quo affuit adminiſter primarius Sylueſtro Epiſcopo Rhedonenſi, laboraſſe nauiter; *Eccleſias ab infami laicorum ancillatu liberando, quia ſimoniam penitus abhorrebat.* O parcitatem verborum! Negotium toto quadriennio,impigrè, & vt poſtea inſinuat, cum plurimorum offenſione, & graui inuidiæ contractione peractum; arctat Baldricus propè intrà vnius lineæ anguſtias. Aliud tamen ſpecimen ſtudiorum Roberti hac in parte, ſuppeditat his verbis Andreas extrema eius deſcribens, [Simoniaca hæreſis quæ Carnotenſem canonicorum Baſilicam diutiſſimè fœdauerat; concedente Gaufrido (cuius vita, noſtra quoque ætate, ſuauiſſimè redolet;) atque concedentibus à maiore vſque ad minimum, eiuſdem cœnobij Canonicis, in perpetua damnatione, per Robertum noſtrum extincta eſt. Et vt hæc peſtis execrabilis, in

cadem

eadem Eccleſia, in ſempiternum omninò damnaretur, votum quòd fecerunt, iuramento firmauerunt.] De Zelo itaque Roberti, aduersùs ſimoniacam prauitatem hæreſi cumulatam, perſpicuè liquet.

Tantùm remouenda eſt macula hoc ſydus infuſcans; quales in SS. Patribus, veluti Eclypſes luminis copioſi quo redundant, ſubinde deprehenduntur, vt Facundus *a* notauit, tractans tria capitula. Macula quam dico, ſita eſt in eo quod ſubiicio. Ipſemet Robertus in ea ſui increpatione publica, qua ſub mortem ſe perfudit, recenſens palam omnibus, quæ iuuenis peccauerat; ſe fuligine ſimoniaca aliquando oblitum fuiſſe, apertè eſt profeſſus; teſte Andrea qui ait, [Tunc confitebatur, coram omnibus ſe reprehendendo, quod dum eſſet puerulus, & comederet cum Matre, pulchriores cibos accipiebat; & dum plueret, ipſe ſiccitatem deſiderabat; & è contrario. Referebat etiam, ſe arguendo, quod dum eſſet ſecularis, in ordinatione cuiuſdam Rhedonenſis Epiſcopi, in venenum ſimoniæ ſemel inciderit.] Quæ hæc fuiſſet culpa, ægrè coniicitur. Quod tamen eodem loco referatur, Robertum ſe grauaſſe quibuſdam aliis, quæ vel peccata non erant, vel adeò minuta vt oculos non linceos effugerent, quippè atomi aut feſtucæ duntaxat culparum, non tigna vel trabes ſcelerum; coniectura eſt, Robertum pro more bonarum mentium, notato à S. Gregorio, *a* agnouiſſe labem ſimoniæ vbi reuera non erat: vel adeò tenuis inerat, vt pro nulla haberi poſſet: fortaſſis enim is Epiſcopus in cuius ordinatione ſe inquinatum gemebat Robertus; ad infulas pertigerat, corruptis ſimoniacè ſuffragatoribus qui populum mulcerent, ad eum depoſcendum in Antiſtitem. Plebi autem admiſtus Robertus, adhuc tunc ſecularis, & in humili ætate, rudis improbitatum ſeculi, & neſcius mangoniæ per Epiſcopum & ſequeſtros plebi lenocinantes adhibitæ, iunxerit vocem ſuam cum

com

XXII. *An Robertus aliquādo ſimoniacus.*

a Lib. 6. c. 5. & l. 7. c. 6.

a Ad Auguſt. Dorouern. Epiſcopū.

communi acclamatione. Quod tametſi formaliter illime, quia per meram ignorantiam inuincibiliter admiſſum; tamen Robertus recogitans omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ,id memorauerit pro contractæ à ſe luis ſimoniacæ pano. Hoc planè eſt, quod dicitur Clementina *Exiui de paradiſo* [Plerumque vbi Culpa non eſt,eam timere ſolent conſcientiæ timoratæ.] Eſt verò id ſeruis Dei frequens præſertim ſub mortem, iuxta doctrinam S. Gregorij. *a* De feris arundinis,ſiue hæreticis à Roberto profligatis,non plura.

a 21.mor. c.6.

XXIII. *Beſtiæ calami à Roberto ſubactæ, potentes ſeculi; & in primis, Gulielmus Aquitanus.*

Ad beſtias calami à Roberto ſubactas progredior; quas inter quæ maximè ferociuit,cenſeri poteſt Gulielmus Dux Aquitaniæ, & comes Pictauorum; homo tantæ potentiæ, vt trecenta armatorum millia ,in expeditionem Hieroſolimitanam aliquando coëgiſſe, prodatur ab Orderico Vitali. *b* Vitæ verò adeò exlegis, & omni honeſti cura ſolutæ, vt beſtia calami audire meritò poſſit. Malmesburienſis *c* Gulielmum ait fuiſſe *fatuum & lubricum* antonomaſticè; in cuiuſvis vitij volutabro demerſum,qui omnia fortuitò agi, feriante prouidentia exiſtimaret: In facetias & ſales effuſiſſimus erat, gurges turpitudinũ videbatur:adeò vt intra Caſtellum *Iuot*, habitacula quædam quaſi monaſteriola cõſtrui mandaſſet, ibique Abbatiam pellicum, (Sic vocabat os impurum,) abs ſe conſtitutam vellet;illam & illam,quæcumque famoſiores in proſtibulis eſſent in Abbatiſſam, cæteras in officiales promoueri decerneret. Legitima vxore ab ſe relegata,inceſtis ſpurcitiis ſe inquinauit.Item Vicecomitis cuiuſdam vxorem quam ardebat, adiunxit ſibi.Qua ex cauſa, à Gerardo Engoliſmenſi Antiſtite increpitus,& mucrone Eccleſiaſtico transfixus,deriſit omnia; & in Epiſcopi tenuem Capillum pectinis nequaquam egentem, ſcurriliter iocatus, *Ante* (inquit) *criſpabis pectine, refugum à fronte capillum* quàm Vicecomitiſſam à me abiici ſuadeas. Petrum Pictauienſem Epiſco-

b Lib.10. Hiſtor.

c Lib.4 de geſtis Regum Anglor.

pum,

pum,virum ſanctiſſimum,à quo item excommunicatione perculſus eſt, intentata & admota ad guttur ſica, ni illicò laxaret iniecta vincula, terrere tentauit. Tametſi Sanctus Antiſtes, ſimulato timore, & effandi facultate exorata,non modò ſententiam non retexuit, ſed etiam iteratò firmauit,collum furenti exhibens ad feriendum: tametſi Comes rabie in dicacitatem verſa, negauit ſe id *factu*rum,non eius amore,ſed ne virum exoſum, manu ſua cælo inferret. Poſtmodùm verò ad lupæ ſibi adhærentis voluntatem, exilio multatum, vbi fato functum, & imbre miraculorum illuſtratum à Deo audiuit,conteſtatus eſt, dolere ſe, quod non priùs ſanctam illam animam pro ſe oraturam,intuliſſet cælo. Id enim omninò ab ea rependendum fuiſſe ſibi, autori gloriæ ſuæ,irrogata non ſicca morte. Quod eius libidines, *inceſtas* vocabat Malmesburienſis, argumento eſt ſpurcam hanc ſub humana forma beſtiam, contra cognationis quoque iura peccaſſe. Theobaldus *a* certè; increpitum ab Eugenio III. Gulielmum refert, quod fratris thorum polluiſſet:& vltra triennium fratris vxorem ſibi habuiſſe præmiſerat, *b* componens cum Herode. Dicta ſunt ex eodem Theobaldo,de Gulielmi in ſceleribus immanitate quædam ſuperiùs, & alia dabit autor vitæ S. Bernardi. *c*

a Cap. 12. Actor. S Guliel.
b Cap. 1.
c Lib. 2. c. 6.

Quamvis autem calcatis ſingularium Antiſtitum correptionibus & anathematiſmis, ſatis monſtraſſet,quo loco eſſent apud eum Claues Eccleſiæ; tamen occaſione Philippi Francorum Regis, etiam in concilium Pictauienſe & Romanum Pontificem per ſuos legatos concilij præſidem, calces illiſiit. Erat Philippus Berthæ coniugis repudio, & Bertradæ Fulconis Andegauenſis Comitis,legitimæ vxoris ad ſe abſtractæ, fœdis amoribus adeò implicatus,vt in Auguſtodunenſi concilio,præſide Hugone Lugdunenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato, anathemate perculſus; iterúmque in Concilio

Claromontano, præſide vrbano II. excommunicatus, peruicaciter tamen hæſerit in ſcelere; & tametſi ad horam viſus eſt dimiſiſſe adulteram, mox tamen Vrbano defuncto, reuerſus eſt in idipſum. Sollicitus de tanto ſcandalo Paſchalis II. Vrbani ſucceſſor, per Ioannem & Benedictum Cardinales, Concilium Pictauis indicit, in quo Rex contumax vibrato tertiùm anathemate, (vt Iuretus ad Iuonem *a* notauit,) fulguritus eſt, & regnum eius vniuerſum interdicto ſuppoſitum. Conuenerant Pictauos, Patres centum & quadraginta. Aderant præter Epiſcopos, ſerui Dei complures, inter quos Robertus, eíque coniunctiſſimus Bernardus Tironenſis. Philippi damnatione audita, Gulielmus Dux Aquitaniæ, & Pictauiæ comes; ſiue rogatu Philippi cognati, ſiue ſibi timens quod in culpa ſimili parem vindictam ſibi impendêre vereretur; ſubmiſſis copiis Epiſcopos omnes & Abbates qui ad concilium conuenerant, licentiæ militari permiſit, malè multandos, aut etiam letho dedendos. Non intentabantur è longinquo fragoſæ minæ; in quo euentu, Vrbanus II. referente Malmesburienſi, *a* S. Anſelmo, poſcenti facultatem ad abiectionem Epiſcopatus, multa minante Rege Vuillelmo, dixit: [Delicati militis eſt, ante bellum fugere; nec eſt religioſi & conſtantis animi, citra vllam læſionem, minis tantùm & terroribus cedere.] Hîc iam ad facta horrida deuentum erat. Legatis enim Apoſtolicis, vrbe ſine mora excedere iuſſis; ad ſpoliationem, & flagellationem, ac cædem cæterorum, furenti Principi obaudientes milites, accingebantur. Diffugêre omnes Epiſcopi & Abbates; contra quàm multis ſanctis Epiſcopis, ad ſimiles turbines infractis, accidiſſe memorat Gelaſius Papa. *b* Et quanquam eſt probroſiſſima Antiſtiti fuga in die belli, vt Liberius Papa *c* conteſtatur; tamen in ſummis diſcriminibus, etiam fortia pectora concutiuntur, nihilque procliuius eſt, quàm vt concuſſa terroribus conſtantia, cedat

a Ad Ep. 84.

a L. 1. de geſtis Pō-tif. Anglor. *pag.* 223.

b Epiſt. 13. *Sub finem.*

c Epiſt. 12.

cedat denique, & non vano timori ſuccumbat. Itaque nemo fuit tot Antiſtitum ac Abbatum, quem trux illa beſtia immaniter emota non perterreret. Proinde omnes dilapſi ſunt, & latibula tuta captarunt. Soli, Robertus & Bernardus Tironenſis, Roberti in Chriſto germanus, intrepidi, nec aliter quàm Marpeſia cautes immoti hæſere; & ſtantes in gradu, ſententiam à Concilio vibratam, contentiſſimè buccinari perrexerunt; parati obiectu ſuorum corporum, reſtinguere impetum ignis; qui denique aſpirante Deo reſedit; Gulielmo ob imperturbatam ſeruorum Dei fortitudinem, & diſputationem Ioannis legati Apoſtolici, per viſum à S. Hilario animati, in virum alterum commutato; ita vt qui priùs ſpirabat atroces minas & cædes, Patres munere ſuo pacatè defungi, & ſiuerit, & acceptum habuerit; nominatim verò Robertum, [a] præ tantæ admiratione virtutis, quantam infracta eius mens prodiderat, charum habuerit, & ſtructa ab eo cænobia multiplici largitate deinceps cumularit. Quanquam vt ſunt ferocia ingenia ad lupatum indocilia, nec in benè cæptis adeò firma quin facilè lapſent, ſub extremam Roberti vitam, (anno ſcilicet 1117. Andreas qui aderat, refert; Robertum pro exoranda Gulielmo bona mente, vt exſolui Eccleſiaſticis vinculis poſſet, & communioni Eccleſiæ reſtitui, preces fudiſſe: quas non eſſe repulſam paſſas, benè concluſa Gulielmi vita perſuadet. Niſi enim coniectura fefellit Baronium, ſuſpicantem aliquorum oſcitantia, plures Gulielmos Aquitanos, in vnum eſſe conflatos; iſte eſt Gulielmus ille, qui denique S. Bernardi Claræuallenſis malleo contritus, ac Eugenij III. increpationibus correptus, & Sancti cuiuſdam Eremitæ monitis ſalutaribus informatus, poſt dignos pænitentiæ fructus quos Theobaldus Epiſcopus ſcriptis commiſit, cælo illatus, in tabulis Eccleſiaſticis 10. Februarij conſignari, *Sancti* titulo meruit; non exiguo efficacitatis precum Roberti argumento.

[a] **Hiſtor. Fontebr. l. 1. c. 17. *In fine.***

Iuxta alios tamen; hic Gulielmus Aquitanus à Roberto poſt Concilium Pictauienſe mollitus, non eſt Gulielmus inter Pictauienſes Comites & Duces Aquitanos nomine Gulielmi inſignitos, nonus, à S. Bernardo denique cicuratus, pater Eleonoræ primùm Reginæ Franciæ, poſtea Anglorum Reginæ, vxoris Henrici ſecundi Regis Anglorum. Sed eſt Gulielmus eo nomine octauus. Quod ſi verum eſſe admittatur, (neque enim vacat, hic extra locum in eam rem penitiùs inquirere;) nihil decedit laudibus Roberti; quia vterque ille Gulielmus iiſdem coloribus depingendus eſt; cum vterque ex lege, vita & moribus contaminatiſſimis fuerit: vterque in ordinem ſacrum ſummè iniurius, vterque honorabile connubium & thorum immaculatum fœdiſſimè inquinauerit. Itaque perinde eſt de vtrouis eadem nefaria, potenter ac ſapienter à Roberto deterſa, eloquamur.

XXIV. *Item Comes Carnotenſis.*

In altera beſtia calami edomanda, maximè enituit Roberti & fortitudo & ſapientia. Mortuo Iuone Carnotenſium Antiſtite, cum ad ſufficiendum ſucceſſorem ventum eſſet; efferbuit inter ſacrum Ordinem & Comitem Carnotenſem contentio; non ob res & domum Pontificiam quam demortuo Epiſcopo, iuris (ſcilicet,) Comitum erat vſurpare ſibi, fraudato ſucceſſore: id enim arrogatum ius, Iuo ſuperſtes, annuente Henrico Comite cognomento *Stephano*, ſuæ Eccleſiæ vendicauerat, (vt monſtrat Henrici reſcriptum, quod exhibet Iuretus; *a*) Sed ob delectum ſucceſſoris. Gaufridum enim Iuoni ſubrogauerant Canonici, cum Comes alium ad eas infulas deſignaſſet ſibi obnoxium.] Tanta ſeditio, (ait Andreas Fontebraldenſis, deſcribens vltima Roberti,) inter Clericatum & Comitem illius Ciuitatis verſabatur, vt etiam nonnulli Canonicorum, amiſſis facultatibus ſuis, iuſſu Comitis membratim trucidari timerent. Conuenerant huius rei gratia Carnotum, nonnullæ potentes perſonæ. Conuenit denique Abbas Bernardus,

a Ad Ep. 94. Iuonis.

bono

bonorum omnium memoria dignus, cuius laus eſt vſque hodie per omnes Galliæ Eccleſias. Sed omnino inutiliter.] Eſt qui hæc accipienda contendat, de Bernardo Tironenſi, non de Claræuallenſi; inde ducto argumento, quod iſte non niſi ante quadriennium iniuiſſet ordinem Ciſtercienſem; Hoc eſt anno 1113. vt liquet ex Gulielmo Abbate. Tumultus autem iſte Carnotenſis, concitatus ſit anno 1116. nec videatur veriſimile, hominem vix poſito Tyrocinio, ad ea negotia conficienda fuiſſe adhibitum. Sed qui nouit quæ fuiſſet S. Bernardi adhuc in ſeculo agentis ſuada, hîc non hærebit. Bernardi autem Tironenſis obitus conſignatur anno 1116. longè ante quàm Andreas narrationem contexeret extremorum Roberti ex qua hic locus depromptus eſt. Nam eſt contexta poſt obitum Roberti, qui contigit anno 1117. Quomodò ergo Andreas, de Bernardo Tironenſi pridem vita functo, diceret, tunc cum ipſe ea ſcriberet, Bernardum in Gallia claruiſſe, vtique prædicatione & geſtis inſignibus? Eſt ergo Bernardus Clareuallenſis, qui caſſo labore tentauit motus Carnotenſes componere. Quid audio? S. Bernardus Abbas Clarauallenſis cuius melleæ facundiæ nullus odiorum ardor obſtiterat quin reſtingueretur; qui in verbis ſuis monſtra placauit; qui ora leonis obturauit, Reges ac Principes conciliauit ne odia plurimo ſanguine exſaturarent; hîc luſit operam. Ita planè, [Nec illam ſeditionem, (ſubdit Andreas de tot magnatibus, ipſóque B. Bernardo,) iam ſedare poterant; imò inſtigante omnium bonorum hoſte, quotidiè argumentabatur. Deprædatus enim iam fuerat eiuſdem vrbis Princeps, Canonicorum domos, eóſque in Clauſtro ſuo incluſerat; & quod dictu quoque nefas eſt; præclarum illum, virum, *Gaufridum* nomine, quem Clerici in loco defuncti, in Pontificalem cathedram canonicè inthronizauerant, ab vrbe fugauerat.] Rectè, Gaufridum vocat *præclarum illum virum*. Fuit enim pri-

a L. vitæ S. Bern. c. 4.

moribus illius ætatis,in ſummo pretio : Acta S. Gulielmi Ducis Aquitaniæ, fuiſſe *plenum ſpiritu conſilij & fortitudinis*, aſſerunt. S. Bernardus hominem ſæpè ſæpiùs celebrat *a* nec non autor vitæ eiuſdem S. Bernardi, *b* & Goffridus Vindocinenſis, *c* ac Petrus Cluniacenſis, *d* & Ioannes Sariſberienſis, *e* & Nicolaus. Claræuallenſis. *f* Quem tot & tantorum illius ſeculi luminum,iudicia honeſtant & prædicant,quomodo non dignus ſede Carnotenſi ? Et tamen quid non audet armata furore potentia? Extorrem fecerat, & ſede & vrbe,talem virum Comes, ira ſuccenſus. Canonicis extrema omnia ab eo impendebant. Suſdéque turbata erant omnia. Canonici inopes conſilij,miſſa non vna legatione , Robertum tametſi,grauiter decumbentem,enixè rogant,ne grauetur Carnotum accedere,& furori Comitis, tótque ſacrilegiis finem imponere. Factum eſt. Appulſus Carnotum Robertus ; [Ad vtroſque ſecundùm ſapientiam ſibi à Deo tributam loquens , cooperante Dei gratia , totam illam machinationem Diabolicam à fundo extirpauit.] Nec mirum. [Tantam namque gratiam Dominus ei contulerat , vt eum non tantùm Religioſi quique venerarentur : Sed etiam Reges & Principes , eius imperio libentiſſimè obſequerentur. Dignum quippè erat,vt creatura diligeret illum , quem à Creatore diligi per operum indicia non dubitabat.] Itaque ad Roberti vocem, remiſit tempeſtas;& facta eſt tranquillitas magna. [Comes Clericis vniuerſa quæ abſtulerat reddidit ; & Gaufridum illum qui Canonicè ad Epiſcopatus regimen electus fuerat , eius electioni acquieſcens,in vrbem redire conceſſit,atque quod dictu quoque delectabile eſt, in anteriorem familiaritatem Canonicis ſe copulauit.] Andreas eſt , cuius verba dedi , iure demirans tantam ſerui Dei gratiam apud homines , à gratia qua apud Deum valebat, dimanantem. Et vt penitiùs introſpiciatur Suada Roberti flexanima,obſeruatu dignum eſt, Comi

a Epiſt. 15. 47. & 55.& l. 4. de conſid. c 5.
b L. 1.c. 1. & 6.& l.4. c 4.
c Lib. 2. Epiſt. 21.
d Lib. 1. Epiſt.11. & lib.4. Epiſt.4.
e L. 5. de nugis cur. c.15.
f Epiſt.14.

Digitized by Google

Comitem Carnotenſem,non fuiſſe qualemcumque Toparcham ; ſed Dynaſtam præpotentem ; qui de more magnatum,læſus videri volebat cum læſiſſet ipſe ; æmulatus Nabucodonoſorem,conteſtantem quod defendere ſe vellet,cum maximè offenderet. Itaque Comes prætenſæ iniuriæ impatiens,furebat implacabiliter in Canonicos,quia in eius ſenſa non ſe finxerant ; ita vt nec potentes de ſeculo,qui pacarij acceſſerant,audire vellet; nec religioſis pleriſque hominibus,qui ſedare illum tentauerant , aliquid daret : ac,quod me ſtupore defigit, ne ipſe quidem S. Bernardus Claræuallenſis , ſub cuius lingua mel & lac erant ; homo tanta apud omnes autoritate & gratia , & flexanimæ facundiæ gloria orbe toto decantatiſſimus, re infecta abſiſtere ea negotiatione adigeretur,adeò ſuccenſus erat iræ caminus in Comite. Viciſſim in Canonicis , (tametſi nonnihil per metum compreſſis ,) feruebat admodùm indignatio, ſacrilegis iniuriis proritata. Tantum tamen valuit Roberti ſapientia, & conſtans in vrgendo Dei negotio fortitudo, vt fœdè diſruptam vtrorumque amicitiam ſarſerit, & exacerbatos animos affuſo orationis melle leniuerit.

An in hanc ſeriem beſtiarum Calami à Roberto cicuratarum , referendus eſt *Ebraldus* , ſiue *Euraldus* à quo primariæ Roberti domus denominatio ? Eum Baronius *a* ad Chriſti annum 1117.iuuenem fuiſſe refert , genere nobilem, ſed moribus corruptiſſimum,qui ſtipatus ſicariorum manu, vias regias latrociniis infeſtas habebat ; Syluáſque tunc,ad fontem poſtea ab eo denominatum frequentes , feroci ſatellitio occupans ; denique Roberti fortibus adhortationibus mollitus , euaſerit in hominem frugi,mutatúſque ſit in virum alterum. Sunt qui addant,ab eodem , ſiue *Ebraldo* , ſiue *Euerardo* , ſiue *Eurardo* aut *Euulardo* , (totidem enim ſunt, vt obſeruat Quercetanus , *a* nominis eius oblæſines ;) Locum ad fontem vberem : inibi profluentem, Roberto eſſe attributum,

XXV. *An etiam Ebraldus.*

a num. 12. Spõd.

a Ad lib. Epiſt. Petri vener. Epiſt. 17.

butum, ad Monaſterij ſtructuram; indéque natam *Fontis Ebraldi* appellationem, à Domino in Robertum beneſico inditam. Eam tamen largitatem, & narrationem totam, ſuſpectam facit; vel etiam profligat, Baldricus; qui agens de Roberti ſeceſſu in eam ſedem, ſic eam deſcribit. [Locus erat incultus, & ſqualidus, ſpinetis obſitus & vepribus: ab antiquo *fons Ebraldi* nuncupatus; ab hominum cohabitatione ſequeſtratus: à Condatenſi autem cella, quaſi duobus diſtabat milliariis, Diæceſi adiacens Pictauienſi; Syluulam hanc ſiue dumetum, in quo Dei Noua familia, & nouus exercitus habitaret, & & laboraret, elegit (Robertus;) & dono à quibuſdam poſſeſſoribus accepit, & promiſcuos Chriſtianitatis tyrones, illuc induxit.] Pauca hæc verba, fabulam propoſitam confodiunt. Si locus ille, ab antiquo vocabatur *fons Ebraldi*, quomodo denominatus eſt ab Ebraldo latronum Principe, qui cum Robertus, tam ſero egerit? Aut quomodo locus ille, Roberto donatus dicitur à quibuſdam poſſeſſoribus, tacito Ebraldo, qui vnus erat loci illius in ſolidum Dominus, vt fert narratio quam excutimus? Acta quædam Pictauienſis Epiſcopi, exarata anno Chriſti 1106. teſtantur, eam ſedem Roberto donatam eſſe ab Aremberga, Guidonis filij Oſmondi coniuge, eiúſque filia Aleide Reueria, Berlayo de Monaſteriolo, & Hugone Grogorij filio ſecundis Dominis; & Galterio de Monteſorelli tertio & feudali domino, locum facientibus liberum, & à laicali manu exemptum. Non igitur datus Roberto eſt ab Ebraldo locus; Neque Ebraldum è latronum Principe, virum frugi effecit Robertus; proindéque inter beſtias Calami manu Roberti confoſſas, non habet ſedem Ebraldus.

XXVI. *Graſſatores à quibus ipſe interceptus.*

Explebit lacunam, manus latronum potentum in iniquitate; quos à Roberto condocefactos ad virtutem, in ipſo flagrantis delicti æſtu, proditum eſt. Rem miram ſubiecturus ſum, ſed à Petro *eximiæ religionis ſacerdote,*

(Si

(Sic enim ab Andrea nominatur ;) qui Roberto comes aderat,cum fide narratam. Adiens Robertus,Bituricenſis agri pagum , cui nomen *Vrſano* incidit in agmen latronum ; à quibus in ipſo occurſu,ſpoliati ſocij:Robertus præter morem , præ debilitate iumento inſidens, deiectus ex eo eſt , & multis contumeliis pro latronum vſu dehoneſtatus. Tentabat furentes comprimere Robertus ; & quà piis affatibus mulcendo furentes,quà intentato vltoris Dei gladio , deterrere à ſcelere. Sed quod Robertum neſcirent, ſurdis canebat. At Petrus Roberti iniuria commotus , duriùs latrones allocutus, ſic dixit. [Numquid non ſcitis, hunc hominem quem de caballo iniuſtè depoſuiſtis,Robertum eſſe de Arbriſſello, cuius odor ſuauis , redolet in vniuerſo mundo ?] Mirum dictu , vel nudum *Roberti* nomen ; ſaxea pectora emolliuit. Illicò omnes Roberto ad pedes accidunt, iniuriam deprecantes. Nec Robertus ad condonationem noxæ ſerus fuit ; ſed mutatam mentem illis gratulatus, ſpoliatores ac dehoneſtatores ſuos , ad amplexum & pacis oſculum admiſit ; Cumulauítque ea beneuolentiæ pignora , meritorum ſui cætus participatione, qua impertitos voluit,à quibus ante momentum , adeò indignè tractatus erat.Quod non ſatis percepit ſector ille qui fecit pro compendio diſpendium , cum ſcripſit. [Latronibus non ſolùm condonauit hanc culpam, ſed eleuatis illis & oſculatis aliqua bonorum ſuorum impertitus eſt.] Quod ſonat aliquam à Roberto factam recularum ſuarum temporalium diſtributionem , cum contextus apertè agat de bonorũ ſpiritualium communicatione. Andreas circa tantam hominis Dei patientiam,& facilem irarum depoſitionem,egregiè rhetoricatur. Sed mihi ſtuporem planè iniicit, latronum iam præda potientium, ſubitaria ad ſanam mentem ac pœnitentiam reuocatio,ad nudum Roberti nomen. Quod enim adhibito facundiæ & nitentis orationis melle,

Digitized by Google

leniri ac mente mutari, impij homines potuiſſent, minùs mirarer; Cum ſit non infrequens, vt effera ingenia ſuauis eloquij mulcedine capta, dulcè effantem non ſecus ſequantur, quàm olim ſyluæ ac beſtiæ pulſantem melicè cytharam, Orpheum; vel ſaxa Amphionem. At nuda nominis pronunciatione, flecti ad pænitentiam latrones; (quid ad ſceleris menſuram plenam quis deſideret?) Hoc verò non modò rarum ac inſolens eſt, ſed etiam prorſus ſtupendum; & cui vix ſit quod poſſit componi miraculum; ſiue perſonas & earum deterrimam conditionem, ſiue ſubitam mentis mutationem attendas, & qaæcunque alia facti illius adiuncta, in contentionem adducas. Roberti miracula, præter ea quæ iuxta S. Bernadum *a* cuique Religioſo ſunt quotidiana, pleraque recenſebat Baldricus, quæ SS. Auguſtinus *b* atque Eucherius *c* longè potiora cenſuerunt; vim magnam mente languidorum vegetatam; leproſorum myſticorum agmina mundata; etiam ſpiritualiter mortuos complures, vita ſuper vitas meliore redonatos: quę tantò maiora & admiratione digniora pronunciat Baldricus, quãto anima plus eſt quàm corpus. At per Robertũ concionantem, talia & tanta in animabus ad bonam frugem traductis patrata, Domino cooperante conſtabat. Sint hęc prorſus inſignia, & diuinæ manus interuentum luculenter prodentia. Ego pro ſpirituali miraculo, penſatis omnibus adiunctis ægrè adæquabili, ſtatuo; quod citra longam operam, ad nudam nominis *Roberti* prolationem, homines impij, in æſtu flagrantis maleficij, adeò flexi ſint, vt confeſtim ad pedes hominis imbecillis, quem iam equo deiecerant, prouoluerentur, tundentes pectora, & deprecabundi. Defecit hic euentus Tiofridum *a* in Opere de Epitaphiis ſanctorum, tam magnificè extollentem ſanctorum nomina, vt ea veluti grauida ſanctorum ſubſtantia pronunciet, ipsíſque ſanctorum reliquiis certo loco alligatis anteferat; cum nomen vbique

a Serm. 1. de Eccl. dedicat.
b Serm. 18. de verb. Dom. c. 3.
c Serm. 2. de Epiph.

a Lib. 3. c. 1.

ſit

Digitized by Google

ſit ad manum, & in omni loco piè adhiberi ac cœleſtem largitatem exorari poſſit. Alia addit Tiofridus de gloria nominis ſanctorum, quibus fortaſſis mollitio & benigna expoſitio ſit conſentanea. Quantum momenti collocaſſet in hoc euentu cicuratorum ſubitò latronum, ad nudam enunciationem nominis ſancti viri, ſi occurriſſet ſcribenti?

Nolo inter beſtias calami à Roberto manſuefactas, recenſere Iuonem Carnotenſem, & Bernardum bonæ vallis Abbatem, magni vtrumque ea ætate nominis. Nam quis Iuonem ignorat, Pontificibus ſummis, Regibus, totique Eccleſiæ ſua ætate notiſſimum, pietate, religione, canonum peritia, celeberrimum? Ita docet Iuonis *Pannomia*; (fędo flagitio librarius, *Panormiam* exarauerat;) omnium Eccleſiaſticorum decretorum penus refertiſſima. In veteri Epitaphio ex Briſſonij membranis, Iuo vocatur, *prima*, aut vt Seuertius ex M.S. Codice in Chronologia refert, magíſque probo, *firma columna domus domini quam iure ſalubri fouit, muniuit, inſtruxit iugiter; auxit, conſilio, ſcriptis.* Nec diſſimilia de eo Philippus bonæ ſpei Abbas, in alio Iuonis Epitaphio. Tantus ergo vir, Gallicanę Eccleſiæ veluti cortyna, cum Bernardo bonæuallenſi in agro Carnotenſi, Abbate, magni item nominis, ac religionis fama claro, diſſidebat: & tanta vtrinque flamma exarſere pectora, vt accurrentes ad leniendos animos religioſæ pleræque perſonæ, oleum & operam perdiderint; & *Dæmoniaca illa diſcordia*, (Sic appellat Andreas,) in dies magno cum fidelis plebis ſcandalo, inter tantos Eccleſiæ magiſtros, auctior efferueſceret. Aggreſſus ad eam conciliationem Robertus, non modò leniuit animos, ſuſtulítque odia; ſed quod deſperandum pleriſque videbatur, amoris redintegrationem induxit; non quidem abſquè labore magno, ſed quem benè collocatum, felicitas euentus monſtrauit.

XXVII. *Iuo Epiſcopus, & Bernardus Abbas, bonæ vallis, à Roberto manſuefacti.*

Feras arundinis, & beſtias calami, à Roberto potenti XXVIII. *Aplaria*

per Robertum multiplicia. beſtiario depugnatas,& ſtratas; efferata item pectora ab eodem mánſuetario delinita, hactenus exhibui. Nunc apiaria quæ ſtruxit ac rexit, conſideranda ſunt. Quod enim apes, neque manſueti generis ſint, neque feri, vt Plinius *a* notauit, agemus non inconſequenter hoc loco, poſt monſtratam Roberti artem in feris ac beſtiis myſticis domandis, ac cicurandis, de eodem vt apum myſticarum Curatore. Eſſe apes ſymbola religioſarum perſonarum, & aparia imaginem cænobiorum, ac præſertim Parthenonum, monſtratum non inaccuratè eſt, in Bernardo *Ape Gallica*. Et poſt eam lucubrationem, incidi in Chriſtophori Giardæ Opus iuſtum de ea comparatione, & in excurſionem Aſcanij Martinengi, *b* de eadem apum & apiariorum, cum religioſis perſonis ac domibus analogia. Apiarius itaque fuit Robertus, nec vno modo. Auſpicatus verò eſt à cætu *Regularium.* Sic enim appellabat, quos paſſim dicunt *Canonicos*, vocabulo idem ſonante, & eadem notione grauido, qua vox *Regularium*: Sed ſubingreſſa laxatio per eos qui excuſſo iugo idem nomen retinebant, adegit ad geminationem vocabuli, vt ij exprimerentur qui cum cortice vocis compoſitionem vitæ ea voce expreſſam vſurpabant; dicti idcirco *canonici regulares*: cum olim eodem ſenſu ſimpliciter dicerentur, *canonici.* Quibus ergo cordi fuit, non portare nomen vacuum, vt ſecernerentur ab iis qui ſoluti religioſæ vitæ nexibus, inanem religioſæ vitæ imaginem cortice nominis *Canonicorum* retento præferebant, *Canonici regulares* ſunt denominati. Et quamvis in ea geminatione vocis, eodem ſenſu fætæ, aliqui moroſiores vocum libratores, vt Ludouicus Viues *a* Battologiam eſſe criminantur; attamen citra ineptitudinem ſic dictos, tuentur Nauarrus, *b* Trullus, *c* Molanus, *d* Landmeter, *e* quod hîc non eſt cur nos remoretur.

a Lib. 11. c. 5.

b Gloſſa magna in Geneſim.

a Ad l. 3. de ciuit. c. 15.

b conſil. 1. de regul.

c Lib. 1. de canon. c. 24.

Principio igitur Robertus, cum plerique eius concionibus illecti & abſtracti, ſe ei adiungere, & adhærere deſi

deſiderarent, ſtatuit in agri Andegauenſis loco , ſedem ſtatuere,de qua paucis his Baldricus. [Vocati autē ſunt collecti illi, *Regulares*,qui more primitiuæ Eccleſiæ,viuere ſatagebant regulariter. Factum eſt igitur examen illud auolans de mundi lenocinio,Canonicorum congregatio. Præerat eis Robertus , docens eos mellificia more apis prudentiſſimæ. Ædificarunt itaque commune domicilium , & complexabantur diligenter monitoris magiſterium.] Poſtmodùm tamen,cum ex Vrbani II. Romani Pontificis mandato , onus diſſeminandi quaquauerſum verbi Dei , eſſet Roberto impoſitum ; nec fas ei eſſet, incolumi obedientia,hærere in eo vno loco , de conſilio Andegauenſis Antiſtitis , à Canonicis diu reniſis , ſed neceſſitati denique concedentibus , auulſus eſt : & aliorum rectione ſolutus, curas omnes in demandatam prædicandi functionem contulit.

d Lib. 1. de veteri cler. & Mon. par. 3. c. 4.

XXIX. *Regulares & Fontebraldenſes.*

Sed non diu licuit, ſolutum onere moderationis aliorum,viuere. Perbreui enim , ingenti ſe multitudine ſtipatum vidit, virorum æquè ac mulierum , aurea catena eloquij ex Roberti ore fluentis, illigatorum ; nec ab eius ductu abiungi ferentium.Quare adactus eſt, de ſede ſtabili,in qua ſeorſim viri , ſeorſim mulieres religioſam vitam exigerent,cogitare. Cúmque ſaltum Fontebraldenſem diœceſi Pictauienſi adiacentē,ſcopo in quem collimabat opportunum cenſuiſſet , exorauit ab iis ad quos attinebat , vt liceret illic pedem figere , & proprio iure poſſidere. Apoſtolici Spiritus virum,& vt Galli vocabant, *Parem Apoſtolis*, S. Martinum , cum è pago Condatenſi diœceſis ſuæ ac Pictauienſis collimitio, Fontebraldenſem vallem ſpectaret,prænunciaſſe ferunt, vallem illam tunc latrociniis infamem,& graſſatorum ſedem , futuram aliquando vallem benedictionis. Non diſſimiliter atque S. Bernardus *a vallem abſynthiatem* , (Sic appellabant) latronibus anteà infeſtam,*Claram vallem*,abiecto ominoſo nomine , dici voluit. In Fontebraldenſem ergo ſaltum,

a L. 1. vitæ c. 5.

ſuos benè multos vtriuſque ſexus aſſeclas, deduxit Robertus, & ſtructis illic raptim tuguriolis, quæ cæli inclementiam vtcumque arcerent; ſacello item conſtituto, ad aſſeruationem diuinę Euchariſtiæ, & cordium effuſionem ante Dominum; familiam religioſam, vtriuſque ſexus perſonis, ſeorſim diſpoſitis conſtantem, erexit atque fundauit. Nam *fundatorem* (id eſt autorem ſacri ordinis Fontebraldenſis,) dicendum eſſe Robertum, prout nominatur in chronico S. Albini ad annum 1116. non poteſt eſſe controuerſia. Tametſi vir ſanctus, magnificum *fundatoris* titulum refugiens, videatur ſe vocaſſe *procuratorem Ordinis fontis Ebraldi.* Quæ eius nomenclatio apud Goffridum Vindocinenſem *a* legitur; nec aliud reuera ſonare poteſt, quàm *fundatorem*, ſiue inſtitutorem & autorem ordinis, vt Sirmondus notauit. Quo pacto accipiendum videtur, quod S. Ioannes Benedictus qui vocatus eſt *Prior fratrum de Ponte*; aliquando legitur dictus *Procurator*, vt retuli in eius hiſtoria. *b* Tametſi enim aliter eum titulum ibi expoſui, tamen iſte ſenſus non eſt incommodus; ſi ſupponatur (vt ibi ſuppoſui,) Ordinem quem S. Ioannes Benedictus profeſſus eſt, fuiſſe ordinem peculiarem, ſoli pontis Curæ addictum; contra quàm ductis ex iis quæ ibi tradidi, coniecturis, aſſeruit nuper F. Petrus Saulerius, doctus ac elegans ſcriptor, *a* contendens profeſſum eſſe ordinem S. Spiritus, à Guidone montis Peſſulani Comite conſtitutum. Qua de re alibi.

a L. 4. Ep. 44 ex Codice Cænomanēſi.

b Cap. 14.

a Tract. de capite ord. S. Spiritus c. 7. ſ. 1. à n. 4.

XXX. *Roberti cura præcipua erga mulieres ad meliora conuerſas. Hæquales.*

Fuit itaque Robertus familiæ religioſæ autor; quam tametſi ex viris ac mulieribus ſeorſim collocatis compegit; præcipuo tamen ſtudio in mulierum curam incubuit. Ita enim inter tres veri Dauidis Chriſti, fortes, *Robertum Vitalem*, atque *Bernardum* conuenerat, vt memorat Gul. Neubrigenſis, *b* cum poſt aliquem diſſeminati Euangelij curſum, partes cuique ſuas, principaliùs curandas, demandaſſent; vt quamvis nullus eorum vlli

condi

Digitized by Google

conditioni aut ſexui, ſua in Domino ſtudia negaret; tamen Robertus tanquam peculiare penſum, ſuſciperet *fæminarum communi labore ad meliora conuerſarum, ſollicitudinem gerere.* Itaque cænobium Fontebraldenſe, quod præcipua cura complexus eſt, primariò addixit mulieribus; ſiue ſuo, ſiue ſociorum, Vitalis, ac Bernardi Tironenſis labore, ad meliora conuerſis, vt Neubrigenſis dixit. Caue tamen, ne primarium illud cænobium, mulieribus, è cæno meretrici alteriúſve turpitudinis educente Deo emerſis, addictum exiſtimes, quia dicuntur *ad meliora conuerſæ.* Quas enim Robertus clauſtro maioris monaſterij concluſit, Baldricus diſertè teſtatur fuiſſe labis puras ac virgines. Sed dicuntur *ad meliora conuerſæ,* quia à ſeculari ſtatu ſolutiore ac minùs perfecto tranſibant ad perfectiorem & meliorem vitam, deinceps ſanctius exigẽdam ex Roberti diſciplina. Quæ eſt notio *conuerſionis*, & in iure canonico, vt patet ex titulo *de conuerſione coniugatorum*; & idem habetur apud S. Iſidorum toto libro *de conuerſis*, nec non apud Saluianum in opere ad Eccleſiam, cui *conuerſi* idem ſunt quod *religioſi.* Neque tamen dico Robertum à ſuo ductu reieciſſe eas quæ thorum ſciuiſſent, at non in delicto, iam viduæ; aut quæ perperam ſorduiſſent, vel etiam publicæ libidinis victimæ, in volutabro luti volutatæ eſſent. Contrarium enim diſertè liquet ex Baldrico, cuius illa ſunt de Roberto, Fontebraldenſem ſaltum iam occupante. [Multi confluebant homines cuiuſlibet conditionis. Conueniebant mulieres, pauperes & nobiles, viduæ & virgines, ſenes & adoleſcentes, meretrices & maſculorum aſpernatrices.] En *meretrices* quoque, cum virginibus & viduis ac cælitibus. Omnes has admiſit Robertus Fontebraldi. Virgines tamen acnitentes, ab anteà inquinatis ſecreuit. Quæ fuit illa ſecunda ſecretio mulierum, à Baldrico memorata, cum dixit, Robertum mulieres primùm a viris ſecluſiſſe, tùm ſecundò

cundò mulieres ſegregaſſe ab inuicem, nempe fædatas collocando in ſede à nitentibus ſeparata. Itaque cum tria monaſteria vnico & perpetuo cincta muro, eſſent Fontebraldi conſtituta; vnum B. Mariæ Deiparæ, alterum B. Mariæ Magdalenæ, tertium B. Ioanni Euangeliſta adſcriptum: in primo, quod *maius monaſtrium* dictum eſt, collocauit Virgines; in ſecundo fædatas iam pænitentes; in tertio quod alio peculiari muro à duobus prioribus fœminas continentibus ſegregatum eſt, & S. Ioannis *de habitu* eſt nuncupatum, collocauit mares, qui Sacramentis adminiſtrandis, & iuuandis omni ſpirituali ſubſidio, mulieribus præſto eſſent. Quartam domum, ibidem & intra eundem muri ambitum ſtructam, & S. Lazaro inſcriptam provt initio conſtitutam, non habeo pro domo religioſa; ſed tantùm pro Noſodochio cuius fabrica aliquantulum reſiperet monaſterium, vt infra dicam. [a] In ſecunda ergo domo, ſeorſim à nitentibus primam occupantibus, locauit Robertus pænitentes, & in vſu protrito vocis *ad meliora conuerſas*; nempe è cæno turpitudinum, ad ſanctam deinceps & immaculatam vitam traductas, nec dicendas *virgines*, niſi ob viciniam Virginum, quibus cum, intra eundem murum tametſi aliquanto ſpatio diſiunctæ, concludebantur. Sicut pleræque viduæ intra Parthenones concluſæ, nomine *Virginum* ſunt aliquando donatæ, vt S. Ermenildis, & S. Monegondes iuxta alibi annotata. [a] In quibus locis hæ ſanctæ fœminæ dictæ ſunt *virgines*, Gloſſa Molani ad Vſuardum [b] habet, *virginem* ibi ſonare *monialem*, quales reuera erant illæ de quibus agimus, etiam ſi priùs in delicto corruptæ. Quibus tamen alia quoque ratione, iuxta B. Chryſoſtomum, [c] titulus *Virginum* deferri potuit; quia erant ſponſæ Chriſti; cuius coniugium non modò integritatem non minuit, ſed etiam reintegrat, & ad virginitatem reſtituit ante corruptas.

[a] num. 55.

[a] Lib. de ſobr. c. 7. pag. 203.
[b] 13. Febr. & 2. Iulij
[c] Hom. 23. in 2. ad Cor.

Ex his porrò vides, perperam aliquos dixiſſe, primum autorem

Digitized by Google

autorem domorum intra quas profligatę vitę mulieres ad meliorem frugem traductę collocarentur, fuiſſe F. Ioannem Tiſſerand Ord. Minorum; qui Pariſiis anno 1494. conuerſas meretrices adunauit. At vides, multò ante, Robertum huiuſmodi domum erexiſſe Fontebraldi: & aliam fuiſſe longè ante fratrem Tiſſerandum, Auenione erectam, liquet ex diplomate Gregorij XI. dato anno 1376. quo vt retuli in S. Ioannis Benedicti historia, *a* Pontifex addixit partem oblationum illatarum ędiculę B. *Mariæ de Spe*, domui B. *Mariæ de miraculis*: & degentibus in ea *gubernatrici & ſororibus repentitis, nullum ordinem profeſſis*. Erat ea ędes, eo ipſo in loco vbi nunc eſt cœnobium Patrum Minimorum; vnde ad maiorem ſecuritatem, ne ob loci infrequentiam & ſemotionē ab vrbis parte populoſa, periculo paterēt, tranſlatæ ſunt ad ædem ſacram S. Georgij; quæ nuper, exemplo fortaſſis non bono, conuulſa erectione prima, excluſis pœnitentibus, ceſſit, Monialibus alterius inſtituti iis agentibus qui ſua inde compendia per familiæ exonerationem ei excluſioni pœnitentium repenſam, captabant: Sed hoc nunc nō ago, contentus notaſſe longè ante Tiſſerandum, fuiſſe in Gallia reſipiſcentium proſtitutarum cœnobia. Id quod etiam pridem à S. Bernardo Maſſilienſi, (*Beltramum* vocat Barboſa & ex eo Tamburinus *a*) miſerarum ſaluti conſulente, curatum; notatur in Maſſilienſium Annalibus. Extra Galliam, præſtitum quoque id lego, à S. Auxentio vt eſt in eius Actis apud Surium, *b* & à S. Eliſabetha Luſitana ex Vaſconcello *c* res eius deſcribente; & longè anteriùs à Theodora Iuſtiniani coniuge, referente Procopio in hiſtoria arcana, *d* & pleniùs in opere de ædificiis Iuſtiniani. *e* Vbi locum ait dictum μετάνοιαν. Latinè *Pœnitentiam* dixeris. Plura in hanc rem, in Mantiſſa ad S. Mariam Ægyptiacam.

Quid ſi verò prænobile in Gallia cœnobium Mar-

XXXI. *Error de Tiſſerando, primo monaſteriorum ad emerſas excipiēdas autore.*

a Cap. 13.

a Diſp. 7. de iure Abbat. quæſ. 6.

b 14. Febr.

c num. 19.

d pag. 75.

e Lib. 1.

ciniacenſe,initio,ac cum à S. Hugone Cluniacenſi erectum eſt, cænobium emerſarum è cæno turpitudinis fuiſſe dicatur? Videri poſſint hoc ferre quædam verba S. Hugonis *a* Epiſtola ad Moniales Marciniacenſes. Sed non puto ea verba eſſe crudè accipienda; verùm mollienda eſſe, & *mulieres peccatrices ac pænitentes*, quibus S. Hugo ait ſe illud cœnobium erexiſſe,fuiſſe mulieres vanitatem ſeculi calcantes,atque ad meliora conuerſas, quales iuxta Neubrigenſem, erant Fontebraldenſes maioris cænobij. Nam nobiles quoque fæminæ, in quas ea probra manifeſta non ſolent cadere, vltrò Marciniaci receſſum ſibi eligebant, vt patet ex ſtatutis Iacobi de Ambaſia Abbatis Cluniacenſis, quæ refert Quercetanus *b* in Notis ad Petrum Cluniacenſem. Perſpicuèque etiam habetur ex Actis S. Hugonis, inſertis Bibliothecæ Cluniacenſi, *c* Piiſſima item matrona, Petri Mauritij mater *Rauguarda*, Marciniacum ſe recepit, quamvis neſciſſet thorum in delicto,& eam vitam iam in ſeculo viueret, quæ extra nuptiale commercium cui erat vi coniugij initi alligata, poſſet non dedecere Monialem. Itaque non annumero cœnobium Marciniacenſe, cænobiis ei conſimilibus, quod à Roberto Fontebraldi, titulo B. *Mariæ Magdalenæ* erectum dixi; ſed eius geminum fuit, quod nitentibus ſub nuncupatione *B. Mariæ*, eſt inibi conſtitutum.

a In Biblio. Cluniac. *pag.* 494.

b Pag. 87.

c Pag.410.

XXXII. *Decora Fontebraldenſium monialium. Diſcuſſum, an concluſæ, primæ omnium.*

Mirum quantoperè ex Roberti inſtitutione floruerit in tripertito Fontebraldenſium monaſterio,omnimoda ſanctitas, & religioſa perfectio; vt meritò grauiſſimi eius æui ſcriptores, in eius laudes ſint effuſi, eiúſve tutelam atque defenſionem aduerſus infeſtos captauerint. Legendus Suggerius Abbas S. Dyoniſij, ſcribens ad Eugenium III. exſcriptus à Sirmondo ad Goffridum Vindocinenſem. *a* S.Bernardus ſcribens pro Fontebraldenſibus ad Epiſcopum Pictauienſem, *b* Hildebertus, *c* Gulielmus Tyrius, *d* Iacobus de Vitriaco in hiſto

a In notis ad 1. Ep.

b Ep.200.

hiſtoria Occidentali: *e* Ab iis & aliis eius æui ſcriptoribus, eximiè celebratur vigens per omnia in ipſis primordiis, (tametſi plerumque informia adhuc & rudia ſunt initia, vt Tertullianus *a* admonuit,) religio & pietas Fontebraldenſis. Et quod mirabile admodùm eſt, cum multæ accurrerent (Baldrico teſte) & nobiles & magna cum teneritudine enutritæ, tamen ſupra ſexum fortes, dura quæque, ſiue quoad victum & veſtitum, ſiue quoad cubile & habitationem, alacres ferebant; ita vt per eas non inuideret Occidens gloriæ quam S. Chryſoſtomus *a* Monialibus Orientalibus deferebat. Præfatus enim de Monachis illuſtria quædam, ſubdit de ſacris virginibus. [Et quid de viris dico? Puellæ nondum viginti annos natæ, quibus omnis illa ætas in thalamis & delicato otio conſumpta eſt, in thalamis in quam, odoriferis vnguentis, ac ſuauiſſimo thymiamatum odore plenis; quæ in lectis teneris decumbebant, teneræ & ipſæ natura, multóque & accurato cultu molliores factæ; quæ totos dies, nihil aliud habebant operis, quàm ornare ſeipſas, aurum geſtare, multíſque deliciis frui; ne ſibi quidem ipſis inſeruientes, ſed plures circa ſe famulas ad omnia promptas habentes; quarum veſtes teneræ, ipſo etiam corpore teneriores, linteáque tenuia & delicata erant, quæ in roſis etiam ſimilibúſque fragrantiis, continuè verſabantur, iſtæ mox vt igne Chriſti correptæ ſunt omnem illam mollitiem delicatámque naturam exutæ, educationíſque pariter ac ætatis ſuæ oblitę; velut generoſi quidam Athletę, proiecto quicquid molle erat, in media certamina proruperunt. Et videor fortè incredibilia dicere, ſed vera ſunt. Adij quippè ego ipſe eas virgines, olim quidem ita vt dixi enutritas, quę ſeipſas tamen poſteà tam auſterę diſciplinę dediderunt, vt indumenta piloſis aſperiora nodis imponerent corporibus, & plantis aliquando admodùm mollibus, iam nudis incederent, her-

e Ep 79. *d* L. 14. belli ſacri c. 1. *e* cap. 20.
a Lib de vel. virg. c. 1.
a Serm. 13. in ad Eph.

Digitized by Google

bidóque thoro cubarent; Imo maiorem noctis partem, in vigiliis inſumerent; & vnguenti alicuius, neque alterius cuiuſpiam eorum quibus olim aſſueuiſſent, curam haberent; ſed caput etiam, adeò quondam diligenter curatum & ornatum, iam ita negligerent, vt capillis eſſent temerè ac negligenter vinctis, in eum duntaxat vſum, vt indecorum ac turpitudinem vitarent. Menſam verò haberent paupertinam duntaxat; menſam inquam, nec olei, nec panis; ſed ſiliginis, fabarum, cicerum, oliuarum, & ficuum. Opera verò earum, continuum lanificium, & quę duriora eſſent, quàm quę famulę domi pręſtarent. Quid enim? corpore laborantium curam ſuſceperunt, lecticas baiulantes, pedéſque abluentes; quin etiam pleręque illarum, coquinę inſeruiunt. Tanta poteſt ignis Chriſti; adeò ſcilicet mentis alacritas naturam ipſam ſuperat.] Recognoſco in Monialibus Fontebraldenſibus ex Roberti inſtitutione formatis, & has à Chryſoſtomo exhibitas.

In tanta ſolidorum decorum vbertate quantam nunc attigi, & ſigillatim poſtea perſequar, manifeſtum eſt, fruſtra conſectanda eſſe nonnulla ab aliis prolata, non ſatis ſolida. Quippè vt Caſſianus *a* rectè notauit, dedecori potiùs eſt decus indebitum; & æquè malè vertit affecta exornatio, quàm vituperatio: fuerunt ergo qui inter decora Parthenonis Fontebraldenſis reponerent; quod primę Fontebraldenſes, ex Roberti informatione, concluſionem ſuſceperint, intra Parthenonem quod veritate nõ ſubnititur, etiam reſtringendo ſermonem ad moniales Gallicanas. Quod addo, quia non modò in Oriente (vt patet ex Canone 44. Trullano,) vigebat longè ante Fontebraldenſes, Monialium intra Monaſteria concluſio, ægrè laxabilis; qualem item in Africa indixit Concilium Carthaginenſe tertium cui S. Auguſtinus interfuit, & in ſua Regula *a* pro Monialibus conſcripta probauit: ſed etiam in Gallia ante

a Lib. de Incarn. c. 2.

a Ep. 105.

Fontę

Fontebraldenſes Leomanus, vt eſt in actis S. Eugerdi, fœminas *Monaſterio conſeptas*, id eſt concluſas, licet incluſus, regebat. Sanctus item Cæſarius, *b* rigidiſſimam Monialium concluſionem indixit, ita vt etiam Baſilicam tunc Monaſterij finibus concluſam, adire vetarentur. Quod conſideratum oportuerat ab Archibertario Hectore Gabalitano qui informans Moniales quaſdam, autor fuit ſpecie pietatis, vt gratia altaris exornandi, poſſent templum exterius, ad eam horam clauſum ſubire; calcato decreto Gregorij XIII. qui in conſtitutione cuius initium eſt, *Deo ſacris*, edito anno 1572. firmans, conſtitutionem Bonifacij VIII. cap. *cum periculoſo*, de ſtatu Regular. in 6. eam templi aditionem monialibus prohibuit, eo quod omnia loca quæ ſeculares ſubire poſſunt, extra fines clauſuræ monialium cenſeantur; ſicut è contrariò loca quæ monialibus ſunt conceſſa, nequeunt à ſecularibus adiri abſq; clauſurę vidatione. Sed de hac re alibi; & videri poteſt Gibalinus *c* hoc eruditè confirmans in Tractatione de Clauſura, à quo hæc heteroclita pietas in violatione clauſurę, perſtingitur. Nunc tantùm conſidero, clauſuram arctam, ſuis Monialibus à S. Cęſario longè ante exorum Fontebraldenſium fuiſſe perſcriptam. Non igitur primę Fontebraldenſes, etiam in Gallia, Clauſuram perpetuam obſeruarunt, vt parum ſolidè in earum laudibus ponebatur.

b Cap. 2. & 50.

c Diſquiſ. c. 2. §. 17. conſectario 2.

Imo fuiſſe intra Gallias, Moniales pręter Cęſarianas, quæ ante Fontebraldenſes clauſuram ſuſceperint, ętiam rigidiorem, facile eſt probare. Nam moniales Marciniacenſes à S. Hugone Cluniacenſi conſtitutę ante Fontebraldenſes, clauſuram, & quidem rigidiorem ſuſceperunt. Obiit S. Hugo anno Chriſti 1108. octogenario maior, cum pridem Monaſterium Marciniacenſe fundaſſet, ciúſque confirmationem diplomate Vrbani II. factam: exhibet Cluniacenſe regeſtum, cum domus Fontebraldenſis à Roberto primùm conſtituta proda-

 tur,

Digitized by Google

tur, anno 1106. Atqui Marcinianenſium concluſionem, agnoſcit, & mirè collaudat Petrus Cluniacenſis *a* illius æui ſcriptor nobiliſſimus; teſtatus, Raingardam matrem ſuam, mutata voluntate quam ex Roberti informatione ſuſceperat, eundi ad Fontem Ebraldi, cum primùm exſoluta eſſet à lege viri; eo defuncto præelegiſſe Marciniacum; eo quod ibi, [poſt primum Clauſtri ingreſſum, more illarum ſanctimonialium extra pedem protendere nefas ducebant.] Quę dicebat ſancta fœmina, paulo poſt Roberti obitum. Erat igitur Clauſura Marciniaci; & quidem arctior quàm in Fontebraldenſi monaſterio, poſt Marciniacenſe conſtituto. Idem Petrus *b* ſcribens ad Heloiſam, ex ea rigida concluſione collaudans Marciniacenſes *bellatrices*, (Sic appellat,) ait; [In iucundo Marciniacenſi carcere, ancillas Dei, libertatem cæleſtem expectare incluſas.] Et agit de omnibus illìc degentibus Monialibus; quod monendum fuit ne quis inducatur in errorem, ex eo quod in Cluniacenſi Bibliotheca dicitur de Marciniacenſibus Monialibus; *a* [Duos ordines tenere noſcuntur, vnum clauſtralium, alterum incluſarum: vnum quo Cluniacum imitantur, alterum quo Eremum æmulantur. Vnum cænobitarum, alterum Anachoretarum, vnum quo viris æquiparantur pro viribus ſuis; alterum quo viros præcedunt & ſemetipſas vincunt; in eo quod immobilem ſtationem in clauſtro agunt, & à thalamo Chriſti, cui ſemel inhæſerint, non appetunt ſeparari.] Non eſt ſenſus horum verborum, duas fuiſſe Marciniaci Monialium ſeries; & quaſdam incluſas fuiſſe, alias non item; ſed in clauſtro vixiſſe citra concluſionem. Quis hoc admittat? ſenſus ergo verborum propoſitorū eſt, inſtitutum Marciniacenſium, & perfectionem clauſtri, & perfectionem vitæ anachoreticæ complexum eſſe; & fuiſſe vtrumque æquiualenter. Omnes itaque Marciniacenſes, abſque diſtinctione, erant Clauſtrales

a Lib. 2. Epiſt 17.

b Lib. 4. Epiſt. 22.

a In collecta de S. Hugone pag. 456.

ſtrales incluſæ, vt patet ex eodem Petro, *a* qui alio loco, poſt multa de inſigni perfectione illius Parthenonis, addit. [Inter quæ vniuerſa bona ſua, ſingulari penè & ante inaudita gratia, perpetuo ſe carcere damnant; ita vt poſtquàm ſemel facta ſecundùm regulam profeſſione, corpori Monaſterij ſociatæ fuerint, nunquam qualibet neceſſitate, non dico ſepta murorum, ſed nec ipſas in quibus commorantur, regulares domos tranſgrediantur. Hanc ipſæ ſibi idcirco more aliarum ſanctimonialium, equitandi vel deambulandi licentiam, præcepto Abbatis ſui interdixerunt, ne aliqua occaſione, vel mundus in eis videat quod concupiſcat, vel ipſas aliquid noxium, ſaltem in excurſu videre ſeu audire compellat. Nam eum quem à mentis ſuæ intuitu prorſus abegerunt, ipſis quoque corporalibus oculis videre contemnunt. Sic enim iuxta Apoſtolum, mundus eis mortuus eſt, & ipſæ mundo; quod nunquam qualibet occaſione ab aliquo videri poſſunt: quia ab ipſo ingreſſu quo ad religionem ſuſcipiuntur, velo quod eis ex more imponitur, oculos habere velatos, & facies circumtectas; ipſum velum quaſi pro ſudario vſque ad diem obitus in memoriam & præparationem exitus ſui, circumferentes. Ea propter, Clauſtro ſalutari concluſæ, & (vt ſic dicam,) vitali obrutæ ſepultura, pro præſenti coarctatione, ſempiternam latitudinem, pro ſepulchro beatam reſurrectionem expectant. Vnde priùs mori quàm egredi; ante occumbere quàm limen deſignati oſtij tranſgredi elegerunt.]

a L. 1. mirac. c. 22.

Confirmat iſta Petrus, prolato inſigni exemplo fidei earundem Monialium; quæ graſſante incendio, cauſatæ ſuam de perpetua concluſione Deo obſtricta voluntatem, ne mandante quidem Hugone Lugdunenſi, Apoſtolicę Sedis legato, exire domo, & flammis ſe ſubducere voluerunt. An ſatis conſultò detrectarint in eo euentu, legati Apoſtolici, imperium, non inquiro:

Deus

Digitized by Google

Deus tamen aſtipulari religioni earum viſus eſt. Fides enim ex qua operabantur,& iuſſio eiuſdem legati mandantis in Dei nomine regreſſum flammis, ancillas Dei certo exitio ſubduxit; quæ vt ibidem Giſſa inter Moniales primaria conteſtata dicitur, nunquam inde vel paſſu pedis (vt ferebat Abbatis ipſarum pręceptum,) quacumque vrgente neceſſitate, exire fixum haberent. Quam Petrus Cluniacenſis,vocat [ſingularem penè & ante inauditam earum gratiam.] Non igitur primę Fontebraldenſes incluſionem ſuſceperunt;cum aliquanto anteriùs vigeret Marciniaci;& quidem cum accuratione planè ſingulari.Qualis item in eo alio Monaſterio viguit, è quo per totos annos triginta,Monialisquantavis phyſica vi adhibita,extrahi nulla ratione potuit, vt narrat Cardinalis Vitriacus,proloquens ad Acta B. Mariæ Oegniacenſis.

XXXIII. *Silentium apud Fontebraldenſes admirabile.*

Eſto verò, præiuerint tempore,& fortaſſis nonnullo rigore ea in parte ſuperauerint Marciniacenſes; Fuit in quo Fontebraldenſes,& Marciniacenſibus,& omnibus (auſim dicere,abſit verbo inuidia,) omnibus planè, quæ vnquam in Eccleſia Dei fuerunt Monialium cænobiis,iure fuerint anteferendæ.Neque enim nouum eſt, Sacra inſtituta tam multiplicia,ſapientiſſimè,vt variis palatis ſapiant à Deo prouiſa (iuxta præclaram B. Antonij, *a* ac Theodoreti *b* diſputationem,) ſe habere (vt phraſim philoſophicam retineam) ſicut excedens & exceſſum. Vnum, hac religioſa obſeruatione pręcellere; puta diuturnæ cum Deo conuerſationis, aut laudis perpetuæ; Alterum de ea perfectione concedens, exercitatione alterius cuiuſvis perfectionis ſuperare: puta aſperitatum grauium vltronea ſuſceptione, inediis,chameuniis,& id genus aliis pietatis inſtrumentis, ſupra vſum cæterorum frequentatis. Inter ſingulares igitur religioſas obſeruationes Fontebraldenſium, ex Roberti inſtituto,vna notanda venit,propè incredibilis,

a Ep. 1.ad Arſenoitas.
b Sect. 26. & 27. hiſtor.Relig.

bilis,

bilis,& accedens ad miraculum; quam verbis Vuillelmi Malmesburienſis *a* repræſento. [Robertus de Arbriſſel,omnium huius temporis ſermocinatorum,famoſiſſimus & profuſiſſimus; tantum, non ſpumea,ſed mellea viguit eloquentia, vt hominibus certatim opes congerentibus, illud egregium ſanctimonialium monaſterium apud fontem Ebraldi conſtrueret, in quo tota ſeculi voluptate caſtrata, fœminarum Deo deuotarum, quanta nuſquam, multitudo in Dei feruet obſequio. Nam præter cæterarum illecebrarum abdicationem, quantum illud eſt,quod in nullo loco loquantur,niſi in capitulo, propoſita à magiſtro peremnis taciturnitatis regula? quia ſemel laxato ſilentio, fœminæ pronę ſunt ad muſſitandum friuola.] Quid audio? Fœminæ, non niſi certo loco ora ſoluunt,& quidem qui non adeò frequenter adeatur, cuiuſmodi locus eſt in Monaſteriis, *Capitulum.* At eſt fæmina animal loquax & garrulum, vt D. Chryſoſtomus *a* obſeruauit. Rationem reddens cur Paulus *b* mulieri ſilentium in Eccleſia indicat. Garrulitati item fœminæ aſtipulatur S. Hieronimus, & S. Auguſtinus *c* veluti proprium eſſe quarto modo loquaces eſſe, fœminis tribuentes.Ipſe ſequior ſexus id de ſe fatetur apud Comicum, *d* nullo in ſeculo repertã eſſe dicens mulierem,mutam;id eſt non garrulam, non loquacem. Nec tantùm (vt habet adagium,) tres mulieres, præ loquacitate nundinas faciunt, id eſt ſtrepunt & garriunt,ac verba fuſiſſimè terunt,vt fit in nundinis ex magna perſonarum frequentia; ſed vel ab vna ſola, iuxta Satyricum. *e*

a L. 5. de geſtis Reg. Angl.

a Homil. 5. in ad Timo.

b 1. ad Tit. c. 2.

c 4. ciuit. c. 19.

d In Aululan.

e Iuuen. ſat. 6.

--- verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelues & tintinnabula dicas,
Pulſari. Iam nemo tubas aeque æra fatiget,
Vna laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.

Ad quod tamen, contentiſſimùm clamorem fatua Gentilitas adhibendum exiſtimabat. Eſt itaque genus

Digitized by Google

mulierum,loquaciſſimum. Nec Moniales immunitate huius probri gaudent, cum ipſæ quoque,ſint fœminæ. Poſt atque huius rei exemplum apud creditum Auguſtinum, *b* veriùs Anſelmum. In tanta ergo mulierum loquacitate,quàm ſtupendum eſt, Fontebraldi ex Roberti inſtituto,adeò rigidè ſeruatum ſilentium, vt non niſi in capitulo, quo non admodùm frequenter conuenitur,ora ſoluerentur? Nec verò paucæ erant, Fontebraldi moniales, ſed omninò multæ. Robertus ipſe, Baldrico teſte, vltra trecentas in vnico maiori monaſterio incluſit. Quid trecentas?Sugerius *a* ſcribens ad Eugenium III. teſtatur, ferè initio conſtituti cænobij Fontebraldenſis,ſanctimonialium ad quatuor aut quinque millia in eo vixiſſe. Et ita perſpicuè agit de vnico loco,vt non poſſit admitti gloſſa aliquorum, exiſtimantium ſermonem fuiſſe Sugerio, de variis locis ad quæ Ordo Fontebraldenſis diffuſus eſſet.

b De vita Erem. ad ſoror. c. 3.

a Sirm. ad l 4. Goffridi Ep. 32.

Terret aliquos tanta numeroſitas mulierum Fontebraldi adunatarum, ſi ea vox de vno illo loco qui ordinis caput,eſt,accipiatur. Quomodò enim mulierum quinq; millia,vno loco contineri valeant?Itaquę malunt ſic Sugerium accipere,vt agat de toto ordine pluribúſque parthenonibus,quibus ab illo principe,nomen Fontebraldi ſit inditum. Nec aliter ſeptem millia monachorum ſub S. Pachomio eodem tempore viuentium accipiunt Hieronimus, Palladius, Sozomenus], Nicephorus, & alij annotati ab Alardo Gazæo. *a* Sed verè in vno cęnobio plures quam Fontebraldi ſignarit Sugerius,vitam agere potuiſſe,& verò egiſſe,exempla confirmant. Neque allegabo monaſteria Æthiopica, ex vera (ſcilicet qualis Lucianica) Ludouici Vretæ hiſtoria. Fingit iſte pluſquàm Cteſias fabulator,eſſe in Abbaſſia præter cœtera,duo ſui ordinis Prædicatorum cœnobia, quibus nomen de *Plurimaius* & *Alleluia*: in quorum priore,nouem millia Religioſorum degant, in poſteriore

a Ad l. 4. inſtit. caſſia. c. 1.

ſteriore ſeptem millia. Addit, eſſe ibidem cœnobium quinque Millium. Monialium eiuſdem ſui ordinis. Imò, quod impium eſt, eadem fingendi licentiâ, multos cælites ſui ordinis cælo infert, quos Syluanus Razzius, ac Antonius Balinghen, & congeſtor exemplorũ ad catecheſes, ab hoc plano implanati, pro veris ſanctis habuere. Vt mirandum ſit, adeò furuum, & tanti damni librum, nondum illatum eſſe in album nigrum. Hæc ergo populoſiſſimi cœnobrij figmenta dimiſi. Sed neque allegabo, decem millia Monachorum, & viginti millia Monialium, Oxyrinchi vrbe Thebaidis eodem tempore degentium, Ruffino teſte. *b* Potuerunt enim varia cœnobia incolere. Adducendus ergo mihi potiùs eſt Caſſianus, *c* cuius hæc ſunt verba de vnico monaſterio. [Tabenneſiotarum in Thebaide eſt cœnobium, quanto numero populoſius cunctis, tanto conuerſationis rigore diſtrictius, ſiquidem in eo, pluſquam quinque millia Fratrum ſub vno Abbate reguntur; tantáque obedientia hic tam prolixus Monachorum numerus, omni æuo, ſeniori ſuo ſubditur, quanta non poteſt apud nos, vnus vni, vel obedire pro medio tempore, vel præeſſe.] Quid ergo cauſamur confuſionem, ſi Sugerij cortex verborum ſeruetur, neceſſariò vnum cœnobium implicaturam? Non eſt item quod quis cauſetur, nulla ſupereſſe tot & tantorum ædificiorum excipiendæ ei multitudini parium idea. Quod enim Baldricus prodidit. [Abrenuntiantium tantum creuit examen, vt numerus penè fuerit innumerus. Nec tam innumeram copioſitatem, præparata capiebant tuguriola.] Erant ergo caſulæ permodicæ, in quibus ſacra familia conſtipabatur.

b L. 1. vitæ PP. cap. 5.
c Lib. 4. de Inſtit. c. 1.

Tam confertam ergo mulierum multitudinem Fontebraldi adunatam, obmutuiſſe, & ſiluiſſe à bonis, extra capitulum quo infrequentiùs conuenitur; iterum dico, propè miraculo eſſe poteſt. Et fas quidem erat, extra

capitulum, innuere per ſigna quid quæque vellet; de quo loquendi modo, Monachis olim ad menſam vel poſt completorium recepto, eruditè Haëphtenius. *b* *Loquentem geſtum*, vocat Sidonius, *c* hanc dactylogiam de qua Poëta. *a*

--- mirabilis eſt ars,
Quæ facit articulos, voce ſilente loqui.

b L.6. diſq. tract. 3. diſq. 11.
c Carm. 23.
a Lib. 4. Epigr. cũ de Pantomino.
b L.8. Ap.
c Cap. 38. reg.
d In vita.
e L. 3. vitæ PP. occident.

Sannis Eraſmi *b* patuere, ob hæc ſigna adhibita, Benedictini, ſed pluris apud quemcumque cordatum erit, autoritas S. Benedicti, *c* ſignorum vſum ſuper menſam indicentis, ſiquid ex neceſſitate poſcendum ſit. Itémque vſus & praxis ſanctorum, vt S. Odonis, *d* ſed maximè S. Roberti *e* aliorúmque multorum, quos tantoperè æmulati ſunt Monachi S. Amandi, vt Abbati ſuo dicam impegerint, quod [In loquela digitorum neſciret exprimere fabam, caſeum, oua: vel in talibus errantes, corripere, vel corrigere negligeret, vel contemneret.] Hoc ergo genus multæ loquelæ, adhibitum Fontebraldi extra capitulum, haud grauatè concedo. Sed quàm operoſus ac moroſus eſt is loquendi modus? Quàm multis affatibus temperandum eſt, vbi alius reciditur modus ſenſa mentis enunciandi? Itaque poterat miraculum videri propè perpetuum Fontebraldi, inter tot fœminas, vigere arctum ſilentium; quæ quanta ſit peccatorum obſtructio, quanta ad omnem pietatem, & præſertim ad familiarem cum Deo conuerſationem expeditio; docet Patrum res Aſceticas tractantium accuratio, in ſilentij commendatione, ne euaporet cum verboſitate, (etiam de rebus bonis,) calor pietatis, iuxta Diadochi monitum: *f Primum diſciplinæ ingreſſum*, ſilentij obſeruationem, ſtatuit Caſſianus. *g* Legendus inſuper Richardus, *h* Victorinus valéntque ea monita maximè ad ſexum natur aloquacem. E contrariò ſilentium omnes virtutes ſeruat & extollit. Optimè agens cum Agnete Imperatri-

f Cap. 70.
g Collat. 14 c. 9.
h Suo cap. 19. in Cāt.

ce

ce quæ ſeculum abiecerat Petrus Damiani. [Dum ſtrepitus humani ceſſat alloquij, conſtruitur in te per ſilentium, templum Spiritus ſancti. Hinc eſt quod de Iſraëlitici templi conſtitutione, ſacra teſtatur hiſtoria, quia malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo Domini cùm ædificaretur. Templum quippè Dei per ſilentium creſcit, quia cum mens humana per exteriora ſe verba non fundit, in ſublime faſtigium ſpiritualis ædificij ſtructura conſurgit; tantóque ſuccreſcens in altiora ſuſtollitur, quanto per ſilentij cuſtodiam circumcluſa, ſeſe extrinſecùs fundere prohibetur. Cuſtos enim iuſtitiæ, ſilentium. Et per Hieremiam dicitur, *bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini. Bonum eſt huic viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua : ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe.* Solitarius planè ſe eleuat ſuper ſe, quia mens humana dum intra ſilentij clauſtra vndique circuncluditur, in ſuperiora ſublimis erigitur ad Deum per cœleſte deſiderium rapitur, & in amore Dei per ardorem Spiritus inflammatur, & tanquam fons viuus dum per verborum circulos fluere hinc inde non ſinitur, vndis excreſcentibus in alta cumulatur. Templum ergo tui pectoris, nunc per ſilentium creſcat, virtutum ſpiritualium tanquam cæleſtium lapidum in te ſtructura conſurgat, vbi ſupernus ille ſponſus quem totis viſceribus diligis, velut in thalamo ſuo, delectabiliter conquieſcat.] Itaque mirum non fuit, tanti ſilentij cœnobium, omni ſanctitate & puritate, ac nitore morum floruiſſe; & quod à ſacra virgine expoſcebat S. Baſilius, *d* velut ſi viuas Dei ſtatuas & ſimulachra ſpirantia, cerneret, non ſecus afficeretur, quiſquis tales Dei ancillas conſpicabatur.

L. 7. Ep. 6.

a Cap. 7. *b* Collat. 14. c 9. *c* Cap. 19. in cantic. *d* Lib. de virginit.

Adhuc hæremus in veſtibulo. Nèc dum penetralia ſubiimus. Inibi virtutum Reginam charitatem, & omnia bona pariter veniſſe, cæteras inquam virtutes omnes

XXXIV. *Inibi, ver virtutum aliarum.*

omnes, dulci neceſſitudine nexas, pacem Dei, omnem verò radicem amaritudinis, offenſiones omnes & offenſionum initia ſuſpiciones, abominationem denique quamcumque deſolationis, à loco ſancto exulantem, deprehendemus. Quantus ibi in orationibus feruor, in pſalmodiis collectio? quanta cum Sanctis Angelis conuerſatio; quàm iugis aſpiratio ad æterna? quantus neglectus caducorum omnium? Omninò fas fuit Fontebraldi agnoſcere antiquiores in Græcia à Sancto Gregorio Nyſſeno repræſentatas, totius ſanctimoniæ ſacras Virgines, cum Macrina ipſius Nyſſeni[a] & S. Baſilij Germana degentes, quas his depingit virtutum omnium coloribus. [Talis erat earum (Sacrarum Virginum) vitæ ratio, tantáque in ſapientiæ ſtudio præſtantia, & tam grauis viuendi diſciplina, vt nulla deſcribi poſſit orationis facultate. Quales enim ſunt animi, qui corporis vinculis ſoluti, moleſtiiſque liberati, ex hoc vitæ carcere auolauerunt, talis erat earum vita; quippè quæ ab omni rerum humanarum vanitate aliena, ad Angelorum vitæ ſimilitudinem proximè accedebat. Non ira, non inuidia, non odium, non ſuſpicio, inter eas cernebatur. Omnis honoris, gloriæ, & aliarum id genus inanium rerum cupiditas; omnis faſtus & ſuperbia, & reliqua ſimilia vitia, inde reiecta erant. Delicias ſuas in temperantia collocabant, gloriam in eo putabant ſitam, quod notæ eſſent nemini; diuitias, quod nihil poſſiderent, quódque terrenas omnes copias tanquam puluerem à corporibus ſuis excuſſiſſent: Nullum autem non inane ſtudium eſſe ducebant, quod in hac vita curanda colendáque poneretur. Sola illic rerum diuinarum vigebat cura, perpetuúmque precandi ſtudium, & aſſidua pſalmorum decantatio, quæ nullo vnquam tempore nec die nec nocte intermittebatur; vt in ea re, & opus ipſarum pariter & quies conſiſteret. Quænam igitur humana dicendi vis, hanc viuendi rationem:

[a] In opere de vita Macrinæ ad Olympiam.

tionem explicare queat? Erat ipſarum vita, inter humanam cæleſtémque naturam interiecta, vtriuſque particeps, vtrique finitima. Etenim quatenus ab humanis perturbationibus ſe vindicarat, hominis conditione præſtantior erat. Quatenus autem in corpore cernebatur, & hominis continebatur figura, & ſenſuum inſtrumentis vtebatur, Angelicæ & corporis experti naturæ cedebat. Auſit forſitan aliquis, etiam non inferiorem eſſe, contendere; quandoquidem cum carne viuentes, ad ſimilitudinem vacantium corpore poteſtatum, onere corporis non premebantur, ſed excelſa & ſublimis erat earum vita; quippè quæ alto erectóque animo cum cæleſtibus illis poteſtatibus verſabantur.] Hæc erat facies Fontebraldenſis Parthenonis, ex Roberti inſtitutione. Quod ſi Eucherius *a* Aſcetas Lerinenſes, Ægyptios Patres Galliis intuliſſe gratulatur, quia eorum decora bellè exprimebant, quidni idem de Aſcetis Fontebraldenſibus dixerim, quoad laudatiſſimas illas ſacras virgines?

a De Laud. Eremi n. 26.

Recido cætera, vt finem orationis reperire aliquando liceat, ſed æditimas, (vt ſic dicam) myſtagogas ad charitatem, ſitam in intimis penetralibus, præterire religio eſſet; paupertatem Euangelicam pro Deo adamatam, puritatem Angelicam, obedientiam exoculatam, & ad omnia pro maiorum voluntate flexibilem quibus religioſo votorum nexu firmatis, manu ducimur ad charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis; quia hominem Deo, fini ſuò vinculat, & iam ex hac vita, (quantum fas eſt,) beatitate afficit. Tres ergo illas quas dixi, ad charitatem & arcem perfectionis veluti myſtagogas, attingamus, ſed perparcè.

XXXV. *Paupertas inſignis Fontebraldenſium.*

Paupertas, ſin minùs ſpecialis virtus, (quod ſanè ex ſe non habet, vt alibi contra Aureolum eſt diſputatum, rectè autem conſtitutum eſt cum Scoto & Armacano, qui ait, *eam opinationem eſſe puerilem*;) attamen eſt ma-

gna

gna diſpoſitio ad virtutem,& magna exſolutio perſonæ à pedicis peccati & à turbine curarum per quas pietas euerteretur. Et idcirco à Gulielmo Pariſienſi, *a* confertur cum vallo: quia ſicut vallum eſt vacuitas arcens hoſtes,& muniens domeſticos; ita paupertas quaſi vacuitas terrenæ ſubſtantiæ, materiam omnium propè vitiorum remouet; ſtabilitque in ſancta quiete qui eam amauerint. Immenſus eſt in paupertatis Euangelicæ encomio,Gulielmus ibi,poſt Chryſoſtomum,*b* & Athanaſium:*c* ac proinde fruſtra ac indecorè huc aduocaretur exornator Philoſophicæ paupertatis, Ethnicus *d* & magus, depellens probrum paupertatis ſibi impactum. Paupertas ergo Euangelica, Chriſti monitis ſæpè, & quod potentius laudationis genus eſt, factis à vitæ initio vſque ad finem celebrata; de ſanctorum ſenſu fomes humilitatis & totius ſanctimoniæ mater, cuius è contrario nouerca eſt vbertas rerum caducarum, mirum quantum Roberto cordi fuit, vt quos in ſuum conſortium admittebat,alio nollet vocari nomine quàm *Pauperum Chriſti*. Et quia iuxta inſignem S. Baſilij *a* Philoſophiam, [vitæ ſtudiis & exercitiis aſſimilatur anima; & qualia facit,talis etiam formatur,& iiſdem configuratur.] (Ex indumento ſiquidem & vaſis domeſticis, ac vſu eorum quæ adiacent, trahitur animi vel elatio vel demiſſio;) volebat Robertus omnia quæ in vſu ſuorum erant, prædicare paupertatem; id quod poſtea B. Franciſcus, S. Bonauentura *b* teſte infixit ſuis. Ædes earum humiles, quæ cæli inclementiam arcerent duntaxat; non etiam magnificentiam oſtentarent, veſtes quales pauperibus congruerent; cibi viles nec ferè alij quam ex oleribus & pomis: hæc enim intelligo nomine *frutetorum* quibus Baldricus, Robertum commiſſos ſibi Chriſti pauperes pauiſſe teſtatur, priuſquàm nouale Fontebraldenſe proſciſſum eſſet,& facta in eo ſementis. Quæ tamen Dei bonitas erat, excitabán

a Lib. de mor. c. 9.

b Serm. 18. ad Hebr.

c In Actis S. Sincleticæ. c. 5.

d Apul. in Apolog.

a Homil. de humil. ad finem.

b In c. 6. regulæ.

citabantur diuino impulſu è vicina ora quàm plurimi, ad ſubmittenda ſubinde, ancillis ac ſeruis Dei, neceſſaria. Et quamvis nullus cenſus ſtatus ſuppeteret, tamen vndecunque affluebant neceſſaria, non ad victum ac veſtitum duntaxat, ſed etiam ad ædificandum, & aduenas pauperes fouendos, ac excipiendos cum charitate: diuitibus pleriſque certatim beneficentiam in Roberti apiarium expromentibus; ſaluandi ex eo ſubſidio, ad modum Gabaonitarũ, vt ſcitè diſſerit Origenes, *a* Vel vt Rupertus *b* ait, ſunt huiuſmodi diuites, ligna campi, ſaturanda vberi benedictione cæleſti, ac etiam affluxu temporalium, quia illic nidificant paſſeres, qui non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater cæleſtis illos paſcit, interuentu diuitum de ſeculo, in quorum largitate nidulantur. Nec abludit Cæſarius, *c* dicens pauperem Monachnm in diuite, eſſe ſicut vitem in vlmo. Itaque Roberti domus, in adeò arcta re propria, & ſumma egeſtate; fortuitis, imo diuinitus prouiſis largitatibus ſecularium, nihilo minùs ad ſufficientiam abundabat, quàm ſi amplo cenſu annuo fuiſſet inſtructa.

a Homil. 10. in Ioſue.
b In vita S. Heriberti c. 12.
c Hom. 24.

Nec prætereundum videtur in tanto monialium confluxu, accurrentibus vndecunque ad Robertum, inſtitutionis gratia puellis, ac mulieribus ad meliora aſpirantibus, nuſquam fieri mentionem dotis, ſuppeditandæ cænobio ex ſe pauperi, ad ſuſtentationem congruam, vti nunc vbiuis aſſolet, factúmque iam olim aliquando fuiſſe, liquet ex Actis S. Ioannis Eleëmoſinarij, *a* vbi refertur, Monachum conquiſiſſe ſtipem, ad collocandam mulierem in Monaſterio. Hic vſus nimiùm quantum nunc inolitus, tempore Dyoniſij Richelij, calculo plurium Academiarum, ſimoniæ inſimulabatur. Exhibet iudicia illa doctorum Dyoniſius; *b* conniſus omnibus neruis, eam (vt putat,) prauitatem, à Parthenonibus ablegare. Alij præterea, etiam à

a Cap. 23.
b Lib. 2. de Simonia.

a §. 9 à n. 135.
b In Apol. pro reg. S. Franciſci q. 18.
c L. de bono vid. c. 11.
d Homil. 9 de pœnit.

Dyoniſij æuo, mangoniam ſimoniacam in pactione de ea dote agnoſcunt adducti in Tractatione de Religioſo negotiatore; *a* quibus adiungendus eſt S. Bonauentura *b* in euentu cooptationis puellæ ob dotem. Qui omnes, tantum abeſt vt aliquid euicerint, vt potiùs in dies vrgente auaritia, quæ peculiare eſt Monialium malum (vt perpulchrè tradit S. Auguſtinus, *c* & S. Chryſoſtomus, *d*) creſcat dotis pendendæ quantitas; adeò vt alicubi, facilius ſit puellam in Matrimonio, quàm in monaſterio collocare. Quid quod, vltra dotem, (vt vocant,) alia pleraque, vt puellæ cooptatio fiat, in ſacrarij, ac triclinij vſum exiguntur, quæ ſummam pecuniæ non modicam abſumunt? Item vltra dotem, *penſio* (vt appellant) *vitalitia*, dum puella ſuperſtes erit, conferenda à cognatis depoſcitur; quæ à timentibus neceſſitati puellæ, non grauatè plerumque loco dotis obtruditur, admodùm ſuccenſente Timotheo; (ſic ſe nominauit Saluianus,) in opere ad Eccleſiam, quod conſcripſit pro non fraudandis liberis religionem capeſſentibus, parte hæreditatis ac ſubſtantiæ quæ illos contingit. Nolo iſta ad ſeuerum examen vocare, & vlcus plerumque abditum premere. Nam etiam in collatione dotis ad ſuſtentationem puellæ, ſi cænobium aliũde ſit benè à facultatibus inſtructum, cerni ſimoniã, Suares *a* confirmat: & videtur omninò verum, vt dicto Tractatu de Religioſo negotiatore *b* monſtratum eſt, etiam ſi multi diſſentiunt apud Tamburinum. *c* Nec prætextus qui obtenditur, (vt ſcilicet è ſuperfluo huius cænobij, fiat alibi nouum cænobium,) videtur purgare labem talis cooptationis; qua de re alibi. Hîc ſatis eſt annotaſſe, Roberti domum tametſi pauperem, & nullo ſtato cenſu conſtitutam, grauatam verò multitudine tanta Monialium, ſanctæ paupertati, citra dotium & penſionum ſubſidia expacto captata, vel admiſſa, inhæſiſſe: à lepra autem ſimoniæ, omníque eius

a L. de ſimonia c. 17.
b §. 9. n. 149.
c De iure Abbatiſſ. diſp. 5. quæſito.

eius vicinia & vmbra, non obſtante ſumma penuria, procul fuiſſe. Nimirum vbi Euangelica paupertas ex corde diligitur, (Quod Robertus Chriſti exemplo faciendum omni ſtudio commendabat;) nullæ tales ſordes, ſin minùs apertè cœnoſæ ac reprobæ, at ſaltem periculoſæ, vel vt minimùm, nitorem ac ſplendorem religioſæ paupertatis deterentes, locum habent.

XXXVI. *Caſtitas earundem Angelica.*

Iam Caſtitas, alterum perfectionis comparandæ in religioſo ſtatu ſubſidium, voti nexu firmatum; fruſtra ſit dicere, quanta accuratione Fontebraldi ex Roberti inſtitutione, coleretur: Cum etiam Parthenones minùs cœteroqui compoſiti, nec perfectionis adeò exquiſitæ, putorem Caſtitati aduerſantem omni cura refugiant; & benè hac ex parte audire, ſollicitiſſimè affectent. Et vix ſanè aliud expectari poterat in Roberti familia, quàm vt omnes illic degentes, pro Angelis, præ ſancto corporis & animæ nitore haberentur, iuxta expreſſam in virgine, Angeli formam, de Theodori Studitæ *a* ſententia: Nam cum luxuria, appendix atque acceſſio ſit ſaginæ, iuxta Tertullianum *b* qui id confirmat ex vicinia in corpore ventris ac partium in quibus libido dominatur; apud Roberti autem alumnas, ea eſſet corporis emaciandi cura, quam vidimus; Non potuit ibi non efflorere perfectio plena, nitorque pudicitiæ; ita vt eſſent omnes quod præfert vox Græca, *virginem* ſonans. Siquidem, vt ſcitè obſeruauit Anaſtaſius Sinaita, *a* apud Græcos *Virgo* dicitur. παρθένος: quam vocem ait perinde ſignificare atque πῦρ θανών; *ignis extinctus*, Tametſi enim aquam igni non affundas, ſi tamen ligna & alia quæuis pabula ſubtrahas; ſeipſum exedens illico marcet ac extinguitur. Haud aliter contingit circa impurum ignem, cuius fomenta ſunt, ciborum lautitiæ, & poculenta, & aliorum ad feruorem corporis facientium vſus, vt S. Hieronymus *b* ſæpè admonet ſacras virgines. Eodémque recidit quod Gregorius Nyſſenus

a Catech. 35.
b L. de ieiunio *in fine.*

a Cap. 2. ὁδηγ.
b Ep. 8. & 22.

c Lib. de virginit. c. 19.

nus *c* Virginem componit cum tympano, quod exſuccum atque aridum eſt, ac proinde benè ſonans & canorum. Similiter enim virgo, procul à locis humentibus Behemotho frequentatis, per Xerophagias & tenuem corporis curationem degens, melos ſuauiſſimum edit Deo; quia non adhibet corpori, quæ concentum obtundant, & mulcedinem ab illis veluti fidibus exiſtentem imminuant.

Verùm hæc vigentis apud fontem Ebraldi ſanctitudinis corporum argumenta, tametſi idonea; ſunt tamen eiuſmodi, vt ſtupore non defigant lectores. Volo exemplum ſubiicere ad quod tinniant ambæ audientium aures; & hæreat attonitus quiſquis tale facinus inaudiuerit. Suppeditat ſpecimen adamatæ Fontebraldi ſupra communem morem *Sanctificationis*, (ſic corporis nitorem appellat Apoſtolus, *a* Ioannes Valenſis, *b* ſcriptor grauis, ex ordine Fontebraldenſi, alius à Ioanne item Vallenſi, aliàs *Galenſi*, Ord. Minorum. Exemplum eſt peraffine alteri apud Moſchum exarato. Viſerat cænobium Fontebraldenſe, Princeps, cuius nomen preſſum eſt, & defixis curioſiùs in vnam ſanctimonialium oculis, non ſecus ac Holophernes viſa Iuditha, *captus eſt in ſuis oculis*. Oculi oculis indiderunt amorem, nec qualemcumque, ſed incenſiſſimum, quo correptus ac exæſtuans, nihil niſi ſpeciem quæ illi cor transfixerat, cogitabat. Eam interdiu, eam de nocte voluebat animo. Itaque aliquo poſt tempore, ex aulicis vnum ſubmittit, qui *Amatæ*, (vt Ethnici loquebantur,) vt nos Chriſtiani appellamus, *Sanctimoniali*, aut *Moniali*, ſalutem abs ſe diceret, veriùs qui lenocinaretur, & aditum muniret ad optatos amplexus ſacrilegos. Intellexit virgo quod illis cineribus ſuberat, & ſciſcitata ecquid in ipſa Princeps cenſuiſſet amore dignius, audiuit ab aulico, raptum fuiſſe à ſpecie oculorum, qui velut gemina ſydera in eius vultu micarent. Tantillas inducias ad reſponſum

a 1. Theſſal. 4.
b Illuſtrat. in Can. Canticor.
c In Limonario cap. 60.

ponſum Principi dandum popoſcit pia virgo; & digreſſa ab aulico, arrepto cultello, ambos ſibi oculos effodit, & diſco impoſitos perfert ad aulicum, tranſmittendos ad Principem. Profeſſa, quando nihil in ea ſupra oculos ſuſpexiſſet, potiretur ſanè ad ſatietatem, deſiderabilibus ſuis. Cohorruit ad virginis facinus aulicus; & qui procatum vel lenocinatum venerat, rediit transfixus animo, ad tam inſolitum facinus. Nec minùs Principem pupugit audax heroinæ huius factum: qui tactus dolore cordis intrinſecùs, quod ſua intemperantia tantum incommodum ſponſæ Chriſti creaſſet, ſpurco amore in ſanctum verſo, exarſit in tantæ virtutis amorem. Quis dubitet eum fuiſſe eodem ſenſu animi, quo in ſimili euentu, procus Virginis Scotæ, cui nomen *Triduana*; de qua in Scotorum ſacra hiſtoria Dempſterus? *a* Tranſmiſſis enim ad ſe luminbus effoſſis, exclamauit; *a* L. 18. n. 1112.

Heu quo iure oculi, virgo fortiſſima pœnam,
Quam meruere mei, ſuſtinuere tui:

Ita eius potentis proci quem pia virgo aliter repellere nequiuerat, ſenſum expreſſit Baſtidæus Poëta Gallus. Æquè igitur culpauit ſuos oculos, purgauit autem ac celebrauit virgineos, Princeps de quo agimus: qui quia oculos reſtituere non poterat, penſauit damnum in alio genere, collatis cænobio inſignibus muneribus, excitatíſque ad ægrarum vſum ædificiis; fortaſſis in quibus virgo exoculata exciperetur, orbitatem ſuam ea commoditate ſolatura. Legi varia caſtarum Virginum ingenia, ad pudoris indemnitatem. Romildæ impuriſſimæ matris degeneres filiæ, in graui pudicitiæ periculo ab Maribus; crudorum pullorum carnes ſub mammillis faſcia religarunt, vt iis calore putrefactis, fætor exiſteret, qui amatores Barbaros à contrectatione tam putentium corporum auerteret, vt reipſa contigit, referente Paulo Diacono. *a* Affini item *a* L. 4. de geſt. Longob. c. 12.

 ſtropha,

Digitized by Google

ſtropha,virgo libidinoſis ad inquinationem data, ſimulato in locis contagioſo ac fœtidiſſimo vlcere,arcuit procos illos ſpe explendæ turpis cupiditatis poſt curationem deluſos: vt Nicephorus retulit. *b* Apud quem alia, promiſſo militi pudicitiæ eius infeſto, ſi intactam dimitteret,vnguine quod in prælijs, & vbiuis alibi, omnes impacti gladij ictus obtunderet, periculum facere in ſuo iugulo lito hortata,validè intorta bipenni, capite minuta,vitam amiſit, pudicitiam ſeruauit. De Braſilla Dyrrachienſi,caſtitatem ſimili artificio tutata,meminit Franciſcus Barbarus. *c* Quæ ſe denaſarint, vel labro abſciſſo, alitérue dehoneſtato vultu, hoſtibus pudicitiæ imminentibus exoſas fecerint,multæ referuntur, vt S. Eba apud Baronium. *a* Et S. Oda apud Philippum bonæ ſpei Abbatem. *b* Suo tempore Virginem illibatæ Caſtitatis ſtudioſiſſimam, ne ad nuptias vi adigeretur, naſum ſibi amputaſſe,ſcribit Galfridus adductus in Tilmanni allegoriis,in c. 18. Iſaiæ. Virgines cænobij Edeſſeni, vt pudicitiam in tuto locarent, naſo, ac ſuperiori labro reſciſo,& altero oculo perfoſſo, ſe dehoneſtaſſe refertur in narratione de tranſlatione Reliquiarum B. Mamantis, intexta Bibliothecæ Floriacenſi. *c* Ptolemaide item à Saracenis capta,Clariſſas ibi degentes,pudicitiæ ſuæ metuentes,vt ab hoſte ſpernerentur, mutuis vultus fœdaſſe vulneribus, ideóque ad vnam omnes gladiis impiorum occubuiſſe,ſcribit Volaterranus, *d* clarorum Franciſcanorum facta perſtringens. Prædictarum virginum laudem in tanto amore Caſtitatis, nolo deterere. Auſim tamen affirmare, ſi vita præ cæcitate eſt viua mors,(quod in cæcitate oculata, *a* fuſè monſtratur ex intercluſis officiis, ſine quibus vitæ vſus eſt morte amarior; ſi item nullum aliud corporis membrum cum oculis de dignitate & vtilitate poteſt contendere; Eò clariùs micuiſſe in virgine Fontebraldenſi,integritatis à principe periclitantis amorem,quod ſibi

b L. 7. c. 31.

c L. 2. de re vxoria c. 6.

a Anno 870.

b In vita eius.

c Cap. 4.

d L. 21. Antrop. log.

a n. 33. & ſeqq.

Digitized by Google

ſibi ipſa oculos exculpſit, quò pretioſior eſt viſus incolumitas ſpecioſitate corporis, ac alterius partis incolumitate. Alias hac ipſa fortitudine claras, quibus pudicitiæ flos, pretioſior ac charior oculis fuit, retuli agens de ſobria alterius ſexus frequentatione, *b* quæ nunc non regero, contentus ſignaſſe heroinæ Fontebraldenſis ingenium in tuendo illibato, nitore corporis, ex quo de aliarum eiuſdem cænobij flagranti ſtudio erga eandem virtutem, ex Roberti informatione concepto, liceat pronunciare.

b Cap. 16. *pag.* 589.

XXXVII. *Euerſio Beatricis, an Fontebraldenſiū labes.*

Neque eſt quod in contrarium opponatur, euerſio Beatricis Monialis, de qua Cæſarius. *c* Per improuidam namque cum Clerico familiaritatem, poſt aliquod tempus generoſæ obſiſtentiæ, fracta conſtantia, confregit iugum; & per annos quindecim in cæno turpitudinis conuoluta, miſerante Deipara cui impensè addicta erat, & quæ per Angelum in ſpecie & forma Beatricis, munus cuſtodis Eccleſiæ quod ei erat concreditum, toto illo tempore obiri curauerat; ad cor denique reuerſa, nemine præter ſacerdotem conſcientiæ arbitrum, tantæ calamitatis conſcio, priores maculas, per pœnitentiam & multas de ſe ſumptas pænas exterſit; & ſanctè in cænobio vitam concluſit. Scio Chryſoſtomum Henriquem, hanc Beatricem ſuis Ciſtercienſibus adſcribere, & referre, eam obiiſſe in Hannonia, in Monaſterio de Oliua, propè Montem Mariæ, ibíque claram miraculis, religioſæ plebis officiis frequentari. Sed vt non diffitear, eam Beatricem Hannonienſem claruiſſe virtutibus, & poſt lapſum reſipuiſſe; (hoc demus referentibus,) tamen Fontebraldi vixiſſe aliam Monialem in quàm cadat propoſita narratio; inde confirmatur, quod ita ferat vetus inibi traditio, cuius notæ hodiéque viſuntur ad ſepulchrum Regum Anglorum. Euerſionem ergo Monialis qualem deſcripſi, admitto Fontelbraldi contigiſſe: ſed neque eſſe, cur hic lapſus aduersùs Fontebral

c L. 7. c. 35.

braldenſium nitorem eximium obtendatur ; vltrò dando, (quod tamen Cæſarius non dixit,) fuiſſe Beatricem, Parthenonis Fontebraldenſis Monialem. Hoc dato gratis, in promptu eſt reſponſio Theologi, *a* ex perſona Virginis, pleraque in laudem ſtatus ſui prælocutæ.

a Iambico de Pudicit.

At corruerunt, dixeris, quidam. Malè
Tibi ſit, legis qui debiles, non optimos.
Illi probrum ſunt, nam ſibi; hi nobis decus.
Dirámne propter grandinem, tellus coli
Seríque vitis deſinit? Quid? littori
Pontúſne cunctos applicat, quos accipit?
Longinqua verò quid ſequor? cum Phoſphoro
Vtrum Angelorum ſunt ſimul lapſi chori?
Quid? nónne Chriſti Carnifex, Iudas fuit?
Apoſtoli verò decus? Quin tam mala
Tu nuptiarum cogitas, furta & thori,
Adulteratur queis amor, & queis genus?

Neque tamen propterea, probrum paucarum refunditur in coniugalem ſtatum: ſimiliter ergo, præter omnem rationem eſt, ruinam vnius Virginis, probrũ totius cœtus facere. D. Auguſtinus de hoc argumento egregiè diſſerit; cum alibi, *a* tum in pſalmum 99. in vnaquaque inter Chriſtianos profeſſione reperiri docens & bonos & malos, veros & fictos, grana & Lolium: Et ideò vbiuis, vnum ait aſſumendum, & alterum relinquendum, nec tacet de ſanctimonialibus. [Inuenies (inquit,) ſanctimoniales indiſciplinitas. Nunquid ideò ſanctimonium reprehendendum eſt, &c. Nunquid propter virgines malas, damnaturi ſumus & Sanctas & corpore & Spiritu? Vndique vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.] Plenè in hanc rem, in Tractatione de Apoſtaſia. *a* Et benè quoque Caniſius, *b* refellens ſpurcum hæreticum Petrum Vermilium, qui mulieres excubantes ad oſtium tabernaculi, filiorum Heli ſacrilegiis

a Ep. 137.

a Cap. 2.
b L. de B. V. cap. 12.

giis

giis pollutas, Monialium chriſtianarum colloquentium maribus,imaginem ſtatuit.

Obedientiam ad ſummum faſtigium extulit inter ſuos Robertus, eius ſtudio flagrans ſupra communem modum. Nam obedientia (iuxta Petrum Cellenſem,) fundamentum eſt,præter quod nulla firma eſt religio. Ideóque S.Columbanus obedientiæ ſtudium omnibus aliis præponendum ſtatuebat. Apud cæteros Religioſorum inſtitutorum autores, paſſim id infigi,legas. Et optimè quoque apud Philippum bonæ ſpei Abbatem,e qui obedientiam per omnes rerum ordines à Deo conſtitutam, pulchrè tradit. Quanto igitur magis in familiis ordinatiſſimis, cuiuſmodi ſunt religioſæ, nomen *Ordinum* inde aſſecutæ, par eſt,virtutem, cuius neceſſitas cum dignitate & vtilitate certat, teneri quàm accuratè ac diligenter? Perſpexit hoc Robertus. Et idcirco fuit huius virtutis inter ſuos promouendæ ſtudioſiſſimus. Nec contentus vulgari eius exercitatione, nouum quippiam ingenioſè eſt machinatus, cuius nullibi ante eum viguit vſus; ac ne cogitatione quidem deſignatum vſpiam puto. Eſtque eiuſmodi, vt minùs attentis,improuidè inuectum videri poſſit.Quare haud perfunctoriè agendum de eo eſt.

XXXVIII *Fontebraldenſium obedientia ſuperexcellens; ex virorum ſubiectione ad mulierem.*

c Ep. 137.
d Cap.1. regulæ.
e Lib. de obed.Cleric.c.1.

Mulierem,& natura,& lex diuina, viri dicto audientem eſſe debere, docuerunt.Cui enim inauditū illud ad primam mulierem,vnáque ad cæteras pronunciatum? *Sub viri poteſtate eris. Et ipſe dominabitur tui.* 70. habent. *Ad virum conuerſio tua*: quod eſt dicere, à viro pendebis, eius ductum ſequeris,ad eum recurres in omnibus, & cunctos nutus eius obſeruabis, oculis in eum ſemper intenta; ſicut Oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, vt videant quid indicet faciendum, illúdque exequantur. Quod recolens fœmina nequam, in quam S. Ephrem ingrediens vrbem incidit,interrogata à Sancto Ephrem,quare adeò figeret in ipſum oculos;

Digitized by Google

reſpondit, pro tali fœmina ſapienter. *Figo in te oculos* (inquit,) *quia ad te conuerſio mea; Ex te enim ſumpta ſum; ideóque à te pendere iuſſa, oculos ad te obuerto. Tu verò qui de terra ſumptus es & caput meum factus, demitte in terram oculos, non in fœminam, cuius nutus explorare non teneris.* Ex eo porrò quod mulier ſit ſub viri poteſtate, eiúſque ductum lege naturæ ſequi debeat, ſequitur etiam, eſſe in viro reſpectu mulieris vim coercitiuam, vt inſinuant S. Chryſoſtomus, *a* & diſertè tradit Suares. *a* Ita enim inſinuatur verbo *dominandi*, & clarè habetur ex vi directiua firmata viro, per illa verba *ſub viri poteſtate eris.* Nam vis directiua abſque coercitiua, eſſet planè inefficax, & irrita. Cum ergo vir, quia mulier ex eo habuit originem, & præcellit iudicio ſupra fœminam, eius director & quaſi tutor, ex ipſa naturæ conditione ſit conſtitutus; correctionis quoque, & iuſtæ punitionis, (ſi res ferat,) facultatem iure naturæ obtinet. Quare Rupertus, *a* præfatus, etiam Gentiles hunc naturæ ordinem agnouiſſe, concitatur in aliquas gentes barbaras; quæ ſicut cætera, ita & hunc naturæ ordinem confuderunt; vt mulier ſine capite, id eſt ſine viro ſuo, ſuper viros ageret poteſtatem & dominium. Vnde & apud Romanum defenſorem, *b* mulier cauſam ſuam tuetur, ſic inter alia dicendo.

a Serm. 17. in Geneſ.
b Lib. 4. Coſmop. c. 7. n. 16.
a L. 3. in Geneſ. c. 21.
b Lucan. l. 10.

---Non vrbes prima tenebo
Fœmina Niliacas? Nullo diſcrimine ſexus,
Reginam ſcit ferre Pharos.

Verùm hoc non tam ius aut lex, quàm vſurpatio dicenda eſt. Rectè ergo non tantùm dixit, *ſub viri poteſtate eris,* (nam & puerulus maſculus; ſub viri, id eſt tutoris poteſtate eſt:) Sed addidit, *Et ipſe dominabitur tui.* vt nunquam mulier libera ſit de ſubiugo viri.] Hæc recolentes ſanctæ fœminæ, viros ſuos *dominos* vocabant, vt de Sara notauit S. Petrus, *a* & optimè expendit S. Chryſoſtomus. *b* De S. Natalia reſpectu Adriani mariti, idem

a Epiſtolæ 1. c. 3.
b Hom. 32. in Geneſ.

idem eſt proditum in eius Actis; nec non de S. Monica reſpectu mariti ſui Patrici, vt videre eſt apud S.Auguſtinum.*c* De virginibus idem ſtatuendum eſt;ſunt enim ſub cura parentum. Et tam virginibus, quàm coniugatis vſui eſt velum, vt latè proſequitur Tertullianus,*d* At velum eſt nota ſubiectionis fœminæ ad virum.Ideóque à Siracide,*e* cum agit de Salomonis mulieroſitate;& ab Apoſtolo, *f* velum nomine *poteſtatis* appellatur:quia eſt nota poteſtatis viri in mulierem; qua de re plenè in Tractatione de pileo. *g* Quo argumento efficaciſſimè concluditur,ſexum ſequiorem,Apoſtolico iure,æquè ac diuino, & naturali,eſſe ſubiectum alteri ſexui potiori, & eius imperia capeſſere debere. Eſtque huius conuerſionis neceſſitas adeò naturalis, vt etiam in ſtatu innocentiæ habuiſſet locum;vt Molina *a* agnoſcit, & Suares poſt S.Auguſtinum, *b* qui tamen idcirco admittit hanc ſubiectionem, fœminæ connaturaliter conſentaneam, fuiſſe inflictam in pœnam;quia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet viri in mulierem dominatus;id eſt poteſtas coërcitiua,ſed tantùm poteſtas directiua, cui mulier placidè & abſque triſtitia ac reniſu obſecundaſſet;contra quàm nunc contingit in pœnam peccati mulieris. Quod quia multatum ea ratione eſt, priuſquàm ſub Noëmo in maledictione Canaam, inferretur pæna ſeruitutis, (tunc enim primùm audita eſt vox *ſeruitutis*, vt notauit S. Chryſoſtomus,*c*) Idcirco S.Ambroſius *d* ſic de mulieribus loquitur, tractans ærumnas earum. [Quid ego famulatus graues,& addicta viris ſeruitia replicem fœminarum, quas ante iuſſit Deus ſeruire quàm ſeruos?] Itaque debita mulieris ad virum ſubordinatio, rata eſt.

c L. 9. confeſſ. c. 9.
d L. de velãd. virg.
e Cap. 47.
f 1 Cor. 11.
g Sect. 5.
a D. 31. Coſmop.
b L. 11. de Gen. ad lit. c. 37.
c Hom. 29. in geneſ.
d L. 1. de virginib. c 6.

XXXIX. *Robertum eam ſubiectionem iniunxiſſe.*

Quid ergo Roberto faciemus, qui præ amore obedientiæ quo flagrabat,viros obedire mulieri, & ſub eius poteſtate ac dominatu eſſe voluit? Et ipſe normam cæteris ſtatuens, in poteſtate ſe eſſe Abbatiſſæ, eiúſque iuſſa

Digitized by Google

non eſt ambigendum. iuſſa velle ex obligatione ſibimet iniecta capeſſere, profeſſus eſt. Nihil hîc ambiguum. Andreas extrema Roberti deſcribens, ſic ſuos alloquentem inducit. [Scitis dilectiſſimi mei, quod quicquid in mundo ædificaui, ad opus ſanctimonialium noſtrarum feci; eiſque poteſtatem omnem facultatum mearum præbui. Et quod his maius eſt, & me, & meos diſcipulos pro animarum noſtrarum ſalute, earum ſeruitio ſubmiſi.] Non tunc primùm eam ſubiectionem ſuos docuit Robertus; ſed iampridem, & ab exordio conſtitutæ familiæ. Itaque ſubueritus, ne fortaſſis aliqui iugum illud detractarent, ſic conteſtatus eſt omnes fratres ad ſe in lecto iacentem aduocatos. [Deliberate vobiſcum dum adhuc viuo, vtrum permanere velitis in veſtro propoſito; vt ſcilicet pro animarum veſtrarum ſalute, obediatis Ancillarum Chriſti præcepto. Scitis enim quia quæcumque Deo cooperante alicubi ædificaui, earum potentaui atque dominatui ſubdidi. Si verò cum illis remanere, ſicut cæpiſtis, non vultis; do vobis licentiam, (cum meo tamen conſilio,) alterius Religionis.]

In quæ loca Andreæ, obſeruandum in primis eſt, quod vult *mares obedire ancillis Dei*, non eſſe accipiendum de toto cænobio Monialium; ſed duntaxat de Præfecta ſiue Antiſtita. Quod principaliter quidem valet de Abbatiſſa, totius Ordinis Capite; in pleriſque tamē diplomatibus Pontificiis extenditur diſertè ad Prioriſſas, quo ad Religioſos earum monaſteriis attributos. Solæ igitur Abbatiſſæ & inferiores Antiſtitæ, cū ſuprema, tum ſubordinata poteſtate in viros potiuntur: quia tamē hæ deliguntur ex Corpore Monialium, propterea abſolutè dicitur, obediendum eſſe viris, præcepto Ancillarum Chriſti. Obſeruādum inſuper eſt, Robertū feciſſe ſuis Religioſis poteſtatem, ſi ea ſubiectio ad mulierem minùs ipſis arrideret, quam iam antea probauerāt abſcedēdi. Dixit enim, annuere ſe vt ad alteram Religionē

hac

hac ſubiectione liberã tranſirent. Quamvis enim tranſitus ad aliud inſtitutum, videtur retroceſſio, & à ſtiua aratri Euangelici ſemel arrepta, retrò reſpectio, à Chriſto ipſo improbata, & à Patribus etiam ſi ſtrictior diſciplina prætexatur, reprehenſa, vt videre eſt apud Guerricum, *a* Petrum Cellenſem, *b* & præſertim S. Anſelmum, *c* variis locis id inculcantem, ad quem fusè Ioãnes Picardus; Tamen in certis quibuſdam adiunctis, tranſitus ille poteſt & concedi & admitti abſque labe; eúmque vſurpauit S. Antonius Patauinus, cum à Canonicis regularibus tranſiuit ad Ordinem Minorum. Itaque Robertus proſpiciens paci domeſticæ, & ſtabilitati inſtitutorum ſuorum, per aliqua fortaſsè pruriginoſa ingenia poſt mortem ſuam conuellendorum, potuit eas turbas anteuertere, quas autoritas ſuperſtitis tunc excludebat, & maturè licentiam impertiri migrandi ad aliud inſtitutum; non ſecundùm imperium (vt verba Apoſtoli *a* huc flectam,) ſed ſecundùm indulgentiam, quæ *Conſilium* dici potuit, quia conceſſa eſt abſque obligatione exequendi; imò non ex ſenſu proprio concedentis. Firmarunt omnes Roberti filij, vno ore, quod receperant, nec indulgentiam quæ offerebatur admiſerunt. Et priore loco allegato, cum nonnulli Epiſcopi & Abbates, religioſæque perſonæ complures, & nobiles viri, rogatu Roberti, ad ipſum decumbentem conueniſſent; exquiſitis omnium Iudiciis, vno ore reſponſum eſt, ſubiectionem illam, Roberti iudicio probatam, perpetuò retinendam eſſe. Itaque de mente Roberti, & inducta per eum ſubiectione virorum ad Præfectam mulierem, non poteſt eſſe controuerſia. Ordo in ſpeciem præpoſterus; ſed qui Roberti conſilium introſpexerit, ſublimem planè & humilitatis & obedientiæ formam, viris ex Fontebraldenſi familia conſtitutam deprehendet; neque nudam, ſed pio cum primis, ac religioſo affectu conueſtitam. Scrutemur iſta penitiùs & effodiemus theſaurum.

a Serm. 1. de S. Benedicto.
b L. vltimo Ep. vltima.
c L. 1. Ep. 20. & l. 2. Ep. 23. vbi Picardus.

a 1. Cor. 7.

XL. *Ad quæ protendatur ea ſubiectio.*

Subiectionem ergo virorum Religioſorum ad Antiſtitam mulierem, viciſsímque Præfectæ in viros dominatum, cum parendi neceſſitate, mandauit Robertus. Non eſt hic fœmineus dominatus, in quem conclamat Hieronimus ad illud Iſaiæ 3. *mulieres dominatæ ſunt eis*. Cauendum monens, [ne iuxta impium Porphyrium, matronæ & mulieres ſint noſter ſenatus, quæ dominātur in Eccleſiis; & de Sacerdotali gradu fauor iudicet fœminarum.] Propudioſus reuera dominatus, cum ad nutum impotentiæ muliebris, res geruntur in Eccleſia: & ſiue diſtribuenda ſint Eccleſiaſtica munera, & hic promouendus, ille repellendus gradu aliquo ſit; ſiue cenſus ſacer erogandus, ad fœminæ arbitriū res geritur. A fuſi & colus tractatione, laudatā mulierē *fortem* id eſt *egregiam* nouimus. Nullæ illi partes extra familiam domeſticam conceſſæ; cui prouidere veſtimenta, & dare prædam atque cibaria incumbit; res autem ſacras attingere, maximè autem in Eccleſia & cœtu publico præſumere, directiuam, (etiam per viros) aut coerciuinam poteſtatem exercere; quod faciebant in lege veteri mulieres, Scribarum & Phariſæorum mulieroſorum fauore, probroſum erat atque indignum. Vtinam verò (quod D. Hieronimus ab impio Porphyrio ſugillatum retulit,) in Chriſtiana Eccleſia, nullæ tales ſordes vnquam deprehendantur; nec quæ olim à quondam marito, *Epiſcopæ* ac *Presbyteræ*, eo ad Epiſcopatum vel Preſbyterium promoto denominabantur, reuiuiſcant in Eccleſia; non ratione nuptiarum anteriorum, quas initiatio commercio intercluſiſſet, eas quoad conuictum diſſuendo, (id enim perrarum eſt,) ſed ratione fauoris quem mari Prelato abblandiens, eúmque emolliens fœmina, vtinam abſque ſcandalo collegerit. Non eſt huiuſmodi dominatus mulieris, quem Robertus domi ſuæ inſtituit: ac proinde factum eius, neque à Hieronimo improbatum eſt, neque à Porphyrio allatratum.

Contine

Digitized by Google

Continetur itaque poteſtas Præfectæ à Roberto inducta, facultate præcipiendi; cui reſpondet in Religioſo iuriſdictioni eius obnoxio, debitum ac neceſſitas parendi. Neque enim obedientia Antiſtitæ præſtita, cuius neceſſitatem ſuis imponit Robertus, ſubſiſtere aut intelligi poteſt, abſque tali poteſtate in Antiſtita, & reciproca obligatione parendi in ſubdito. Eo ipſo autem quod eſt poteſtas imperandi in Antiſtita, & parendi neceſſitas in ſubdito; non poteſt negari Antiſtitæ vis aliqua coërcitiua; ſine qua poteſtas imperandi inefficax eſſet, nec ſatis congruè inſtituta, vt Philoſophus *a* agnouit. Et à poſteriori optimè infertur, ex eo quod de omnium ſententia tradita à S. Thoma, *b* Eccleſia non poteſt actus purè internos imperare, quia de illis iudicare non poteſt, ac proinde neque pro eis pœnam irrogare, exercendo vim coercitiuam. Cuiuſmodi verò ſit hæc Antiſtitæ poteſtas, hoc eſt an dicenda ſit poteſtas ſpiritualis iuriſdictionis, quod inficiantur Victoria & Soto, & alij ſignati à Tamburino, *c* an verò poſſit iuriſdictio ſpiritualis cenſeri, lis eſt de vocabulis. Nam tametſi non adiungitur poteſtati Ordinis, nec à clauibus Eccleſiæ provt ad Ordinem pertinentibus dimanat, (quo ſenſu verè negatur eſſe poteſtas ſpiritualis;) tamen poteſt *Spiritualis* appellari, quatenus ſpectat perſonas Deo conſecratas, in ſtatu ab Eccleſia approbato; ſpiritualibus pleriſque exercitiis diſtentas, & in ſpiritualem finem vniuerſa diriguntur & traditione ſui, Antiſtitæ facta, propter Deum, annuente Eccleſia; ac proinde ſpirituali, ex voto, quod vbique ſpirituale eſt; ac inſtituti legibus item ſpiritualibus innititur. Non video quid admodùm diſcrepet, quod Suares *a* ait; non eſſe quidem Antiſtitam iuriſdictionis ſpiritualis Capacem, iuxta communem Theologorum ſententiam, *b* latè ab ipſo ſtabilitam agendo de poteſtate ferendi Cenſuras: *c* concedi tamen Antiſtitæ poteſtatem dominatiuam, ortam

a 10. Ethic cap. vltimo.
b 1.2.q. 91. art. 4. & q.10. artic. 9.
c De iure Abbatiſſarum.
a Tract. 7. de Relig. l.10.c. 11. n.20.
b In 4. d. 20.
c t. 5. 3.p. d.1 ſect.2. n. 5.

ortam ex traditione & voto, ordinatam ad ſpiritualem finem: Quid enim vetat, emitti votum obedientiæ quę ſit præſtanda fœminæ, in iis quæ iuſta regulam præcipi poſſunt in ordine ad perfectionemu: Hiuſmodi quippè votum, eſt de meliori bono, nihilque continet iuri naturali, aut diuino, aut Eccleſiaſtico aduerſans. Imò in tali ſtatu neceſſarium moraliter eſt, ad conuenientem Monaſterij ordinem ac gubernationem. Quare per huiuſmodi votum ſic factum, & traditionem perſonæ, ei comitantem, poteſt Antiſtita tanquam mater ſpiritualis, in virtute obedientiæ præcipere; & tam ſubditam Monialem, quàm obnoxium ſibi virum, dirigere intra fines poteſtati directiuæ, vi inſtituti præſcriptos.

Quantum verò diffundatur poteſtas coërcitiua Antiſtitæ, præſertim in viros ſibi obnoxios, quod ferè pendeat ex propriis legibus, vel conceſſionibus præter communem vſum indultis, nec faciat ad perſpiciendam eminentiam obedientiæ à Roberto ſuis præſcriptæ, (qui eſt hoc loco ſcopus noſter;) nihil attinet nunc inquirere. Habent qui talia auent cognoſcere, quos conſulant; nominatim Salam in Tractatione de legibus, *a* & Suarem non vno loco, *b* ac nominatim Tamburinum in opere de iure Abbatiſſarum; diſputantes an & quatenus, Abbatiſſa Clerico aut Religioſo ſibi ſubdito, poſſit pœnam excommunicationis, vel ſuſpenſionis, aut priuationis beneficij imponere. Mihi in præſentia ſatis eſt, coercitiuam poteſtatem directiuæ ſubiunctam, in Antiſtita ex Roberti legibus conſtituta aſſeruiſſe generatim. Et illud quoque ſecurè addiderim, quicquid vſpiam alicubi conceſſum eſt Abbatiſſis, ex priuilegio extraordinario circa perſonas virorum Abbatiſſæ ſubditorum, conceſſum eſſe Abbatiſſæ Fontebraldenſi. Nam Pontifices, præſertim Sixtus IV. in diplomate anni 1483. & Clemẽs VII. in ſuo quodam diplomate eas facultates Abbatiſſæ Fõtebraldenſi concedunt

a Diſp. 8. ſ. 20.
b T 5. 2 p. d. 2. ſ. 2. à num. 5. & Tomo 4. de Relig. tract. 8. l. c. 9. an. 10.

Digitized by Google

cedunt, quæ maximè difficultatem faciunt Canonum peritis ac Theologis moralibus, vtrum in fœminam cadant. Concedunt inquam illi facultatem, vt per viſitatores ſuos exerceat iuriſdictionem ſpiritualem viſitando Religioſos; non autoritate ipſius Pontificis, ad deſignationem Abbatiſſæ exprompta per viſitatores, *ſed autheritate ordinaria Abbatiſſa*, quæ eos delegauit. Quæ verba videntur apertè præcludere, quæcumque Suares ingenioſiùs quàm ſolidiùs excogitauit, tricans circa ſpiritualem iuriſdictionem Abbatiſſarum in viros: quamvis denique, videtur dare manus. Et ſanè cum Abbatiſſa *de Iouaro, omnem, Eccleſiaſticam & forenſem Iuriſdictionem* habuerit, quam ei Honorius *a* III. anno 1225. poſt longam diſquiſitionem firmauit; liquet fruſtra timeri vbi non erat timor, agnoſcendo in Abbatiſſis quibuſdam ex raro priuilegio id aſſecutis, ſpiritualem aliquam iuriſdictionem, abſque vſu clauium ipſiſmet fœminis commiſſarum. Earum Abbatiſſarum vna, (& quidem iure præcipuo) eſt Fontebraldenſis. Sed de his alij pleniùs.

a Cap. *dilecta* de exceſſ. Prælato.

XLI. *Quantam dignitatem obedientia conciliet, ea virorum ad mulierem ſubiectio.*

Nunc virorum ei iugo propter Chriſtum ſubiectorum Angelicus ſtatus ſuſpiciendus eſt, ac illuſtrandus. Nam quo ſubiectio illa eſt in ſpeciem durior, ob eam mulieris in virum poteſtatem & directiuam & coercitiuam intra fines conſtitutos; eo ſublimior eſt virtus talium Religioſorum: quam denominaui *Angelicam*, quia feliciſſimè æmulatur Angelorum qui in veritate ſteterunt, ſubiectionem ad caput longè depreſſioris naturæ. Quid enim eſt omnis caro & ſanguis præ Angelo? Et tamen SS. Angeli, propoſito ſibi à Deo, homine aliquando venturo, qui eſſet ipſorum caput, & quem ipſi adorare & obſeruare ac eius iuſſa capeſſere tenerentur; non ſunt auerſati ſubiectionẽ, ſed humillimè propter Deum annuerunt ſubeſſe deſpicatiori, tenentes ea ſubiectione ſuum principatum; quo exciderunt

O (vt

Digitized by Google

(vt S. Petrus dixit,) & rudentibus inferni alligati ſunt, qui detrectarunt eam ſubiectionem; vt fert expeditior ac probatior ſententia Theologorum, de qua latè alibi. Æmulantur ergo eam ſanctorum Angelorum ſubiectionem ad hominem natura deſpicatiore conſtantem, Religioſi viri; cum propter Deum non detrectant parere capiti, eiuſdem quidem humanæ ſecum naturæ, ſed tamen ſexus intra eam abiectioris, cuius potiùs fuiſſet ſubeſſe, ac parere viro, ſi intra conditionis propriæ fines ſtandum eſſet. Vt verò diſtinctiùs liqueat, *hanc* virorum ſubiectionem meritiſſimò ſuſpici, progrediendum eſt ad decora obedientiæ, poteſtati mulieris in ſubdito reſpondentis, initio ducto ab ipſa obedientia, ſpectata penès ſua intrinſeca ornamenta ex motiuo parendi deriuata.

Nobiliſſimum parendi motiuum quod obedientiam maximè illuſtrat, inſinuatum aliquoties eſt ab Apoſtolo, docente obediendum eſſe homini *ſicut Domino*; ita vt licet homo præceptum ferat exteriùs; tamen agnoſcatur in eo Dei perſona, iuxta illud Chriſti ad Apoſtolos, & in eorum perſona ad omnes legitimos Præpoſitos, *Qui vos audit, me audit.* Acutè S. Gregorius, *a* ait id fuiſſe inſinuatum in excitatione Samuelis; vſurpato vocis tono qui vocem Heli referret; vt ſignificaretur, vocem ſuperioris eſſe ipſam Dei vocem, nec aliter auſcultandum eſſe ſuperiori in quo Deus loquitur; (iuxta Paulum *b* de ſe profitentem *qui in me loquitur Chriſtus*;) quàm ſi ipſemet Deus abſque homine ſequeſtro, in ſuâmet perſona loqueretur. Hoc Religioſis maximè inculcat Serapion. *c* Et optimè quoque S. Baſilius, *d* qui præmiſſis Chriſti verbis ad Apoſtolos de quibus paulò ante, ſubdit, parendum eſſe Præpoſito tanquam locum Dei tenenti. [Nihil eſt enim aliud Antiſtes, quàm is qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum & homines; eorum qui ſub ipſius officio ſunt ſalutem ſacrificans

a Lib. 1. in 1. Reg. c. 4.

b 2. Cor. 18.

c §. 1. Reg.

d Cap. 23. conſtit.

Digitized by Google

ficans Deo.] Et ob eam cauſam, inobediens in præpoſito colaphizat Chriſtum, iuxta Eucherium: *a* concinítque Bernardus. *b* Hæc cum ita ſint, obedientia eo erit dignior, quo puriùs feretur in Deum, propter quem homini obedientia præſtatur; & quo minus erit periculi, ne conditio hominis vice Chriſti imperantis, (puta quia doctus & ſapiens eſt, alitérve eminet ſupra ſubditum;) auertat rectam collimationem in Deum. Hinc liquidò perſpicitur, dignitas obedientiæ à Religioſo præſtitæ mulieri Antiſtitæ. Neque enim periculum eſt, ne obedientia deferatur mulieri, propter humana motiua diuerſa ab illo germano obediendi motiuo, quia perſona cui paretur, eſt Dei vicaria; puta ob ſapientiam, eloquentiam, & huiuſmodi alias prærogatiuas in quas qui parendo inſpicit, deuenuſtat obedientiæ ſuæ præclaram ſpeciem. Itaque obedientia à Roberto indicta, eſt admodùm digna, & immunis à diſcriminibus, quibus facilè ſubiacet obedientia, viro per virum exhibita.

a Homil. 8. ad Monachos.
b Opuſc. *ad quid veniſti* c. 2. & 3.

XLII. *In eadem ſubiectione, humilitas ſumma.*

Iam humilitas, in ea virorum ad fœminam moderatricem ſubiectione, luculenter micat. Eſt enim humilitatis non vulgaris, demitti ad ſuſcipiendam propter Deum, directionem à perſona ſubtus iacente, & vix inſtructa dotibus humanis, quæ ad dirigendum virum, eúmque iuſſis conuenientibus onerandum, opportunæ ſunt aut neceſſariæ. Humilitatem ſanè Chriſti, Apoſtolus *a* inde admodùm celebrat, quod factus ſit ſub lege, admittens circumciſionem, quæ inferebat debitum vniuerſæ legis faciendæ. In quo multi non ſatis ſolidè philoſophantur; exiſtimantes ſummam humilitatem fuiſſe in Circumciſione à Chriſto proditam, quia paſſus eſt ſe inuri ſtigmate abolente originis peccatum; quaſi voluerit haberi ea macula inquinatus, quia admiſit eius remedium. At Circumciſionem ſuapte vi aboleuiſſe peccatum, & gratiam ſanctificantem emundandæ ani-

mæ neceſſariam contuliſſe, abhorret à vero: Erat enim vacuum & egenum elementum, vt de cæteris Antiquæ legis Sacramentis, exſuccis & gratiæ infertilibus, dixit Apoſtolus. *a* Vnde infantes Hebræorum, ſi ante octiduum quo conferenda erat circumciſio, leniore aliquo legis naturæ remedio fuiſſent expiati; circumciſionem non niſi pro cauterio & notaculi pecuarij inſtrumento recepiſſent, Humilitas ergo ſumma quam Chriſtus in eo myſterio prodidit, in eo ſita fuit; quod cum ſapientia Patris eſſet, factus tamen eſt ſub lege; quæ *directionem* continet eius qui legi ſubiicitur. Vltrò inquam Chriſtus admittens circumciſionem, fecit ſe obnoxium directioni ſuppeditandæ per legem brutiis ac ſeruilibus hominibus, (quales Hebræi erant) impoſitam. Quod ſanè fuit humilitatis ſummæ ſpecimen. Ad humilitatem ergo præter communem morem eximiam, religioſos ſuos demiſit Robertus, cum eos dirigendos commiſit mulieri; & quidem, mulieri laicæ extra Clauſtrum hœrenti & viduæ. Eiuſmodi enim erat Petronilla de Camilliaco prima Abbatiſſa à Roberto ipſo conſtituta, & poteſtate in viros inſtructa. Quibus adiunctis multò magis augeſcit humilitas, in Religioſis viris, tali Antiſtitæ propter Chriſtum obtemperantibus. Quanquam etiam abſque illis adiunctis, obedientia à viris fœminæ Antiſtitæ præſtita, collucet humilitate longè maxima.

a Hebr. 9.

Neque tamen imprudentiæ inſimulandus eſt Robertus, quaſi conſulens humilitati per viros in ea obedientia exerendæ, inconſultiùs egerit cum fœmina Antiſtita, præbens ei occaſionem elationis; ſiue illius meteoriſmi quem vetabat Chriſtus cum diceret, *a nolite in ſublime tolli.* Id eſt ne efferamini in ſuperbiam, neque grandiores iuſto animos aſſumite. Non fuit cur Robertus id admodùm timeret. His enim ventis, Deus ipſe, (vt apud Iobum eſt) *b* pondus fecit, quatenus mulier Antiſtita,

a Lucæ 10.
b Cap. 26.

Antiſtita, ſe mulierem non oblita, argumentum habet non vnum,inſignis demiſſionis,iuxta illud Clementis. *c* [Mulieri, vel meminiſſe quod mulier ſit, infert pudorem,ac tumoris depreſſionem.] Recolit enim perpetuò, ita vt dediſcere hanc veritatem nequeat, quanta imbecillitate valletur vndecumque; nec obliuiſcitur quòd oſtium mortis & malorum omnium fuit. *A Muliere* quippè (iuxta Siracidem) *a initium peccati, & per illam omnes morimur.* Quæ cogitatio,elatione mentis prohibet, ſi mica ſaltem Iudicij ſit reliqua.

c 2 Pædag. c, 1. in fine.

a Eccleſ. 28.

XLIII. *Pietas ſpecialis in ea ſubiectione ex mente Roberti; Ioannem Deiparæ obſequentem recolentis.*

Reſtat pietas ſpecialis,qua virtutes omnes prædictas in eo Roberti inſtituto collucentes,ab eo religioſè conueſtitas præmittebam. Id vt exponatur,paulo altiùs repetenda res eſt. Specialis itaque erga aliquem ſanctorum pietas,ſi adiuncta recidantur ſuperſtitioſa, & inania, illimis eſt & labis pura, quicquid hæretici in contrarium garriant,iure exploſi à Cardinali Pérronio,Catharino,Heſſelio,Arturo,& aliis annotatis in ſpeciali de hoc argumento tractatione. *b* Ex hoc Catholico ſenſu, multorum ſanctorum praxi firmato, Robertus erga B. Virginem Deiparam,Cœli ac terræ Reginam, ſingulariter affectus fuit. Vnde omnia quæ vbiuis eſſent,ſacrarum Virginum ſibi addictarum cœnobia, in Deiparæ honorem erigi voluit, teſte Andrea,eius extrema deſcribente. Similíque per idem tempus pietate ductus S. Bernardus, quotquot Eccleſias ſuis Ciſtercienſibus per varia loca conſtituit, (& conſtituit omninò multas) B. Virginis nuncupatione ſacras voluit,vt ſcribit Petrus Cellenſis *a* purgans impactam viro ſancto calumniam, quaſi minùs piè erga B. Virginem fuiſſet affectus improbando cultum feſtiuum Conceptionis B. Virginis inconſulta ſede Apoſtolica à Lugdunenſibus inductũ.Sed hic ſingularis erga Deiparæ cultum affectus,vix dicendus eſt S.Bernardo & Roberto ſpecialis; cum ſit omnium Chriſtianorum communis. Quis enim eſt dignus

b Suppoſit. 2.

a Epiſt. ad Nicol. pro S.Bernard.

audire Chriſtianus, cui non ſit ſpecialiter cordi honor erga B. Virginem? aut qui erga matrem adeò honorificatam, non afficiatur tenerrimè? Itaque ex parte perſonarum, communis eſt omnibus verè Chriſtianis ea ſingularis pietas, & affectus peculiaris erga B. Virginem; tametſi quod præ aliis cœlitibus impenſè colatur, dici quoque poſſit ex parte obiecti *pietas ſpecialis*. Erga alios cœlites, non adeò vniuerſaliter viget fideliũ pietas: tametſi non rarò vnus quiſpiam erga aliquem ſanctorum, affectum prodat ſingularem. Exemplis omninò multis, recolo id illuſtratum in prædicto tractatu de cultu ſanctorum ſpeciali. *a* Sic ſingulariter affecti fuere, Bela Rex Hungariæ erga S. Blaſium, Ludouicus Pius erga S. Sebaſtianum, Theodoſius erga ſanctos Philippum & Baptiſtam, Zemiſces erga S. Georgium; Conſtantia Magni Conſtantini filia erga S. Agnetem; Elizabetha Haſſiæ Lantgrauia, & Eduardus Rex Angliæ, erga S. Ioannem Euangeliſtam; Robertus quoque, ſanctum hunc Apoſtolum, ſingulari affectu eſt proſecutus. Audiendus Andreas. [Hæc erat præterea Roberti, inflexibilis conſuetudo, vt vbicumque cœnobia ſanctimonialibus ſuis ædificare faceret, in honorem B. Mariæ ſemper Virgnis ea conſtrueret. Et quia S. Ioannes Euangeliſta, eidem Virgini, præcipiẽte Chriſto, quoad vſque corporaliter in mundo conuerſata eſt, deuotus miniſter diligenter ſeruiuit, decreuit vir prudens, vt fratrum Oratoria in eius venerationem dedicarentur: quod non ſine diuina inſpiratione factum fuiſſe exiſtimo; vt quem videlicet exemplum ſeruiendi ſponſis Chriſti fratres haberent, eundem ſuorum Oratoriorum Patronum eſſe gauderent.]

a Suppoſ. 2.

XLIV. *Ioannis ſpecialiter colendi fundamenta ex Patribus.*

Non eſt verendum, ne Robertus ſupra iuſtum erga S. Euangeliſtam affectus fuerit; aut ne idcirco numerandus veniat inter illos ſanctorum Electores, quos non amant Sancti, iudice B. Hieronimo, (cuius dictum ma-

lè

lè detortum eſt ad S. Auguſtinum aliò ſpectantem ;) & Origenes *b* quoque , ſeuerè idem corripit : Hic metus planè euaneſcet, ſi inſignes prærogatiuæ tanti Apoſtoli, vel perfunctoriè æſtimentur. Quis enim verò eſt S. Ioannes ; aut quo eum loco habuere Patres,& ſummi quique Doctores?liceat obſecro, tantiſper hærere in ſuauiſſimo argumento.Præmoneo tamen, Patres quos adducam,magnam partem collaudare Ioannem à collato ipſi dono intellectus & ſapientiæ, qua omnes ſuperaſſe videri poteſt, dempta Deipara. Tamen ex tanta luce intellectus, rectè poteſt inferri ardor voluntatis. Nam etiam naturaliter,lux generat calorem,vt Ariſtoteles quoque notauit, *a* obſeruans idcirco lunâ plenâ noctes eſſe calidiores. Ad lucem ſpiritualem ſimiliter conſequitur calor, iuxta illud *b concaluit cor meum intra me,& in meditatione mea exardeſcet ignis.* Ad quem locum, de igne voluntatis conſequente lucem intellectus meditatione comparatam benè Origenes. Qui ergo ſupernaturalem lucem & ſapientiam Ioannis celebrant ; eo ipſo ſanctitati eius,commenſæ tantæ luci,aſtipulantur. Celebrant autem eam ſapientiam, præſertim quoad diuina in ſe ſumpta,ad vnum omnes;ita vt apud Græcos nomen ei ſit *Theologus*,non ab ea notione *Theologiæ* quæ nunc viget & complectitur ſuo ambitu omnia diuinæ reuelationi ſubſtrata ; ſed præcisè provt ſiſtit in Deo vno & Trino. Nam quæ ſpectant ad Chriſtum & nexa cum eo, vocant *œconomiam.* Videſis Iacobum Billium, ad Nazianzenum : *c* Audiamus aliquos,inter cætera Ioannis decora, eius præcipuè profundiſſimam Theologiam, (Ethnicis quoque vt Amelio apud S.Cyrillum *a* & Theodoretum *b* celebratam,) egregiè demirantes.

a Lib. 3. contra fauſt. c.4.
b Homil. 25 in Lucam.
a Lib.4.de gener. anim. c.2.
b Pſalm. 38.
c Ad Naz. orat.8.n. 14.
a Lib.8.in Iulian.
b L.6.contra Græcos.

S. Irenæus B.Ioannis, per Polycarpum (vt ita dicam,) nepos; (nam à S. Polycarpo B. Ioannis diſcipulo,ex monitis ipſius. S.Ioannis quibus Gallicanæ Ec-

cleſiæ

cleſiæ fundationem impenſè commendarat, in Gallias ad ſubleuandum B. Pothinum ætate grauem, ac laboribus imparem eſt tranſmiſſus;) erga Beatum hunc Apoſtolum enixè affectus fuit. Fuiſſe ipſius Apoſtoli diſcipulum, & ab eo in Gallias immediatè ſubmiſſum, quod cenſuiſſe aliquos, retuli in SS. Lugdunenſium indiculo, *c* malo non affirmare; cum ad peculiarem affectum B. Irenæj erga S. Ioannem, ſat eſſe poſſit, quæ certa eſt eius cum B. Polycarpo neceſſitudo. Celebrat S. Irenœus *d* B. Ioannem ab Euangelio abſolutiſſimè conſcripto, rogantibus Aſiæ Epiſcopis, ad hœreſum tunc contra Cardinalia Chriſtianæ fidei myſteria enatarum extirpationem: Cum autem recolo, quæ alibi *a* idem S. Irenæus, tradit de commentis hæreticorum in peruertendo Ioannis Euangelio quo contritos ſe videbant, & labore inſano in eius interuerſionem collocato, deſino mirari, Ianſenij reliquias, definitione Innocentij X. adeò manifeſtè exciſas, nugacibus detorſionibus Pontificiæ definitioni adeò præfractè illudere Sed ad rem.

c Irenæus, & Pothinus.
d Lib. 3. c. 11.
a L. 1. c. 1.

Collaudat quoque S. Irenæus in B. Ioanne, auerſionem ab hæreſi & hæreticis, vſque adeò vt balneum quod ſubiturus erat refugerit, vbi audiuit hoſtem veritatis Cerinthum in eo lauari. Ita ſcribit ipſe Irenœus, *b* & ex eo Euſebius *c* atque Epiphanius. *d* Ex ea hæreſeon & ſcripto & factis inſectatione per B. Ioannem, inditum eſſe ei ac fratri Iacobo, nomen *Boanerges*; (imo *Banerges*, vt benè Angelus Caninius de nomin. hebr. *e* & benè etiam Franc. Lucas) *f* notauit Titelmannus, *g* Nec abludũt quæ ex Metaphraſte & aliis prodit Baronius ad annum Chriſti 99. de fulminibus auditis cum S. Ioannes aduersùs hæreticos per Euangelium intonaret. Et ab hac origine prima exortum videtur illud flagrantiſſimum, & vt cum Dauide dicam, *perfectum odium*, quod veluti hæreditarium fuit toti in Chriſto progeniei S. Ioannis; ac nominatim SS. Polycarpo & Irenæo: Nam

b L. 3. c. 3.
c Lib. 4. Hiſtor. c. 15.
d In hœreſim 30.
e Cap. 11.
f Marci 3. in Comment. & in variis Bib. lectionibus.
g Gradu V. præf. Encomiaſticæ in Ioan.

Digitized by Google

Nam de Polycarpo, quàm auerſatus ſit Marcionem, S. Irenæus cap, illo 3. ſcriptum reliquit, & ipſius Polycarpi Epiſtola clamat. De Sancto autem Irenæo, notius eſt, quàm vt exponi oporteat. Anaſtaſius *b* ſanè, *ſecurim omnium hæreſeon*, eum appellauit; vt dictum eſt in Indiculo, *c* vbi etiam non eſt omiſſum illuſtre factum Cardinalis Turnonij, qui Regem Franciſcum à quibus minimè par fuerat propè actum in foueam, prolato exemplo S. Ioannis apud B. Irenæum conſignato, ſubduxit pedicis, malignantium; ita vt S. Ioãnes, dici meritò ea de cauſa poſſit, *Galliæ Soter.*

b Cap. 7.

d Hom. 2. in diuerſos.

Origenes tractans initium Euangelij S. Ioannis. *d* [Vox Spiritalis aquilæ, auditũ pulſat Eccleſiæ, &c. Vox altiuidi volantis non aërem corporeum vel æthera, vel totius ſenſibilis mundi ambitum ſuperuolitantis, ſed omnem theoriam. Vltra omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt citiuolis intimæ Theologiæ pennis, clariſſimæ, ſupernæque contemplationis obtutibus tranſcendentis. Dico enim *quæ ſunt*, quæ ſiue humanum, ſiue Angelicum non omninò fugiunt ſenſum. *Quæ* verò *non ſunt*, quæ profectò omnes intelligentiæ vires relinquunt cum poſt Deum ſunt, vt eorum numerum quæ ab vna omnium cauſa condita ſunt, non excedant. Superuolat itaque B. Ioannes Theologus, non ſolùm quæ intelligi ac dici poſſunt, verùm etiam ea quæ ſuperant omnem intellectum, & ſignificationem ſuperuehitur; extráque omnia ineffabili mentis volatu, in arcana vnius omnium principij exaltatur; incomprehenſibilémque ipſum Principij, & Verbi, hoc eſt Patris & Filij; vnicam ſuperſubſtantialitatem purè dignoſcens, Euangelium inchoat, dicens *In principio erat Verbum.* O Beate Ioannes non immeritò vocaris *Ioannes.* Hebræum nomen eſt *Ioannes.* Latinè verò ſonat, *cui donatum eſt.* Cui enim Theologorum donatum eſt, quod tibi donatum eſt? abdita videlicet ſummi boni penetrare myſteria, & ea

quæ tibi reuelata & declarata ſunt, humanis mentibus ac ſenſibus intimare? Dic quæſo, cui tanta & talis donata eſt gratia?] fusè perſequitur, Ioannem perſpexiſſe myſteria diuinitatis pluſquàm Petrum, eóque accommodat allegoricè, quod de Ioanne currente citiùs Petro, narratur in Euangelio. De qua allegoria concinnè S. Paulinus mox adducendus. Redeo ad Origenem, qui mox, non Petro tantùm, ſed etiam Paulo rapto in Paradiſum & arcana verba edocto, antefert Ioannem, quem vocat [ſpiritale petaurum, (vox eſt altùm exilientem ſonans, vt apud Martialem *a* videre eſt, ac diffusè apud Mercurialem in Tractatione de re gymnaſtica) *b* citiuolum, Deiuidum, Theologum omnem viſibilem & inuiſibilem creaturam ſuperantem; qui omnem intellectum penetrat, & Deificatus intrat in Deum ſe Deificantem *&c.* non enim aliter potuit in Deum aſcendere, niſi prius fieret Deus.]

a Lib. 2. *b* Lib. 3. gymnaſticæ c 8.

Zeno Veronenſis *a* [Ioannes arcanorum Domini, ſpecialis conſultor.]

a Serm. de fide, ſpe & charitate.

Gregorius Nyſſenus *b* ad illud Cant. 1. *memores vberum tuorum*. [Verbi amauit vbera, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit; & veluti quandam ſpongiam cor ſuum appoſuit fonti vitæ, & ex ineffabili quadam traditione, repletus Chriſti myſteriis, nobis quoque exhibet mammillam à Verbo impletam, nóſque implet bonis quæ ei à fonte ſunt indita, magna voce prædicans, quod ſemper eſt Verbum.]

b Homil. 1.

S. Chryſoſtomus. *c* [Ioannes Aſiæ decus, vel potiùs orbis terrarum columna, Ioannes dilectus Chriſti diſcipulus, & Dei Verbi tuba, Epheſiorum gloria, & extremorum orbis finium præco, Theologiæ cithara, *Theologus* meritò appellatus. Cherubicum os, & Seraphicum myſteriorum oraculum, vel etiam quidquid his maius dicere, non dubitabo. Quem enim ſupernæ Angelorum virtutes tremore glorificant, Ioannes magna

c Homil. de Ioanne Theologo t. 6. Græcol.

Digitized by Google

gna voce cum fiducia prædicauit. *In principio erat Verbum*. Beata es ciuitas Epheſiorum,quod in te primùm à Deo prolatum huiuſmodi tonitru inſonue, *&c.* Is cui mentes hominum ſunt perſpectæ, qui cordis nouit occulta,cum talem eum (Ioannem,) offendiſſet,ſanctum & impollutum,ratione vitæ ſublimem, corde purum, caſtitate decorum, in charitate perfectum; huic tanquam inter omnes fideli,credidit matrem ſuam, tradídítque columbam immaculatam, agnam impollutam, vitulam incorruptam,eam quæ inter homines incomparabilis,quæ omnibus eſt excelſior creaturis, quod alij nulli Sanctorum eſt creditum. Beata es ciuitas Epheſiorum, quam talis viri pedes calcarunt, cuius puram cónuerſationem ac veſtigia ipſi Angeli ſuſceperunt. Beata es Ciuitas Epheſiorum,quæ propter Ioannem dilectum,prima,quauis vrbe es ſublimior reddita. Beata es,quod omnis Orbis terrarum Eccleſiæ,tuæ ſint diſcipulæ;vt potè quæ Theologiam iſtam ex te didicerunt, *In principio erat verbum*. Prima tu, lucernam Theologiæ accendiſti: tum omnes orbis terræ finium Eccleſiæ,cum ad te accurriſſent, ſingulæ ſuam Theologiæ lampadem accenderunt.] Subiicit omninò multa de ſublimi Ioannis voce,& elata ſuper Angelos perſpicacia in irreuerberato contuitu diuinorum;& abſolutiore eius Euangelio,quàm cœterorum Euangeliſtarum. Id quod etiam optimè verſat ſermone de ſigillis, vbi Ioannem *Boanerges* dictum ſiue *tonitrui filium* oſtendit, quia cum tres Anteriores Euangeliſtæ fuiſſent veluti fulgura, ipſe fuit velut tonitru ſubſequens fulgura, & doctrinam de diuinitate detonans, terrens improbos hæreticos, ſicut ea quaſi cæli tuba terrentur improbi: & indidem ex concuſſu nubis myſticæ per tonitru, pluuiæ extiterunt, quibus rigata eſt terra;iuxta illud *fulgura in pluuiam fecit.* A voce huius tonitrui,formidauerunt beſtiæ;& vt eſt in pſalmo 103.Latibula ſua repetierunt.

Digitized by Google

S. Auguſtinus ſublimitatem ſapientiæ Ioannis, pleriſque locis demiratur. Et idcirco iure eum expreſſum ait Symbolo aquilæ: de cuius comparatione cum Ioanne, plenè & optimè quodam loco. *a* Alibi *b* eum vocat *magnum montem ſanctitatis.*

a Tract. 36. in Ioann.

S. Hieronymus, *a* tractans Eunuchum ſollicitum ad ea quæ Dei ſunt, ab Eſaia prædelineatũ, [Hic Eunuchus (inquit) regno cælorum vim facit, & violenter diripit illud. Iſte cuſtos eſt ſabbatorum, vt nunquam faciat opera nuptiarum. Iſte elegit quæ dominus voluit, vt plus offerat quàm præceptum eſt: vt non indulgentiam Apoſtoli eius, ſed voluntatem, conſideret. Iſte tenet fœdus Domini ſempiternum, vt non ad tempus vacet orationi, & iterum ad idipſum reuertatur; ſed accepturum eſſe ſe nouit in domo Domini quæ eſt Eccleſia eius, locum optimum. Multæ enim manſiones ſunt apud Patrem. Et qui Eunuchus fuerit, ac fecerit vniuerſa quæ ſcripta ſunt, habebit in muris eius locum optimum, vt ſcilicet turris domini efficiatur, & in ſacerdotali conſiſtat gradu, & pro carnis filiis, multos habeat filios ſpirituales. Talem fuiſſe Eunuchum, quem Ieſus amauit plurimùm, Euangeliſtam Ioannem, Eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ Qui recubuit ſuper pectus Ieſu, qui Petro tardiùs ambulante, elatus Virginitatis alis cucurrit ad Dominum; qui in ſecreta diuinæ ſe natiuitatis immergens, auſus eſt dicere, quod cuncta ſecula neſciebant; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*]

a In c. 56. Eſaiæ.

a Tract. 1. in Ioan. *b*

c Homil. in die S. Ioannis Euang.

S. Cyrillus. *c* [Doce nos ô Euangeliſta. Loquere etiam num ô beate Ioannes. Vocatus es *filius tonitrui;* totum orbem qui ſub cœlo eſt, magna quadam & ſingulari doctrina perſonuiſti; Voces habes immortales; verbis tuis cedunt & obliuio & tempus. Ecce tanta Paſtorum congregatio ad te venit. Remoue nobis lapidem, ſicut B. Iacob Paſtoribus olim adiumẽto fuit; Reſera no-

bis

bis puteum vitæ. Da vt etiam num, hauriamus è fontibus ſeruatoris. Imo adhibe nobis fontem tuum &c. Hæc nos ſentire docuit Beatus Euangeliſta, aſtrum reuera magnum & illuſtriſſimum, aſtrum vtiliſſimum, non iis qui ſenſibile illud mare tranſeunt; ſed iis qui in pietate acquirenda negotiantur, qui veritatis ſunt amantes, qui rectam & erroris expertem cupiunt habere fidem. Si quis itaque ad hunc modum negotiari cupit, Theologi huius voces, velut quoddam aſtrum menti ſuæ adhibeat; atque ita amarulentos hæreticorum fluctus ſuperabit; ita in ſerenum portum euadet, veniétque ad ipſam veritatem.]

S. Simeon Metaphraſtes, exſcriptus ab Oecumenio in calce commentariorum in Apocalypſin. [Quàm parum abſit Homo ab Angelis, quodque ipſi poſſibile ſit, vnâ cum ipſis verſari, viciniúſque aſſidere, imo etiam Deum imitari poſſit; quódque multò maius eſt, filius illius iuxta gratiam effici, oſtendit præ omnibus magnus hic Euangeliſta & Apoſtolus, matre quidem Virgine ditatus, dignus autem habitus qui Chriſti frater vocaretur, ipsíque factus ſocius & particeps arcanorũ. Verùm ipſamet diuina oracula, voce maxima prædicant, Dei in ipſo magnalia. Attamen id manifeſtiùs ſermo nobis explicabit. Hic enim Verbi vox, filius tonitrui, vniuerſum prædicatione comprehendens orbem, & quod omnium maius eſt, ſolúmque in ſe ſufficiens, dilectus ab ipſo Chriſto; Græcanicæ diſciplinæ, ne in modico quidem particeps erat; cuius rei teſtis eſt D. Lucas; qui ipſum idiotam vocat, & alienum à literis. Vnum hoc ſolùm habebat inſigne quo agnoſceretur, & bonum hoc vinculum à Patribus trahebat, pietatem.]

Andreas Cretenſis *a* [In medium procedat diuina oculatiſſimus Ioannes. Ille nimirum qui ipſe occultorum inſpector fuit, & arcana enarrauit, qui ſupra pectus eius qui omnium eſt vita recubuit; quique cor ſuum

a Orat. in Lazarum.

Digitized by Google

adinſtar ſpongiæ, vitali admouit fonti; ac vltronea quadam deriuatione, reconditorum in Domini pectore vitalium Sacramentorum repleuit.]

b Homil. in Neſtor.

Theodotus Ancyranus in Concilio Epheſino *b* [Ioannes orbis terrarum communis theſaurus ac Magiſter, vnico verbulo totam pietatem amplexus eſt.] Profecit ex Euſebio, *c* & ex vtroque Petrus Damiani. *d*

c Lib. 7. de præp. c. 1.
d Serm. 64.
e Ep. 24.
f Ad orat. 41. naz.

S. Paulinus *e* ſcribens ad Amandum; incidens in Ioannem præcurrentem citiùs Petro (id quod fusè poſtea æquè in ſenſu myſtico proſecutus eſt Niceta;) *f* ſic de Ioanne ait. [Solus in pectore recumbebat. Vnde geminos in alueum cordis ſui traxerat fontes, quos in orbem idem poſtea reuelationis & Euangelij præco diffudit; & illam carnalem alacritatem pedum, poſtea ſpecioſis verbi pedibus, toto per populos orbe diſcurrens, ſpiritali velocitate compleuit: *&c.* Ioannes igitur beatus Dominici pectoris cubator, qui ſenſus creaturis omnibus altiores, ex ipſo creatricis omnium rerum corde ſapientiæ biberat, inebriatus Spiritu ſancto, qui ſcrutatur etiam alta Dei, ab ipſo intimo & infinito omnium principiorum principio, Euangelij fecit exordiũ: quo vno omnia Diaboli quæ in hæreticis latrant ora clauduntur.] Monſtrat hoc ſigillatim, de Arrij, Sabellij, Photini, Marcionis, Manichæi, & Gnoſticorum hæreſibus; quas omnes vnum illud ſupercœleſtis Euangelij (ſic appellat,) exordium, profligauit.

a Eſt Epiſtola 7. t. 9. Hieronimi.

S. Maximus Taurinenſis iuxta Marianum Victorium auctor Epiſtolæ de viro perfecto, *a* cum propoſita eſſet quæſtio ex loco libri Apocalypſeos decidenda, præmiſiſſetque, S. Petrum non erubuiſſe interrogare Ioannem & ab eo expiſcari quæ ignorabat, addit. [Ab illo abſolutionem quæſtionis huius, quem ipſe (Petrus) non erubuit interrogare, quæramus: Ab illo inquam qui in ipſo Domini pectore velut ſuper arcam vtriuſque Teſtamenti recumbens, non modò ad veſtibulum

diui

Digitized by Google

diuinorum oraculorum diligens Inquiſitor acceſſit, ſed ipſum penetrale ſecretæ diſpoſitionis tanquam familiaris Sacerdos intrauit. Et ideò ſolus vidit in principio Verbum; quando illi velut exterior Sacro Sancti templi ara, ſicut interior metienda committitur.]

Proclus. a [Ioannes Euangeliſtarum præſtantiſſimus Theologiæ illa lyra, Dei Verbi diuinam æternámque ſubſtantiam expoſuit. *&c.* Ecquiſnam ô Beate Ioannes, hæc te edicere docuit? Quis ad tantam te prouexit celſitatem: Quis tuæ menti, tales præbuit alas? Fide enim relinquens terram, ſupra aërem conſtitiſti. Supergreſſus es æthera; Supermundana cæli tranſuolaſti culmina, tranſiluiſti ſupera, Archangelorum præteriſti choros; Seraphinis par effectus es, Cherubico Domini aſtitiſti throno. Fide volucris ac ſublimis ales factus es. *&c.* Euangeliſta, ipſis Seraphin inuentus eſt ſublimior; quippè cum illi coruſco fulgore concuſſi facies ſuas velent; hic autem præſidiis fretus gratiæ, diuinam cùm generationem, tum ſubſtantiam enarrauerit.] a Orat. 15.

S. Gregorius Magnus a hoc Ioannem honeſtat elogio. [B. Ioannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ natalitia recenſemus, qui D. N. Ieſu Chriſti filij tui vocatione ſuſcepta, terrenum reſpuit Patrem, vt poſſet inuenire cœleſtem; adeptus in Regno cælorum ſedem Apoſtolici culminis, qui tantùm retia carnalis contempſerat genitoris; quíque ab ipſo Vnigenito tuo ſic familiariter eſt dilectus, & immenſæ gratiæ muneribus approbatus, vt eum idem Dominus in Cruce iam poſitus, vicarium ſuæ matri virgini filium ſubrogaret: quatenus B. Genitricis integritati, probati dilectíque diſcipuli virginitas deſeruiret. Nam & in cœnæ myſticæ Sacroſancto cõuiuio, ſuper ipſum vitæ fontem æternum, ſcilicet pectus recubuerat Saluatoris; de quo perenniter manantia cæleſtis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis ac myſticis reuelationibus eſt imbutus, vt omnem tranſgrediens a In Sacram.

grediens creaturam, excelſa mente conſpiceret, & Euangelica voce proferret, quod in principio erat Verbum.]

Petrus Damiani, *a* in extollendo Ioanne multus eſt. Plagulam duntaxat vnam & alteram, ex eo decerpo.
a Serm. 63. [In Sacroſanctæ cœnæ conuiuio, ſupra pectus recubuit Redemptoris: Et quia in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientię Dei abſconditi, ex illo cęleſti gazophylacio ſummam traxit, vnde noſtrę paupertatis inopiam copioſa liberalitate ditauit. Ex illo inquam nobis ęrario, diuitiarum copias attulit, & in communem totius mundi ſalutem, benè prodigus erogauit. Imò ſupra fontem perennis vitę recubuit, vt & ipſe tunc ſemper manantia fluenta diuinæ doctrinę hauriret, & eadem nobis poſtmodùm pręfixo certi temporis articulo propinaret. Magnus videlicet Paradiſi fluuius, qui ex principali ſui fontis origine profluens, ac vberiori cæleſtium chariſmatum inundatione procedens, ſqualentia deſerta humanarum mentium irrigat, & ad frugum germina, vberrima fertilitate fœcundat. Et non immeritò, tam profunda, tam ſupereminens reuelatio Deitatis, Virgini debebatur; vt qui carnis ſibimet amputauit illecebras, felici commercio, pro carnali dulcedine, cæleſtium epularum diuitiis frueretur. Ad tantum ſcilicet gratiæ prouectus eſt priuilegium, vt omnem tranſgrediens creaturam, illhuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quiſquam ab ipſo mundi primordio cognoſcatur in carne poſitus aſpiraſſe.] Rurſus alibi. *b* [Hoc diuinæ ſapientiæ ſale,
b Serm. 64. ita omnis B. Ioannis doctrina reſperſa videtur, vt meritò dicatur, *os Dei, lingua Spiritus ſancti, cedrus Paradiſi, lux Eccleſiæ, decor orbis, præco cæli, lumen mundi, Sydus hominum, ſpecimen Angelorum, lapis viuus, ſpeculum lucis, logotheta diuinitatis, forma fidei, columna cæli, architectus veri tabernaculi quod fixit Deus & non homo.* Nam & Cherubin iure perhibe

hibetur, qui ſcientię plenitudinem ex ipſo Redemptoris pectore percepiſſe agnoſcitur.]

Rupertus Ioannis decora perſępè attingit. Sed nominatim in opere de dono intellectus *b* qui eſt liber quartus de Operibus Spiritus ſancti. Vbi de Ioanne iure dictum agnoſcit, quod impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientię & intellectus. Nam [ſecundùm gratiam qua diligebat eum Ieſus, qua & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit, *Domine quis eſt qui tradet te*, magnitudinem accepit intellectus, ſiue ſapientiæ. Intellectus, vt Scripturas intelligeret; ſapientiæ, vt mirabili facultate propria conſcriberet.] Et tametſi quando Spiritus eſt datus in Pentecoſte, plenitudo illa ſcientiæ omnibus Apoſtolis obtigit; tamen Ioannes amantiſſimus Domini, accepit partem vnam extra fratres ſuos: vnde ſolus inter Apoſtolos conſcripſit Apocalypſim, cuius tot ſunt Sacramenta quot verba.] Addit pleraque de ea Ioannis perſpicacia in diuinis myſteriis penetrandis Rupertus, ob quam Aquilæ ſymbolo expreſſus eſt Ioannes: quod plenè verſat in Prologo Commentariorum in Ioannē; vbi de hoc S. Apoſtolo accipit illud Iſaiæ 33. de mundi cordis homine: *Iſte in excelſis habitabit? munimenta ſaxorum ſublimitas eius; panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius; cernet terram de longè.* Quam eſſe ait imitationem loci ex Iobi c. 39. quem æquè de Ioanne accipit. *Ad præceptum Domini eleuabitur, aquila; in arduis ponet nidum ſuum. In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inaccesſis rupibus. Inde contemplatur eſcam.* Præmiſerat de eiuſdem B. Apoſtoli in hæreticos quoſcumque fortitudine; & quod magno vocis Euangelicæ tonitru, verbíque coruſcantis fulmine, omne concilium vanitatis cunctámque Eccleſiam malignantium, vbique terrarum peruertit, ac diſſipauit.]

Elias Cretenſis *a* expendens illud Gregorij Theologi de

b à c. 10. ad 14.

a Orat. 19.

de Ioanne & Iacobo,quod *ob grandiloquentiam, filij tonitrui* ſiue *Banerges* eſſent denominati, hanc eius nuncupationis rationem, Ioanni perhonorificam aſſignat. [Nam quamvis omnis Euangeliorum vox cæteris Spiritus Sancti doctrinis ſublimior ac præſtantior ſit,(quoniam in aliis quidem per ſeruos,hoc eſt per Prophetas nobis locutus eſt ; in Euangeliis autem Dominus ipſe concionatus eſt.) Tamen vocaliſſimus & Clariſſimus Euangelicæ doctrinæ præco ; & qui omni eruditione maiora, omníque mentis captu ſublimiora locutus eſt, Ioannes fuit, tonitrui filius à Saluatore appellatus;præterea quod terrarum orbi (vt ita dicam,) intonuerit; ac veluti ingenti quodam ſtrepitu, cum in ſtuporem coniecerit : vt qui magna quædam & eximia dixerit. Etenim humanitatis ab vnigenito aſſumptæ,ingens reuera & venerandum myſterium,pulchrè exclamat dicens. *In principio erat Deus : ac poſtea caro factus eſt, & habitauit in nobis.* Cui quidem etiam conſona, Iacobus ipſius frater in Epiſtolæ ſuæ initio his verbis intonuit. *Quod erat ab initio,quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris,& manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ & vita manifeſtata eſt,& vidimus & teſtamur,& annunciamus vobis, vitam æternam quæ erat apud Patrem.*] Impegit hic Elias, tribuens Iacobo, quod erat Ioannis.Neque tamen non etiam *Banerges* Iacobus : cum præ ſua altiſonante prædicatione,adeò exacerbauerit Iudæos, vt primus Apoſtolorum, agentibus Iudæis, occiſus ſit gladio. Eius item prædicationes per Hiſpaniam,neminẽ latent. Sed Ioannes,qui & longè diutiùs quam frater vixit,ac anno ætatis 99. obiit ; & multò plures oras peragrauit, cum etiam ad Indos penetrauerit prædicans, vt notat Baronius, *a* & vniuerſas Aſiæ fundauit ac rexit Eccleſias, teſte S, Hieronimo, *b* ac etiam cum abſolutiſſimo omnium Euangelio per orbem terrarum vniuerſum, iam à mille ſexcentis annis ſit exauditus, principaliori

a In Martyr.ad 27. Decembr.
b Lib.de Scriptor.

Digitized by Google

paliori titulo dictum *filium tonitrui*, nemo inficias erit. Præterquàm quod erat quaſi filius amãtiſſimus,ac veluti Beniaminus Chriſto, quem *tonitrui* appellatione in ſcripturis venire, docet S.Gregorius *a* ad illud Iobi,*tonitruum magnitudininis eius,quis poterit intueri?*

a Lib. 17. moral. c. 19.

Arnoldus bonæ vallis, *b* cuius ſermones de operibus Chriſti Cardinalibus, nomen D. Cypriani falsò diu prætulerunt; Ioannem vocat *dilectum cubicularium thalami humanitatis*: quo item titulo eum honeſtat,expendens quartum Chriſti verbum; non leui coniectura, eundem eſſe vtriuſque illius lucubrationis autorem.

b Serm.de paſſ.Dom.

S. Bernardus, B.Ioannis decora effusè celebrat ſermone tertio de cæna Domini. Sed abſtineo eius adſcriptione; quia verus parens ſermonum illorum *de cæna Domini*, non eſt S. Bernardus;ſed Ogerius Abbas Cuſedij; ne dignus quidem præ obeſitate ſua, cui Bernardi perſona imponeretur. Abſtineo item exſcriptione eorum quæ habentur apud Bernardum ſermone 4. de Aſſumpt. quia is quoque Sermo, eſt Bernardo ſuppoſitus.

Alij Scriptores non ignobiles, etiam haud ita recentes, varia Ioannis decora addenſant, quæ quod vel minùs certa ſint, vel meo Iudicio falſa, malo præterire. Eiuſmodi eſt, quod à Catharino aſſeritur, Ioannem, æquè ac Enochum, & Eliam,teſtes Chriſto affuturos, & pro eo mortem oppetituros. Interim tamen beatos & comprehenſores eſſe ex parte animæ; quod S. Antoninus *a* à B.Ioanne Dominico Florentino Ord. Prædicatorum, ſuo præceptore, penè mordicùs traditum teſtatur; ſubſcribitque Catharinus. *b* Plures tamen è contrario,iam defunctum Ioannem ſtatuunt: eo tamen diſcrimine ab aliis idem ſentientibus, quod nonnulli rediuiuum à morte,cælis iam illaturā, æquè ac B.Virginem,& S. Ioſephum Chriſti nutricium,ſtatuunt. Ita de

a 4.p. tit. 13.c.4.§. 2.

b L. 2. de consũmata gloriæ Christi & B.V.*ſub finem.*

Ioãne Petrus Thyræus,& Autor tractatus de Trãſlatione S.Iacobi in Hiſpaniam,inſertus Floriacẽſi Bibliothecæ; *a* neque enim veriſimile eſt, eum voluiſſe quod cortex verborum eius ferre poſſet;nempe quod Ioannes citra mortem,illatus ſit cœlo.

c L de glorioſa Appar.ad Iudic. c. 14. n.85.

a Pag. 186.

Hæc ſunt quæ dicebam vel ambigua vel falſa B. Ioannis decora. Nam Ioannem mortuum iam eſſe, habet nunc ſententia cõmuniſſima,cui ſubſcribit Baronius anno Chriſti 101. & ad 27.Decemb.Suares,*b* latéque Iuſtinianus *c* in præludiis ad Canonicas Ioannis Epiſtolas. Ipſa dies dormitionis S. Ioannis conſignatur in Eccleſiaſticis tabulis 27. Decemb. apud Græcos autem in Menologio *b* Cal. Octobr. Quod diſcrimen,noſtra nunc non refert. Vt neque quod Ludolphus,neutra die aſſignata obiiſſe S. Ioannem contendit;ſed id accidiſſe ait 24. Iunij. Quod autem ea dies B.Ioannis Baptiſtæ ſolemnitate grauaretur,feſtum S. Ioannis Apoſtoli indictum eſſe diem 27.Decemb.quo S. Ioannes in Aſię Patriarcham eſt conſtitutus,vel quia ea die dedicata eſt S. Ioanni Apoſtolo aliqua Eccleſia. Quæ ſunt Ludolphi diuinationes. Tametſi neque argumentum eſt ſconuincens,pro die obitus S.Ioannis quem referebam;quod in tabulus, is dies dicatur eius Natale.Nam etiam SS. Innocentum natalis dies in iiſdem tabulis, dicitur eſſe 28. Decembris; cum tamen conſtet Innocentes non fuiſſe cæſos niſi poſt Chriſti in templo præſentationẽ, vt dixi in Diplychis Marianis;vnde ſicut ibi,*Natalis dies* ſumitur pro ſolemnitate ad recolendum matryrium SS. Innocentium alia die peractum,ita dies 27. Decembris dici poſſet vocata eſſe *Dies Natalis* S.Ioannis Apoſtoli, quia ea eſt dies ſolemnis eius,quamvis alia die defuncti. Adiũcta tamen ſolemnitati Natalis Chriſti, vt Regi pacifico ſuus veluti princeps militiæ S.Stephanus, & ſuus veluti Cancellarius S. Ioannes, ac ſuus velut cuſtodiarum cuneus, SS. Innocentes adeſſent. Vt vt verò iſta

b 1.2. 3. p. d. SS.ſect. 3.

c Cap. 6.

b 1. p.vitæ Chriſti c. 6.

c par. 1. p. 8.n.20.

ſe

ſe habeant,perſpicuum eſſe debet,*diem Natalem* S.Ioannis Apoſtoli,pro Eccleſiaſtica illius verbi notione,ſonare diem obitus,qui vel tunc contigerit, vel tunc certè recolatur. Atque ita rectè inde confirmatur Ioannis obitus, euertitúrq; vana illa prærogatiua,quod S. Apoſtolus non obierit,meritò à nobis exploſa. Nec admittenda eſt Ioãnis cum Enocho & Elia æquiparatio. Nam quamvis certum videatur,Enochum & Eliam ſuperſtites eſſe,& venturos ante extremum Iudicium, vt reiecto Alcaſario,*d* paſſim ſtatuũt Doctores,& fusè à Coſta *e* ac doctus Louanienſis ad Auguſtinum.*f* Tamen quod iam Deum clarè videant, & poſteà beatitudine excidentes ſint morituri, apertè commentitium eſt. Eſto, anceps quæſtio ſit, an, & quatenus ſint habendi Viatores,de quo latè Suares. *g* Ioannis tamen poſt mortem obitam, reſurrectio præcox, ex ſingulari priuilegio; & beatitudo iam nunc conſummata, (qualem B. Virgini omnes concedunt;) eſt aliquatenus probabilis, tametſi minimè certa. Imo Suares, *a* eam ſententiam cenſet deſtitui ſufficienti fundamento; & reuelatio apud S. Brigittam, *b* aliud ferre videtur. In ea enim habetur Ioannem leniſſima morte eſſe defunctum, eius verò corpus,dum voluuntur ſecula,ſecuro in loco aſſeruari.

d In c. 11. Apocal. notatione 6.
e Lib. 3. de temp. nouiſſ. à c. 6.
f Ad L. 1. de pecc. mer. c. 3. & ad l. 2. contra Pelag. & Cæleſt. c. 33.
g L. 12. de grat. c. 15. à n. 8.
a Sect. illa 3.

His itaque vel minùs exploratis,vel apertè commentitiis, apud aliquos & veteres & recentiores,B. Ioannis prærogatiuis,in præſentia citra diſcuſſionem dimiſſis;iis tantùm inhæreo ſolidis ac benè fundatis, quæ ex antiquis ac probatis in Eccleſia Doctoribus ſunt prolatæ; ferè nixæ iis ſcripturis quæ B. Ioannis meminerunt,aut ab eo exaratæ ſunt ad Eccleſiæ doctrinam, inſigni erga eum Dei fauore, qui à ſuis (vt ita dicam,) ſecretis, Ioannem habere voluit, non abſque ornamentis tanto muneri conſentaneis. Laborauit in hoc argumento egregiè Franciſcus Titelmannus; nuperus quidem ſcriptor,ſed de quo haud iniuria vſurparis illud Nyſſe-

b L. 4. Reuel. c 1. & 23.

c In Monodia.

ni c de Baſilio. [Secundas ei poſt antiquos partes, ſolum tempus dedit.] Scriptor enim eſt, & doctus, & emuncti Iudicij, ſpiránſque vbique pietatem. Titelmannus ergo Pſalmum ſuorum in Ioannem commentariorum nuncupatorium edidit, ſeptem diſtinctum ſcandulis, quibus decora Beati huius Euangeliſtæ, ex ſcripturis & Patribus deprompta, ſimpliciſſimè ſi verborum corticem ſpectes; perpulchrè verò ac vernantiſſimè, quo ad ſenſa repreſentauit. Quem quominus hîc exſcribam, faſtidij ex prolixitate metus, facit. Eius ſcalæ gradu ſecundo, totus eſt in libranda attributione Mariæ Matris, ad Ioannem; & viciſſim Ioannis ad Matrem.

XLV. *Summum Ioannis decus, ex eo quod ſit Deiparæ attributus in filium.*

Inde immenſum Ioannis decus, à Titelmanno eruitur. In idem incubuerunt quotquot Chriſti in cruce confixi verba expoſuerunt; nominatim Arnoldus bonæ vallis, Ludolphus, Domitius Platus, Bellarminus, Scribanius, & alij. Et quod vtriuſque illius attributionis conſideratio, ad præſens inſtitutum maximè faciat, non eſt prætereunda abſque ſuauiatione. Sed ante omnia ſtatuendum eſt, verba illa Chriſti ad Matrem *Mulier ecce filius tuus*; ſpectare Ioannem, non Chriſtum ipſum. Hoc eſt, Chriſtus non dicebat de ſeipſo, *Mater en me filium tuum; En quàm malè habeor, quàm dirè ab ingratiſſimis Satanæ emiſſariis tractor.* Quem ſenſum (alio licet non excluſo,) admittit Gabriel Biel, ſed eſt ſenſus planè abhorrens à Chriſti mente, quæ ferebat, alium ſibi ſubſtituere qui matri eſſet pro filio; eámque curaret & coleret, præbens filiis exemplum, ne parentes ætate prouectos, cultu & ſubſidio deſtituant. Ita ea Chriſti verba intellexerunt Patres omnes, vt proinde abſque diſtorſione ac temeritate, non poſſint aliter accipi: quia ſcriptura, vt Concilium Tridentinum edixit, non eſt interpretanda contra quàm vnanimiter eam interpretantur Patres; qui hîc ad vnum omnes, ſenſum

a Serm. de paſſ. Dom. *pag.* 14.

ſum propoſitum tradunt. S. Ambroſius *b* concinnè ad Eccleſiam Vercellenſem ſcribens, Teſtamentum domeſticum à Chriſto confectum affirmat, ad diuidenda pietatis officia; matri Ioannem in filium, Ioanni Mariam in Matrem aſſignando. Quem locum Ambroſij, expreſſit perpulchrè Guerricus. *a* Idem Ambroſius in exhortatione ad Virgines, agens de Maria nube leui. [Ideò illam Dominus de cruce, diſcipulo ſuo dilectiſſimo ſibi, tradit S. Ioanni, quia dixit patri & matri ſuæ *Non noui vos.* Denique vocatus à Chriſto, reliquit Patrem, Verbum ſecutus. Huic traditur Virgo, qui ſuos neſcit; huic traditur virgo, qui è pectore Chriſti hauſit ſapientiam; huic traditur virgo, qui fratres ſuos non cognouit, & filios ſuos non ſciuit. Ideóque benedicit eum lex, *date Leui Veros eius; date Leui ſortes eius.* Vnde & Matrem Domini ipſe ſuſcepit.] Addit alia in eandem ſententiam, quibus liquet, Ambroſium verba illa Chriſti, *Mulier ecce filius tuus* de Ioanne, non autem de Chriſto prolata cenſuiſſe: Id quod etiam apertè habet Sophronius aut quiuis alius autor Sermonis de Aſſumptione. Optimè prætereà ac pereleganter id tradit Arnoldus bonæ vallis, tractans quartum Chriſti in cruce Verbum. Ex perſona ipſius Deiparæ, eum quem reiicimus Verborum Chriſti ſenſum, refellit Laurentius Iuſtinianus, *a* expendens quid tacitè apud ſe B. Virgo cogitaret, audiens ſe à Chriſto vocari *mulierem* non *matrem*. [Quid eſt quod loquitur? vnicus mihi eſt, vnicéque dilectus. Poſt ipſum, nullum habui, ſed neque cum illo, alium habere volo. Planè ſi de ſe. ait, ſi ſeipſum inſinuare voluit, dicere debuerat, *Ecce me filium tuum, Ecce quem genuiſti*: Vel cur oſtenderet præſentem quem video, quem audio, quem cognoſco?] De prædictorum itaque, & omnium aliorum Patrum ac Interpretum mente, ſenſus illorum Chriſti Verborum ad matrem, eſt; Mulier, qui tibi in meis tormentis ad crucem aſtat,

b Ep. 81. *in fine.*

a Ser 4. de Aſſumpt. B. Virg.

a Lib. de triumph. Chriſti Agone c. 18. n. 8.

tibi

tibi deinceps meo loco filius erit; ipſe tui curam geret; téque vice mei, tanquam filius, non naturæ ſed gratiæ munere, obſeruabit & colet. Et verò verba illa quæ illicò Chriſtus oratione ad Ioannem conuerſa dixit, *Ecce mater tua* ſenſum quem ſubieci verbis ad matrem prolatis, inſinuant. Perinde enim eſt ac ſi Chriſtus dixiſſet Ioanni; Ecce quam tibi pro me curæ eſſe volo, quámque tibi meo loco deinceps eſſe pro matre decerno. Eíque ſenſui verborum Chriſti inhærentem Religioſum quendam, per annos ferè viginti, quoties ad hunc paſſionis Chriſti locum deueniebat, ſolui ſolitum in vberes lachrymas, refert Ludolphus. *a* Delibutus enim tenerrimo ſenſu pietatis, ex recogitato B. Mariæ dolore, pro filij tanto deſpicatioris ſubſtitutione, imparíque ſynallagmate, perfundebatur dulciſſimo ſenſu pietatis, quem fletus largè erumpens prodebat. Indubiè ergo Chriſtus alloquens matrem, & illi filium aſſignans, agebat de Ioanne.

a 2. p. de vita Chriſti c. 63.

XLVI. *In Ioanne omnes fideles, attributi Deiparæ, in filios.*

Aduertunt tamen paſſim Patres, Criſtum Dominum, tametſi iuxta literæ corticem, ſolum Ioannem matri ſuæ pro filio aſſignauit; tamen intentionem direxiſſe in Ioannis perſona, ad omnes fideles, quos ſicut Euæ Virgini primæ ad mortem; ita Mariæ ſecundæ Virgini, alteri Euæ ad vitam, filios ſpirituales eſſe, & ipſam pro illorum Spirituali matre ſe gerere, conſtituit. Hoc ex Origene, Auguſtino, Anſelmo, Ruperto, Guerrico, Richardo, à S. Laurentio, aſtruxi in Tractatione de Scapulari *a* Stochiano, Idem habet Philippus Abbas. *b* Et tractatur etiam admodum piè, à Spinello in Opere de Throno Dei. *c* Nunc adduco Ludolfum, qui allegat Hugonem de S. Victore. Multa ergo prælocutus Ludolfus, circa hæc Chriſti verba ad Matrem & Ioannem, ſubdit. [In hac recommendatione intelligimus, non ſolùm Ioannem, ſed & totam Eccleſiam, & quamlibet fidelem animam, in Ioanne B. Virgini commendatam, ac eius ſerui

a Cap. 2. *b* L. 2. in Cant. c. 8. c. 27. n 7. & c. 28. n. 5.

ſeruitio ac obedientiæ ſubditam ; ipſámque è contra, toti populo Chriſtiano vſque in finem mundi, pro conſilio & auxilio relictam, vt ipſa nos habeat in filios, diligendo nos, & bonum noſtrum procurando, affectu materno, & nos habeamus eam in matrem dilectiſſimam, ipſam ſemper amando, & poſt Deum ſuper omnia honorando. Vnde Hugo de S. Victore. [Ex hoc articulo vbi dictum eſt, *Ecce mater tua*, Intelligitur quod virgo beata, non ſolùm Ioanni in matrem traditur, imo toti Eccleſiæ, vniverſíſque peccatoribus in matrem aſſignatur, cum dicitur *Ecce mater tua.* O peccator, deſperare noli; *Ecce mater tua.* O Verbũ dulce? O Verbum ſolatioſum? O verbũ gaudioſum! *Ecce mater tua.* Ipſa enim eſt mater Dei hominis, mater rei & Iudicis. Non decet, vt inter filios diſcordiam eſſe permittat. Si enim O peccator, Maria eſt mater tua, ergo eſt Ieſus & frater tuus; & pater eius, pater tuus. Ergo & regnum, & hæreditas, tua. Ergo gratia Mariæ quam inuenit apud Deum, eſt theſaurus tuus. Ergo dilige eam & venerare, tanquam præſentem tibi vbique, & ampliùs noli morari, ſed ab hac hora accipe illam in tuam, vt ipſa tandem recipiat te in gloriam ſuam. Hæc Hugo.] Ex quibus Ludolphus colligit, Ioannem non ſolùm fuiſſe Deiparæ aſſignatum in filium ; ſed etiam in eo omnibus fidelibus eandem gratiam à Chriſto factam eſſe ; atque adeò Ioannem in ea ad eum Chriſti allocutione, repræſentatiuè fuiſſe omnes fideles. Et ita perpulchrè ex Patribus ante annotatis, ex iiſdem Chriſti verbis ſpiritualiter acceptis, eruunt, Origenes, atque Rupertus, adducti ſuperiùs.

Nunc adduco Laurentium Iuſtinianum *a* qui præmiſſo literali ſenſu verborum Chriſti ad matrem, *mulier ecce filius tuus.* Ioannem directè deſignando ; ſubdit ex perſona Chriſti ad matrem ; [Præclarum etiam ſcito in hac commendatione diſcipuli, latere myſterium. Ipſe

a Lib. de triumph. Chriſti Agone c. 18. n. 10.

namque typum gerit Eccleſiæ, quæ eſt immaculata & virgo. Hanc in perſona diſcipuli tibi relinquo. Tu illam tanquam me dilige; exhortationibus robora, confirma conſiliis, exemplis erudi. Poſſet equidem in hoc ſeculi naufragoſo diſcrimine abſque gubernatore perire. Multæ aduersùs illam procelloſæ tempeſtates, perſecutiones acerrimæ, hæreſes diuerſæ, concitandæ ſunt. In fide adhuc debilis eſt, minùs fundata virtutibus; & inſueta pugnæ facillimè ſuccumbet, aut hoſtibus terga vertet, ſi Duce priuatam ſe ſenſerit. Ex meo ignominioſo ac repentino exitu, ſcio quod turbanda eſt, tuis informationibus erigetur, tua protectione ſolidabitur, atque ex præſentia tua, deperditas, (ſi quæ fuerint,) recuperabit vires. Volo igitur vt illam de cætero in filium habeas, illam tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctam, ad me perducas. Eidem quoque mandabo, vt te tanquam matrem veneretur, te diligat: ad te confugiat, te inter Deum & ſe, mediatricem faciat. Te aduocabit in periculis, in dubiis conſulet, in neceſſitatibus implorabit. Non minùs de te, quàm de me captabit fiduciam. Faciam prorſus, vt omnes concurrant ad te; eritque nomen tuum honorabile, in omni generatione & progenie. Nemo in tui inuocatione ſpernetur; nullúſque deuotus tibi, à me efficietur alienus. Indiſſolubili charitatis fœdere, te illi, & ipſam copulabo tibi. Hæc matri.] Itaque ex verbis Chriſti ad Ioannem; cùm in ſua, tum in vniuerſæ Eccleſiæ quam repræſentabat perſona, immenſum Beati illius diſcipuli decus, ſolidum & optimè fundatum eruitur.

XLVII. *Qualis ſit in Ioanne, filiatio; abſurda ſententia.* *a* Serm. 64.

Hoc decus S. Ioannis, ita extollit Petrus Damiani, *a* vt dicat de Ioanne. [Chriſtus eum matri ſuæ, quæ Virgo eſt virginum, perpetua filij ſubiectione coniunxit. Nam ex vtriuſque, matris videlicet filiíque conſortio, Ioannis virginitas excellenter enituit, & quouſque humana poſſunt merita prouehi, quaſi meta virtutum factus,

factus, indeſinenter excreuit. Neque enim illa verba quæ Saluator noſter in cruce poſitus protulit, *mulier* (inquiens) *ecce filius tuus*, ſic ſimpliciter ſunt accipienda, vt humano tantùm videãtur more prolata; Sed prorſus efficacia ſunt, & diuinis virtutibus fulta; atque ineuitabili veritatis autoritate ſubnixa. Illud enim vnicum Patris Verbum, quod in Cruce pendebat, ſubſtantiuum & conſubſtantiale Patri, ac ſempiternum eſt. Atque idcirco verba quæ locutus eſt, quia Spiritus & vita ſunt, inaniter tranſire non potuerunt. *Cælum* (inquit ipſe pius Ieſus,) *& terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt.* Sicut enim dixit matri; *hic eſt filius tuus*; ita dixit diſcipulis ſuis *hoc eſt corpus meum.* Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illicò panis ille quem dabat Dominicum fieret corpus. *Dixit enim, & omnia facta ſunt, mandauit & creata ſunt.* Ex quadam itaque ſimilitudine, ſi dicere audeamus, & B. Ioannes, non ſolùm filij potitus eſt nomine; ſed propter verba illa Dominicá, quoddam maius neceſſitudinis Sacramentum, apud B. Virginem meruit obtinere.]

Hæc à Petro Damiani, ex affectu in S. Apoſtolum rhetoricando prolata, non ſunt adeò crudè accipienda, vt quemadmodùm per Verba conſecrationis, tota ſubſtantia panis ac vini abſcedit, ſaluis ſolis accidentibus; ita ad prolationem illorum Verborum Chriſti, *mulier ecce filius tuus*, abſceſſerit tota ſubſtantia Ioannis, per conuerſionem totalem eius, in Chriſtum. A pagè adeò fatuum ſenſum, vt non poſſit fingi inſulſior. Sic enim Ioannes fuiſſet adorandus adoratione latriæ, tanquam Deus homo; & obnoxij illi eſſemus pro redemptione noſtra; quod blaſphemum eſſet, & Chriſtianis auribus non ferendum, Et verò eodem iure prætenſæ efficaciæ Verborũ Chriſti, mater filiorũ Zebedæi verſá eſſet ſubſtantialiter in Deiparam; quia verba illa *ecce mater tua*, æquè efficacia eſſe deberent, ac Verba Chriſti

priora, *mulier ecce filius tuus*; quibus Ioannes in Chriſtum ſubſtantialiter mutatus fingeretur, æquè ac panis in Chriſti Corpus, & vinum in ſanguinem, per verba cõſecrationis. Quæ eſt tanta abſurditas, vt nulla exaggeratione explodi ſatis poſſit. Quanquam quia nulla eſt fœditas ſine amatore, inuenti eſſe dicuntur, qui ita deſiperent. Nam Ioannes Ecoute Angianus, & Ioannes Tinetor, (iuſta vterque ſcriptione,) tribuunt Nicolao Boneto, & Franciſco de Mayronis Ordinis Minorum Theologis, quod ſenſerint, Ioannem ad prolationem Chriſti Verborum, fuiſſe tranſubſtantiatum in Chriſtum. Sed non credo, tale quid illis excidiſſe, Mayronio præſertim, cuius laus eſt in Schola Theologica, ab acumine & ſoliditate doctrinæ. Petrum verò Damiani longè abfuiſſe à delirio quod retulimus, perſpicuum eſt ex verbis quæ ſubiicit continenter. [Conſideremus itaque, quantæ gloriæ, magnus vir iſte credendus eſt, qui per quoddam adoptionis arcanæ myſterium, & filius Virginis, & frater eſt Saluatoris.] En Ioannes, de Petri ſententia, non niſi adoptione à Chriſto facta, filius eſt virginis. Sed & in anterioribus verbis quæ difficultatem faciebant, & æquiparationem horum Chriſti verborum cum Verbis conſecrationis ferre videbantur, ſatis innuit Petrus; rem non eſſe ad viuum reſecandam; cum dicat, hoc non eſſe verum, niſi *per quandam ſimilitudinem*; quibus Verbis ſatis inſinuat, comparationem propoſitam, æquè molliendam eſſe, ac eam, qua diuina Euchariſtia, ab Origene *a* & D. Auguſtino videtur æquiparari Verbo Dei prolato, & tractato in Concionibus: quaſi æquè peccet, qui Verbum Dei auditum abiicit, & calcat; atque is qui diuinam hoſtiam pedibus protereret. An ex his Patribus inducti ſint in errorem illi Sectarij, qui apud Ermengardum *c* dixerunt, Verbum in concione prolatum, eſſe ipſum Chriſti Corpus phyſicum, nihil attinet quærere. Certum tamen eſt, Origenem, pro quo

a Hom. 13. in Exod.
b Homi. 26. ex So.
c L. contra Valdéſes. c. 11.

quo circa hoc,latè ſatagit Petrus Halloix,*d* & multò magis D. Auguſtinum,adeò turpiter non impegiſſe, quàm cortex Verborum ferre videtur,vt latè proſequor in heteroclitis ſpiritualibus *e* tractans anomalias auditionis Verbi Dei : ſed tantùm per nonnullam,eámque admodùm remotam & imperfectam analogiam,Verbi Diuini tectorio ſpecierum abditi,cum Verbo Diuino prolato in concionibus , declaraſſe quanti ſit faciendum Verbum Dei tractatum. Tametſi illius analogiæ adeò imperfectæ vſurpatio, tanta hyperbole turget, vt ſatius ſit ea abſtinere : Affinéque eſt, quod per nonnullam analogiam valdè imperfectam, & idcircò potiùs prætermittendam ; Eucherius, *a* immutationem Chriſtiani per Baptiſmum , componit cum panis immutatione per Verba Sacramentalia,quæ efficiunt , vt quod ante panis erat, ſit corpus Chriſti : Similitérque qui priùs erat filius Diaboli , mundatus lauacro aquæ in verbo vitæ, tranſit in filium Dei adoptiuum. Quæ eſt aliqualis proportio efficaciæ Verborum conſecrationis,& formæ baptiſmi ; Sed admodùm imperfecta ; cum in Euchariſtia fiat mutatio ſubſtantialis , in baptiſmo autem , non niſi accidentalis. Idem ergo ſtatuendum eſt, de æquiparata Verborum Chriſti circa panem & vinum efficacia,cum Verbis Chriſti ad B.Virginem de Ioanne.Ad ſummum enim ferunt,Ioannem, adoptione & munere gratiæ, factum fuiſſe filium B.Virginis, non autem naturâ,vel tranſubſtantiatione. Dixi *ad ſummum* id ferre Verba prædicta,nec eorum efficacitatem ad aliud extendi;quia ne eorum quidem ſententiam admitto , qui voluerunt , ad prolationem prædictorum Chriſti Verborum , exurrexiſſe in Ioanne , relationem Phyſicam filij naturalis B.Virginis,& in B.Virgine , exortam eſſe Phyſicam relationem maternitatis erga Ioannem. Hoc cenſuit Nicolaus de Orbellis, Ordinis Minorum. Nec plus cenſuiſſe videntur,Bonetus & Mayronius eiuſdem

d l. 3 pro Origene.

e Parte 2. ſect. 2 p.4.

a Homil. 5. de Paſch.

inſtituti. Idem Romæ propugnauit quidam Baurinon; & Tarracone alius, tempore Salmeronis, *a* vt ipſe refert; addens Dominicum de Dominicis, per idem tempus quo Bonetus ac de Orbellis ſua ſcripta vulgarunt, ſcripto contrario hanc eorum ſententiam exagitaſſe; & meritò; vt dixi in Diptychis; *b* quia phyſica relatio filiationis, eſſentialiter præſupponit generationem vitalem, tanquam rationem fundandi ex qua exurgit. Conſtat autem, eam abfuiſſe in hoc negotio.

a Lib. 9. in Euang. tract. 41.

b p. 1. puncto 9. n. 28.

XLVIII. *Vera ſententia, & indidem ſumma Ioannis dignitas; eiuſque piè æmulandi incentiuum Roberto; viros fœminæ ſubijcienti.*

Dimiſſis ergo his commentitiis, imo portentoſis B. Ioannis exornationibus, genuinus Verborum Chriſti ad matrem, & ad diſcipulum, ſenſus eſt, quem abſque tranſubſtantiationibus, & exortu relationum phyſicarum de nouo productarum, rectè hac ephraſi expreſſit Laurent. Iuſtinianus *a* [Diſcipulum quem diligo præ cæteris; tibi commendo in filium, vt quemadmodùm comes, ita & integerrimæ virginitatis tuæ ſit cuſtos. Obtemperabit tibi vt filius, & tu de illo, ſicut de me, qualicumque frueris ſolatio. Dormiuit cũ Patribus ſuis Ioſeph ſpõſus tuus, nutritius mihi: Aſcendam & ego ad Patrem, hoſtibus triumphatis: Quamobrem, diſcipulus; amborum in te ſupplebit vices. Hæc Matri. Ad diſcipulum verò inquit, *Ecce mater tua*, illi famulare, illam honora; poſt me ſecundus habe. Quicquid exhibebis illi, ſiue obſequij, ſiue reuerentiæ, ſeu iniuriæ, adſcribam mihi. In præſenti afflictione eius, eſto illi conſolator dulcis, indiuiduus ſocius, & obediens filius. Non hinc diſcedat ſine te; vbicumque eſſe volueris, ipſius adhære veſtigiis *&c.* Ex illa ergo hora, & deinceps, iuxta Domini præceptum, accepit eam Diſcipulus in ſuam.] Suppoſito hoc Verborum Chriſti ſenſu genuino, ſolidè omninò ac verè Petrus Damiani Verbis ſuprà poſtremò recitatis, ex adoptiua Ioannis erga Deiparam filiatione, quæ eſt moralis forma per Chriſti voluntatem inducta; per eas Chriſti ad matrem, & ad diſcipulum voces, quas

a Lib. de triumph. Chriſti agone c. 18. n. 9. & 10.

pro

protulimus & expendimus ; colligit excelſum gratiæ gradum, ad quem B. Ioannes eſt euectus, tanquam ſpecialiſſimus adoptiuorum Deiparæ filiorum, & iure præcipuo frater Chriſti.

Huc benè multi, aptant locum illum Ioannis, continenter verbis illis Chriſti ſubiunctum. *Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Legunt enim *accepit eam in ſuam*, nempe *matrem*. Exhibent eam lectionem *in ſuam*, multi Codices & Interpretes aliqui, quos ſignat Franciſcus Lucas in opere variantium lectionum. Sed addit, omninò multos Codices quos appendit, legere *in ſua*. Et rectè, quia Græcus cõtextus habet εισ τα ἰδια. Quo loquendi modo, non ſignificatur Ioannem accepiſſe Mariam in ius ſuum, vt perperam cenſuit Eraſmus. An enim qui filius eſt, ius aliquod in Matrem habet? Neque item eo loquendi modo, ſignificatur, Ioannem deduxiſſe in ſuam domum, & apud ſe habuiſſe B. Mariam. Quem ſenſum maximè probat Theodorus Beza. At fuiſſe Ioanni domum, & ipſum in ea excepiſſe B. Virginem, gratis aſſeritur : Iure proinde, ea expoſitio reiicitur à Caniſio. *a* Itaque in opere de Minutalibus ſcripturæ ſacræ, *b* amplexus ſum expoſitionem B. Auguſtini, *c* affirmantis B. Ioannem accepiſſe Deiparam *in ſua* ; ſupple, *officia*: & quod idem eſt, *in ſuā peculiarem curam* Sicut quę propria cuiuſque ſunt, eſſe illi debent curæ. Quę ſenſum probauit Toletus ad eum locum, *d* & ibidem Mariana, nec malè Auctor libri de diuitiis, falsò creditus Sixtus 3. Quia enim Ioannes à Chriſto attributus erat B. Mariæ pro filio, vt ei tanquam filius obſequium & venerationem impenderet, pro magno munere accipiens hoc Ioannes, ex eo temporis puncto, addixit ſe ex animo ſeruituti ac Cultui B. Virginis, perinde ac ſi eſſet ipſi Mater, qui eſt titulus ille ſublimis, exornando Beato Ioãni, conuenientiſſimus, quem dicebam peti ex verbis Chriſti, attribuentis Ioannem B. Virgini in filium.

a Lib. 5. de Deipara c. 1.
b Cap. 1.
c Tract. 119. in Ioannem.
d Annotat. 16.

Indidem

Indidem quoque habetur eminentiſſimus gradus dignitatis,quo S. Ioannes in Eccleſia collucet.Inſupérque eruendus inde eſt, titulus ſpecialis,eximiæ venerationis, Ioanni ab omnibus magnæ Matris amantibus debitæ. Optimè id perſpexerant,S.Rex Eduardus,& S.Hedui-ges; quorum ille fixum habebat,nihil negare, quod B. Ioannis nomine rogaretur. Hæc verò magno prorſus affectu quem factis ac verbis prodebat, quacumque occaſione data, erga ſanctum hunc Apoſtolum ferebatur.Eximio item affectu,S.Ioannem Euangeliſtam proſecutus eſt Ferdinādus Caſtellæ ac Legionis Rex,cognomento *Catholicus* atque *pudicus*.Vnde ei repenſum videtur,vt die S. Ioannis Euangeliſtæ,anno 1065. exceſſerit è vita,poſtquàm in graui morbo, delatus ad Eccleſiam cultu Regio,ad aram de geniculis, reſtituto in manibus Regis Domini regno,exutus regiam chlamydem,inunctus ad extremam luctam & indutus cilicium, ac cinere aſperſus, coram altari, per biduum in eo ſtatu permanens; tandem inter manus Pontificum aſtantium ſanctiſſimè exceſſit, vt ſcribit ex Luca Tudēſi Baronius ad dictum annum. Simili affectu erga S.Ioannem,ductum eſſe Robertum,ſuperiùs iam attigi: & patet ex Andrea; qui cum dixiſſet,Robertum omnia virorum ſui ordinis cænobia addixiſſe B.Ioanni,ſicut Deiparæ Ioannis Matri ſpirituali, omnes Parthenones ſuæ familiæ; addit: [Quod non ſine diuina Inſpiratione factum exiſtimo; vt quem videlicet exemplum ſeruiendi ſponſis Chriſti, fratres haberent, eundem ſuorum Oratoriorum,patronum eſſe gauderent.] Non ſatis capio, quomodò præcedentibus conſentiant, quæ de humilitate, his verbis ſubiicit Andreas. [Nec tamen talia dico, quod velim noſtrum ſeruitium æquiparare delectabili Ioannis obſequio; credens procul dubio, quod ea excellentiſſima Virgo, iuxta filium ſuum in Cœlo poſita, ſola eſt ſine exemplo.] Quorſum hic B. Virginis ſupra omnem compara

Digitized by Google

parationem ſublimitas ? cum tantùm ageretur de inæqualitate obſequij à B. Ioanne exhibiti, cum obſequio exhibito à Roberti alumnis. Vt vt ſit, agnoſcit diſertè Andreas, Robertum præſcripſiſſe fratribus ſuis,vt obedientiam Abbatiſſæ præſtarent, ad imitationem, & aliquatenus ad inſtar filialis oſequij à Ioanne, ex Chriſti præſcripto præſtiti Deiparæ,tanquam ſpeciali eius Matri adoptiuæ;Et affectum Roberti erga B.Ioannem, & erga Deiparam ſubiectioni à Chriſto demandatæ innixum ; impuliſſe ipſum Robertum, vt fratres ſuos Abbatiſſæ ſubiiceret ; æmulaturos ea ratione Ioannis erga B.Virginem,ſuam ex Chriſti voluntate matrem, obſequioſum affectum ac venerationem.

Spectaſſe Robertum quod dixi;& complicata ſpeciali pietate erga B Virginem,Chriſti ac noſtram matrem, & erga S.Ioannem eius ſpiritualem filium omnes nos repræſentantem ; Ordinem ſuum inſtituiſſe, ad recolendum illud myſterium ; benè exprimitur in Oratione de B.Roberto,his Verbis concepta. [*Domine Ieſu Chriſte, qui Sanctum Robertum Confeſſorem,Patrem noſtrum ad honorandam nouæ familiæ inſtitutione, Beatiſſimæ Genitricis tuæ maternitatem,eximiis virtutibus decoraſti; tribue quæſumus; vt Sacratiſſima Verba,*Ecce filius tuus,Ecce mater tua,*quæ in Cruce moriens protulit, pio affectu recolentes,eandem Beatiſſimam matrem tuam humili obedientiæ obſequio veneremur. Qui viuis & regnas Cum Deo Patre , &c.* Maternitas B. Mariæ quæ hîc dicitur recoli,etiam ſi primordialiter ac fundamentariè eſt phyſica maternitas Chriſti ; tamen pro ſubiecta materia, eſt extendenda ad maternitatem adoptiuam, Ioanni, vt primo analogato à Chriſto conceſſam : Ad nos autem qui per Ioannem repræſentabamur, extenſam ; piè teſtatam, religioſa ſubiectione virorum ad mulierem veluti Deiparæ ectypam, & præſtitæ ei à Ioanne filialis obedientiæ, æmulam.

S Impro

XLIX. *Improbata ab Epiſcopo Pictauienſi, ea ſubiectio.*

Improbauit hanc virorum ad iuſſa Mulieris ſubiectionem, ſub Roberti paulò ante demortui tempus, Pictauiēſis ille Epiſcopus, contra quem Sugerius S. Dyoniſij Abbas interpellauit Eugenium III. datis ad eum literis; quibus rogabat, vt quæ autoritate Romani Pontificis, Fontebraldi conſtituta erant, dignaretur firmare, aduersùs nouitates à Pictauienſi Epiſcopo captatas; quippè qui nollet Abbatiſſæ canonicè electæ Fontebraldi, benedictionem impertiri; & vellet eam Abbati totius Ordinis capiti, à ſe ſuffecto ſubiicere; *fatigando* cænobium illhuc vſque Iuriſdictioni Epiſcopi ſubductum, & tentando ipſum ſibi ſubiicere, imponendo ei Abbatem ſub ipſius Epiſcopi Iuriſdictione futurũ: Vnde multæ diſcurſationes Monialium, in variis occaſionibus conſecuturæ erant; & pax Ancillarum Dei, valdè erat perturbanda. Rogat igitur Pontificem Sugerius, vt *tantæ Religionis locum*, tegere ac tutari dignaretur aduersùs violentiam Pictauienſis illius Epiſcopi, quem ait, ſolitum eſſe ſubiectos ſuos inquietare; & vt iubeat Abbatiſſam munere ſuo intra fines ab autore inſtituti Roberto conſtitutos perfungi, ac monaſterium ſuum regere abſque Abbate ſuper capita ſubditorum Abbatiſſæ impoſito, provt ferebat primordialis vſus Fontebraldenſis cænobij. Inſinuatur in hac Sugerij Epiſtola, quam Iacobus Sirmondus in notis ad Goffridum Vindocicenſem *a* repræſentauit, ſubiectionem Religioſorum ad Abbatiſſam, à ſede Apoſtolica fuiſſe approbatam; & iniuſtè conuelli ab Epiſcopo inquieto, & ſuos inquietare ſolito. Et audiſſe Eugenium preces Sugerij, diploma ab Eugenio in gratiam Fontebraldenſium emiſſum, & continuata Abbatiſſæ poſſeſſio, hodiéque vigens, demonſtrat. Quod autem nihil proferatur quo Epiſcopus de quo agimus, niteretur ad nouandum, non eſt quod vlteriùs nos diſtineat.

a Ad Ep. 31. libri. 4.

Allatra

Allatrauit verò præterea, hoc Roberti conſilium, Petrus Abelardus,*b* vt videre eſt in ea quam contexuit calamitatum ſuarum hiſtoria, vbi multa prolocutus de neceſſaria mulieribus directione per viros, ſubiungit. [Adeò ſexus infirmior fortioris indiget auxilio, vt ſemper virum mulieri quaſi caput præeſſe, Apoſtolus ſtatuat. In cuius etiam rei ſigno, ipſam ſemper velatum habere caput præcipit. Vnde non mediocriter miror, conſuetudines has in monaſteriis dudum inoleuiſſe, quod quemadmodùm viris Abbates, ita & fœminis Abbatiſſæ præponantur: & eiuſdem regulæ profeſſione, tam fœminæ, quàm viri ſe aſtringant; in qua tamen pleraque continentur, quæ à fæminis tam prælatis quàm ſubiectis, nullatenus poſſunt adimpleri: In pleriſque etiam locis, ordine perturbato naturali, ipſas Abbatiſſas atque Moniales, Clericis quoque ipſis, quibus ſubeſt populus, dominari conſpicimus; Et tanto faciliùs eas ad praua deſideria inducere poſſe, quantò eis ampliùs habent præeſſe; & iugum illud grauiſſimum in eos exercere. Quod Satyricus ille *a* conſiderans ait,

Intolerabilius nihil eſt quàm fæmina diues.]

Siue ſit diues opibus, ſiue poteſtate ac dominio in alios. Tria hîc culpat Abelardus, quæ ſigillatim ſunt inſpicienda.

L. *Itémque ab Abelardo.*

b Cap. 14. *in fine.*

a Iuuen. Saty. 6.

Primum eſt, quòd ægrè fert, fœminas fæminis præfici; falſus tamen iamdudum ita factum eſſe. Et veriùs dixiſſet, ſi ab omni æuo Chriſtiano, ita factum eſſe agnouiſſet: Nam ab initio Eccleſiæ, fuerunt Parthenones, in quibus piæ Mulieres Deo inſeruirent, imitatione earum quas fuiſſe in veteri Teſtamento, excubantes, (ſiue vt Hebræa ferunt, excubias agentes more Caſtrorum,) ad oſtium tabernaculi, & in templo fuiſſe Incluſas, habetur Exodi 18. & 1. Reg. 4. ac 2. Machab. 3. vt notauit Caniſius, *a* & Alfonſus Mendoza *b* ſcribens in aliquot verſus pſalmi 67. In quo tamen diſplicet, quod

LI. *Improbatus Abelardus, Antiſtitas Monialium reiiciens.*

a L. 1. Marialis c. 12.

b q. 2. poſit. n. 5.

quod eas Hebręas mulieres ex voto incluſas dicit;& quod inter eas,recenſet Annam filiam Phanuel, quia dicitur non diſceſſiſſe de templo. Sed de hoc alibi. Nunc ſatis eſt, quod in monaſteriis fœminarum quæ iam ab initio fuiſſe in Chriſtiana Eccleſia, monſtrat proprio in eam rem Opuſculo, Andreas Victorellus, ſemper mulieribus præfuiſſe immediatè mulierem Antiſtitam;quã Orientales vocant *Ammam*, aut vt alij Codices legunt *Dom-nam*,vel *Nonnam*, vt Roſuedius *a* obſeruauit, & ego ex eo,& aliis,in Tractatione de Paternitate Spirituali. *Et* ſanè quamvis vſus iam ab initio vigens aliter ferret, (quod puto manifeſtè falſum ;) tamen inconſultè nimis Abelardus, & cum periculo tam fæminarum quàm marium, vult ſolos mares præeſſe fæminis, eaſque immediatè regere. Multa quippè ſunt, quæ circa fæminas, longè meliùs ac ſecuriùs geruntur per fæminas, quàm per mares. Et adeò frequens aditio viri Rectoris, per mulieres, ſi obedientia exquiſitè ſeruanda eſſet,non careret magno vtrinque diſcrimine, in tanta illecebroſitate affatuum mulieris cum viro, & viri cum muliere. Neque obtendere licet, mulieres de quibus hìc agitur,ſupponi ſanctas, & ad purum excoctas à carnis fæculentiis. Nihilominus enim cauendum eſſe viro qui ſibi benè conſultum velit,à fæmina quantumvis ſancta, alibi trado.*a* Et præluxit ipſe Spiritus ſanctus eo per Siracidem *b* oraculo, *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Cuius loci ſenſus genuinus eſt,ad retinendam animæ corporiſque puritatem, præſtare verſari cum viris iniquis,& omni flagitio coopertis,ac etiã ſpurcis, quàm verſari familiariùs aut frequentiùs cum muliere, quantumvis bona & pia ; quales eſſe omnes quæ clauſtris Parthenonum continentur, par eſt ſupponere. Iniuriâ ergo Abelardus, (fortè lenocinans ſuæ mulieroſitati, quæ illum aliquando fecit ex maribus,) improbat mulierum rectionem per mulierem, tanquam filiarum

a Ad l. 5. vitæ Patrum n. 46.

a L. de ſobria frequent. c. 7.
b Cap. 42.

filiarum per matrem in Chriſto,ſiue Prioriſſa, ſiue Abbatiſſa denominetur.

Inſimulat deinde Abelardus,quod eadem regula viris ac mulieribus præſcribatur. At hæc videtur eſſe cauillatio. Vbi enim eadem ſanctimonialibus ac viris Regula indicitur,vt fit in Ordine S.Benedicti, textus regulæ accipitur cum diſtinctione accommodata; ita vt quædam quæ conſtat fœminis non conguere, cadant in ſolos viros. Quæ autem pro ſolis mulieribus conſtituuntur, quia eis tantùm ſunt propria,indicantur appoſita reſtrictione ad mulierem. Non careret autem iuſta reprehenſione, qui ſecus faceret; inhærens exemplo eius qui proximè ſuperioribus annis,regulam S. Benedicti, in vernaculam linguam transferens ad vſum Monialium Ciſtercienſium, quæ propria virorum erant, fœminis quoque adſcripſit, adhibitis vocibus generis fœminini; in quo ludibrium peritis debuit,& ſuam inſcitiam, ridendam ſcientibus propinauit; homo ſupra Hectorem generoſus, & ſuo iudicio Archymiſta Aſcetriarum,quibus ὁδηγον præſcripſit, vt eſſent (Scilicet,) praua in directa,& aſpera in vias planas.

LII. *Item reprehēdens communem vtrique ſexui regulā.*

Poſtremum in quo Abelardus apertè ferit Robertum,& Fontebraldenſes,haud ægrè repellitur, allegato ſenſu contrario tot Pontificum; quos in Religionum approbatione errare non poſſe, concors eſt omnium Theologorum ſententia, (dempto homine ingenij liberioris,Melchiore Cano; cuius hac in parte licentia,ab omnibus perſtringitur.) Idem docuit S. Birgittā [a] Chriſtus ipſe. Atqui inſtitutum Fontebraldenſe,à Roberto inuectum,ac veluti characteriſtica ſecretum ab aliis illhuc vſque inductis, per ſubiectionem immediatam virorum ad mulierem Antiſtitam,ab omninò multis Pontificibus comprobatum eſt,verbis ampliſſimis. Nominatim enim,ita Calliſtus II.anno domini 1119. Gelaſius II. anno 1118. Honorius II. anno 1126. Lucius II. anno

LIII. *Ac denique improbans, quod fœmina viris præſit, vt à Roberto eſt conſtitutū.*

[a] L. 7. reuel. c. 20.

1144. Innocentius II. anno 1140. Eugenius III.ſub annum 1150. Anaſtaſius IV. anno 1153. Sixtus IV. anno 1474. Leo X. anno 1510. Clemens VII. 1523. Præ quorum Pontificum vel vnico, quid Abelardus? Accedunt affinia exempla. Nam Honorius III. cap. *dilecta* de exceſſibus Prælator; ratam habet ſubiectionem Presbyterorum ac Clericorum, ſub Iotrenſi Abbatiſſa, tanquam capite. Multi item Pontifices Romani, approbauerunt inſtitutum S. Brigittæ, vt latè refert Conſaluus. Atqui in Regula ipſi B. Birgittæ à Chriſto præſcripta quæ inſcribitur *Regula Saluatoris* c conſtitutis virorum ac mulierum cænobiis; mandatur, vt ſexus vterque ſubſit antiſtitæ, eíque obediat. Et ita ferre vſum receptum, teſtantur Nauclerus *b* & Henricus Spondanus. *c* Hoc ipſo igitur, quod inſtitutum Birgittanum biforme, approbatum eſt à Pontificibus, cum ea virorum ad mulierem Antiſtitam ſubiectione; approbatum etiam eſt caput illud inſtituti Fontebraldenſis, in quo ante S. Birgittam, par virorum ad mulierem ſubiectio indicitur. Erit qui vrgendum quoque putet, exemplum Carmelitarum Thereſianorum, quos S. Thereſia inſtaurato ad primæuam rationem inſtituto, religiosè compoſuit. Itaque legi *d* qui inter decora Sanctæ illius heroinæ, recenſeret, quod viris præfuiſſet, eóſque rexiſſet, quod in eius ſummis laudibus ponit. Annuit Carthagena, *e* agnoſcens B. Thereſiam fuiſſe fundatricem ordinis excalceatorum, quem gubernarit æquè ac Debora exercitum Iſraëlis, adhibito Baracho tanquam miniſtro. Sic enim B. Thereſia gubernauit ordinem ſuum, eíque præfuit, adhibito Ioanne à Cruce, Prouinciali, tanquam ſuo adminiſtro. Similia paſſim occurrunt apud alios in panegyricis de hac ſancta, Virgine ſimul, ac tot filiorum matre; in quo eam B. Virginis ſingulare decus diuino munere planè extraordinario eſſe æmulatam, latè proſequitur Carthagena. Soluit hæc

b Ad l.8. reuelat.c. 42 & 137.
a Cap. 14.
b Gener. 46.
c Ad annũ 1370.
d Baeza l. 8. in Euãg. c.3.§. 3.
e L. 17. Hom 4.

Sara,

Sara, ſententiam Euæ inflictam; vt ſub viri eſſet poteſtate, ait Ambroſius, a nam Abraham eam audire iuſſus eſt. Hoc tamen exemplum non adhibeo; quia reuera non eſt ad rem. Illa enim ſanctiſſima mulier, tametſi manum ſuam miſit ad fortia, & obſeruationem inſtituti aliquibus locis valdè luxatam, reduxit ſecundùm dies priſtinos, nihil tamen fecit ex poteſtate qua ipſamet polleret in viros; ſed exemplo duntaxat, & potentibus adhortationibus, direxit, non rexit Religioſos qui eam auſcultarunt; poteſtate penès viros ſuperiores remanente, nec in rigore fuit fundatrix ordinis, ſed reſtauratrix duntaxat, ac reſtitutrix. Vnde titulo *fundatricis*, non obtinuit ab Eccleſia iuriſdictionem in viros; Et eorum quoque mater non eſt dicenda, eo ſtricto modo qui ferat laudem fundati Ordinis; vnde iuriſdictio in viros, tanquam per eam in Chriſto genitos, conſequeretur, adiuuante Eccleſia maternitatem eius per adiunctam illi iuriſdictionem. Sed *mater* dicitur, eo modo quo aliqui latè dicuntur *Patres in ſpiritu*, ob inſtructionem & ſtimulationem ad pietatem. Quo item modo, nomen *Matris*, ſæpè vſurpari in Parthenonibus, perſpicuum eſt. Itaque ſi ab externo exemplo argumentandum eſt, ſat eſſe debet exemplum Ordinis Birgittani, proximè adhibitum.

a L. de Inſtit. virg. c. 5.

Quid verò eſt quod reprehendi iure ab pruriginoſo Abelardi ingenio potuerit, in ea virorum obnoxietate, ad Antiſtitam fœminam? Nam vt ſuperiùs monſtratum eſt, ea ſubiectio multiplici honeſti ſplendore collucet, præſertim obedientiæ, ſemotæ à periculo non operandi purè propter Deum. Itémque humilitatis eximiæ. Siquidem ſubeſſe cuicúmque, etiam deſpicatiori & imbecilliori, pium & Sanctum eſt. Subeſſe verò mulieri, tametſi ſexu, & pleriſque dotibus frequenter depreſſiori, vt edatur ſpecimen aliquod piæ illius ſubiectionis qua S. Ioannes mandante Chriſto Cruci pro nobis

con

conſixo,paruit B. Virgini tanquam Matri, duplici honeſtate collucet; nimirum obedientiæ,ac religionis erga illum Beatum cælitem: quæ eſt peculiaris venuſtas illius deiectionis ſui ipſius,conueſtiens honeſtatem obedientiæ. Nec ordo præpoſterus qui ſuperiùs *a* obiiciebatur,ſolidè reuera obiicitur. An enim præpoſterum eſt,vt liberi mares,matri ſubeſſe non detrectent; & vt famuli,heræ ſint ſubditi,ac demiſsè obtemperent? Debbora fuit *mater in Iſraël*; id eſt populum rexit, tametſi fœmina. Negat quidem Abulenſis,*a* Debboram fuiſſe Iudicem, & rexiſſe populum Dei, ſecutus Rabbinos, quos puduit fœminei ducatus in gentem ſuam. Sed ſecus ſentiūt Caietanus,*b* Genebrardus,*c* Arboreus,*d* Serarius?*e* Magalianus:qui potiùs audiendi ſunt,cum ſcriptura iiſdem verbis Iudiciariam Debboræ præfecturam exprimat,quibus Iudicum cæterorum. S. Auitus *a* apertè,Debboræ ducatum ac principatum agnoſcit,cum ſcribens ad Fuſcinam ſororem, & eam vrgens ad prælium ſpirituale,ait,non eſſe quod fœmina horreret vocem prælij,& ducatus fæminæ attributi.

a num. 39.
a In c. 5. Iudic. q. 5.
b In dictū c. 5.
c L. 1 chro-
d Lib. 4. Theoſophi c. 25.
e In d. c. 5.

----Nam gloria dudum
Sexus iſta tui,nota eſt tibi ſæpè legendo.
Nec dubiam te noſſe reor,cum Debbora quondam
Duceret inſtructas poſt fortia Claſsica turmas.
Et mulier ſumpto præcederet agmina ſigno.
Mirantes hortata viros; quos ipſa ducatu,
Exemplo, verbóque monens, accendit in hoſtem.
Sed poſtquàm ducens princeps animoſa cateruas,
Impulit,&c.

Itaquè Debboram S. Auitus, habet pro Duce ac Principe populi Hebræi;ſiue (vt tunc loquebantur,) pro *Iudice*: qualem etiam agnoſcit Debboram S. Auguſtinus, *b* & D. Hieronymus ſcribens ad Furiam, & Ambroſius informans viduas,ac denique Proſper in opere de promiſſionibus. *c* Nec deſunt alia exempla fœminei

c Cap. 17.

in

in viros regiminis,etiam fœlicis,quæ ſignant qui in Tractatione de Politia, eam controuerſiam verſant; *Sitne probanda regni adminiſtratio per fœminam.* Videndi Petrus Gregorius, *a* Iuſtus Lipſius, *b* & Adamus Gontzen. *c* Quid quod alicubi, non tantùm ad breue tempus ob aliquam duntaxat occaſionem, ſed iure perpetuo, regnum penès fœminas fuiſſe,proditur? [Fœminas imperare, Æthiopibus perpetuum eſt, gentis more.] Verba ſunt Euſebij *d* agentis de Candace. Achæis quoque, dominatus penes fœminas ſemper erat; vt docet ſcomma idcirco in Achæos intortum Iliados Philoſophorum Principum,Platonis inquam & Ariſtotelis loca,pro non abiiciendo vniuerſè, fœmineo dominatu, ſignat Serarius. *e* Ex quibus liquet, tametſi ſimpliciter loquendo, regimen publicum,ac etiam Regulare virorum, congruentiùs ac veluti connaturaliùs cadit in mares;tamen ſua laude nõ carere,¡& nulla ex parte ſordere,quod viri propter Deum ex affectu imitandi B. Ioannem Virgini matri obſequentem, ſubeant mulieris Antiſtitæ imperium. Itaque patet, vniuerſam Abelardi molitionem aduerſùs Abbatiſſas virorum moderatrices; (cuiuſmodi tunc erat ſola Fontebraldenſis,) caſſo impetu ruere, ac peſſum ire.

a Lib.7. de Repub c. 117.& lib. 47.Syntag. c. 16. *b* 2. Polit. c.3 & l. 2. Exemplor. Polit. c.2. *c* 1.Polit. c. 26. *d* L. 7. hiſtor. *e* In cap.5. Iudic.q.6.

Neque cætera quæ ſuperiùs num. 39. proponebantur contra hanc mulieris ad virum ſubiectionem, ſunt eiuſmodi,vt Abelardi placitum ſolidè ſtabiliant. Poteſtas enim ac dominatus viri in mulierem, & conuerſio ad virum mulieri impoſita,non ſpectat virgines, ſed ſolas coniugatas. In quas etiam ſolas cadit ea conuerſio ad virum; quæ de multorum Interpretum ſententia, non ſonat obedientiam, ſed appetitionem nouam viri, poſt gemitus & dolores in partu. Vt enim notauit Bellarminus, *a* vòx Hebræa *teſcubatech* quam Septuaginta Græcè expreſſerunt per *conuerſionem ad virum*, eſt ancipitis ſignificationis;potéſtque & obedientiam ſonare,&

a Lib.3. de amiſſ. grat.c. 11.

T appeti

Digitized by Google

appetitionem concupiſcentiæ ad concipiendum ex viro. Quæ ſanè non eſt leuis pœna mulieris, vt poſt laborem vtero gerendi, & partus preſſuras, adhuc virum deſideret; nec ſe ab eo continere velit, quod tanta faſtidia & dolores conſequuntur. Eáque ratione expoſitæ, huius mulierbis pœnæ, perſpicuè exſors eſt Virgo ſacra, in quam proinde non eſt vrgenda ſubiectio ad maritum indicta mulieri coniugatæ, cui ea ſeruitus impoſita eſt, quia per ſuas illecebras virum deiecit de ſuo principatu; meritò quoque ipſa exturbata principatu ſuo quo potiebatur ante peccatum, vt latè diſputat S. Chryſoſtomus, docens ante culpam, mulierem Adamo parem fuiſſe creatã, quia & ad imaginē facta eſt, & adiutorium viri *ſecundùm ipſum*, id eſt compar, vt S. Chryſoſtomus expendit. [Poſt peccatum autem dictum eſt ei, *ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe tui dominabitur.* Æqualem honore te creaui. Non rectè vſa es principatu; Ad ſubiectionem deſcende: Non tuliſti libertatem, ſeruitutem admitte: Neſciuiſti imperare, quod & ipſa rerum experientia declaraſti: Eſto vna ex ſubditis, & dominum virum agnoſce. Ne autē grauem dominatum duceret, priùs poſuit nomen curæ, dicens. *Ad virum tuum conuerſio tua*; hoc eſt, refugium tuum, portus & ſecuritas tibi erit ille, vt in omnibus, quæ ingruent malis, ad ipſum te conuertas & confugias, tibi concedo. Neque hoc ſolummodò, ſed & naturalibus neceſſitatibus colligauit, & tanquam infractum quoddam vinculum, cupiditatis illis catenam iniecit.] Inſinuat his verbis, alteram expoſitionem conuerſionis ad virum. Cæterum quamvis ſubordinatio ad virum, atque adeò ſubiectio ad viri poteſtatem directiuam, fuerit reuera ante peccatum; tamen ſubiectio cum reniſu frequenti, qualis nunc viget, peccatum eſt conſecuta, ſed non ſpectat niſi mulierem coniugatam. Itaque nihil inde, (vt neque ex reliquis numero illo 39. adductis) habetur, quod ſuffragetur

getur Abelardo, impugnanti ſubordinationem viri non mariti,ad mulierem non vxorem.

Quod tantam difficultatem initio fecit, cum Abelardus ſcribebat; eſſe potuit, nouitas illius vſus, quæ vt plurimum ingenia plebeia, aut minùs rem edocta, vel certè minùs benè affecta, percellit. Sed ea admiratio, parui momenti eſt, nec ſancti vſus honeſtatem quatit. In quam rem benè ac copiosè diſſerit Gulielmus S. Theodorici Abbas, ſcribens ad Cartuſianos de monte Dei; quibus per tunc occœptam eorum ſeceſſionem ex S. Brunonis inſtituto,aliqui faceſſebant negotium, ex nouitate tam arctæ ſolitudinis, ad eam diem inter Religioſos Occidentales,nequaquam vſu receptæ. Nec minùs patuit calumniæ, nouitas Columnaris ſeceſſionis, Simeonis Stylitæ; quæ pleroſque,etiam ex ſanctiſſimis illius æui Monachis perculit,vt auctor eſt Theodoretus; *a* qui nihil in tam ſublimi vitæ genere tametſi tunc primùm inducto, improbandum verè fuiſſe confirmat. Quàm multa verò alia, initio præ nouitate admirationem mouentia,& rudibus minùs probata, poſtea temporis decurſu,ab omnibus innoxia ſunt deprehenſa, & encomiis exornata? Mendicitas à S. Franciſco in Ordinem Minorum inducta, cùm primùm apparuit, non paucos obſtupefecit: Breui tamen is ſtupor, in magnam inſtituti laudem verſus eſt,ita vt S. Dominicus, Sancti Collegæ factum collaudans, in Ordinem ſuum mendicitatem intulerit,addita ex Teſtamento, maledictione in eum qui mendicitatem ablegans, cenſum ſtatum in Ordinem ſuum inferret. Cum Mendicantium ordinibus,facta eſt poteſtas à ſummis Eccleſiæ Rectoribus, vt opitularentur Parochis in aliquorum Sacramentorum adminiſtratione, quanto fragore actum eſt in eam tunc nouitatem,à quærentibus quæ ſua erant, non quæ Ieſu Chriſti? Ioannes de Poliaco, vt Confeſſiones factas fratribus,nouo tunc more inductas impugnaret, hæreſi

LIV. *Illud inſtitutum, tametſi tunc nouum, non idcirco improbandum fuit.*

a In Relig. hiſtor.

damnata ſe contaminauit. Impegerunt ad eundem lapidem, Gulielmus de S. Amore, & eius aſſeclæ à SS. Thoma & Bonauentura iuſtis tractationibus exagitati, quos in re ex ſe perſpicua, liuor nouitatem reprobam prætexens, incenderat aduersùs Eccleſiæ conſtitutionem. Et tamen magna eſt veritas, & tunc præualuit, ſempérque præualebit, diſcuſſis offuciis à prætextu nouitatis aliquando inductis. Acæmetæ, cum primùm perpetuas in Dei caſtris excubias, atque nunquam intermiſſas vigilias induxerũt; præbuere aliquorum ſermonibus materiam. Et tamen tam Sancti Inſtituti decus, & laudis perpetuæ Deo repenſæ religioſſimũ ſtudium, nulli improuidorum ſermones detriuerunt. Societatis Ieſu inſtitutum, initio à quibuſdam (Cano præſertim,) allatratum ac demorſum eſt, eo prætextu, quod nouitatibus ſcateret: Cuiuſmodi tunc cenſebatur, retentio dominij cum voto paupertatis; ſimplicia vota religioſum ſubſtantialiter conſtituentia, & tamen laxabilia. Defectus chori, ſine quo religionem eſſe titulum ſinere, Cani Symmyſtes Soto aſſeruit. Et alia huiuſmodi, quæ tametſi primis Eccleſiæ ſæculis, pleriſque Religioſis communia erant, vt benè euicit Baſilius Poncius *a* & Petrus Ribadeneira: *b* tamen cum eorum vſus à S. Ignatio præcommunem tunc morem inſtauratus eſt & poſtiliminio, reuocatus, multorum fragoribus appetita ſunt, tanquam noua. Nominatim verò, denuntiatio noxarum ſubditi, immediatè facta ſuperiori, prætermiſſo ordine correctionis Euangelicæ, quantæ nouitatis inſimulata eſt, cum eam S. Ignatius, debitè conditam, & præmiſſa renunciatione iuris proprij à ſubdito, inter ſuos induxit? Multæ quidem brutarum Cenſurarum ſecures à Banne, Lorca, Philiarco, Adreualo & aliis in eam denunciationem ſunt vibratæ; ſed nulla fortiùs ac ſonantiùs impacta eſt, quàm quod res eſſet noua, & omnibus SS. fundatoribus incomperta, atque adeò explodenda. Et

a in variis qq.
b Tract. de Societ. inſtituto.

Digitized by

Et tamen manifeſta ratio, ac vſus antiquus multarum Religionũ, vt Benedictinæ, Dominicanæ, Franciſcanę, & ſenſus multorum Sanctorũ, ac Theologorũ quos Suares, Valentia, Sanches, aliíque magno numero appendunt; ei (vt volebant) nouitati præſidio fuit. Et quod caput eſt, Sedes Apoſtolica, calculo ſuo poſt examen & iudicium contradictorium, vſus illius ſanctitatem muniuit: ita vt quotquot deinceps ſapuerũt, obſtrepere deſierint, & nouitatis eum criminari; ſi vnum *a* demas infrunitum, qui illudens Iudiciis Pontificum, (quanquam non auſus directè,) tamẽ malitioſo baubatu, ſopitas querelas redaccendere molitus eſt, nullo fructu niſi œſtri ſui propalati. Cætera item, quæ nouitatis nomine, in eo inſtituto æmulis explodenda videbantur, tempus complanauit, & ſacra ac retinenda eſſe docuit. Sedis Apoſtolicæ, ac Synodi OEcumenicæ ſenſus firmauit; nihil fuiſſe in ea nouitate meritò reprehendendum. Videſis quæ in hanc rem profero in S. Brunone, Stylita myſtico, *a* & in opere de iuſta confixione librorum, *b* vbi excutitur an doctrina quæpiam, idcircò tantùm quod noua videatur, ſit reiicienda.

a Thomas Hurtado in reſolut. Orthod. Tomo 3. pag. 173.

a P. 7. §. 1.

b partit. 1. Eroté. 20.

Ad eundem itáque modum, ſubiectio virorum ad mulieris Antiſtitæ poteſtatem, tametſi cum à Roberto inducta eſt, admirationem mouere potuit; reuera tamen ſancta fuit, & nulli patens iuſtæ reprehenſioni.

Eſt enim Deus, diues in miſericordia, & ſibi placet ſponſam ſuam circundare varietate. Vnde tanta varietas inſtitutorum diuinitus prouiſa vt Caſſianus, *c* multoties benè ponderauit: nec non Theodoretus in Religioſa Hiſtoria, *d* & ante vtrũque magnus Antonius agẽs cum Arcenoitis. Ridiculum ergo fuerit, velle admetiri omnia inſtituta ad vnum, & quicquid alibi, aut ſingulare aut prеſter morem paſſim receptum occurrerit, velle improbare tanquam malum. Eſto ſit nouum, atque adeò excitans vulgi admirationem. Itaque ſi noua

c Collat. 13 c. 15 & collat. 14. c. 5. & 6. & Collat. 24. c. 8.

d C. 26. & 27. Epiſt. 1.

Digitized by Google

fuit ſubiectio virorum ad mulierem cum à Roberto inducta eſt,non idcirco mala fuit.

Non eſt incongruum proferre in hanc rem, vſum aliquando inductũ qui præ nouitate multò màgis admirationem initio mouit, & tamen approbatio Eccleſiæ, eum locauit in tuto. Quod dico, eſt eiuſmodi. Sunt Abbates quibus ſubſunt Epiſcopi, vt Baronius notauit, ad annum Chriſti 565. poſt Notgerum qui in Actis S. Columbæ 9. Iunij,prodit,Abbati Monaſterij S.Columbæ, ex raro priuilegio attributum eſſe, vt ei ſubſint Epiſcopi. Nouum id quidem, & in ſpeciem,magis incongruum ac præpoſterum,quàm quod Religioſi, Abbatiſſæ ſubſint,& eius iuſſa capeſſant. Et tamen Sedes Apoſtolica id probauit, Auguſtini verbum huc benè cadit, *Cælum tonat,ranæ taceant*. Quantumcumque ergo ob nouitatem incongruum ac præpoſtetum eſſe videatur,viros ſubeſſe mulieri, tamen eo ipſo quod ſedes Apoſtolica hoc probauit, obſtrui debent ora omnium, nec debet eſſe qui obganniat. Sit verò in mundanis bellis inauditum vt fœmina per ſeipſam acies militares regat & ductet. Ita enim volunt qui hic reclamant,hæc quoque caſtra eſſe conteſtantes,vt diſſerit Odo Tuſculanus. *c* Dicant Alexin Poëtam apud Athenæum, *d* vt rem abſurdiſſimam propoſuiſſe, mulierem exercitus virorũ Ducem, ea fabula quam inſcripſit γυναικοϛρατίαν. Quamquam hoc,exemplum Debboræ ſuperiùs tactum ſatis labefactat. Sed ſit ita in mundano exercitu. Religioſi,alia eſt ratio. Nam etiam bellare alienum eſt à ſexu fœmineo,ita vt pro monſtro eſſe poſſit fœmina bellans,cum eius ſit colum ac fuſum tractare non gladium, vel ſariſſam. Et tamen in bello ſacro quod animorum eſt,etiam mulieribus,decorum & honeſtum eſt militare, vt aliquoties admonuit S. Chryſoſtomus. *e* Poteſt ergo in eodem religioſo bello fœmina Ducem agere, & copiis non mulierum modò,ſed etiam virorum ad prælian

c In allegor. Tilmāni.
d Lib. 3. Dypnoſ.
e Orat. de S. Balaā, & in S. Ignatij laudatione.

liandum prælia Domini adunatis præeſſe.

Matrem apum, prudentiſſimam, denominat Robertum Baldricus pag. 112. denominatione in Religioſos bellè cadente. De Variis ergo Apiariis à Roberto ſtructis, ſat multa. *Varia* dico, quia & Regulares primùm Canonicos, & deinde fratres Cœnobitas, ac cætus Ancillarũ Dei, cum nitentium, tum pænitentium; primùm Fontebraldi & poſtea alibi, collocauit. Erit cui ea multiplicitas cumulanda videatur, addito quarto cætu monaſtico, quem Baldricus videri poterit his verbis inſinuaſſe. [De his quæ mittebantur, eleëmoſinam faciebant copioſam, ſuſcipiebant pauperes, ac debiles non repellebant; nec inceſtas nec pellices refutabant, nec leproſos, nec impotentes. Leproſis etenim, & ſuas manſiunculas, & Monachalia Clauſtra conſtruxit; & vnde ſinguli alerentur, Magiſter Robertus inſtituit, & perſæpè quoad vixit, tales ipſe per ſe, humillimè viſitauit.] En *Monachalia clauſtra*, Leproſis conſtituta. An igitur erant Monachi, ac religioſam profeſſionem emittebant? Non puto. Nullibi enim inualuit vſus ille Cænobiorum, è leproſis in cætum vnum adunatis; Nec vſpiam talis vſus veſtigia cõparẽt tametſi multæ, vbiuis, miſerorum illorum ædes ſuperſunt, Ordini S. Lazari adnexæ. Itaque *Clauſtra illa monachalia*, quæ Baldricus à Roberto conſtituta leproſis retulit; accipio de Noſodochio Elephantiacorum, in nonnullam cænobij Monaſtici ſimilitudinem ſtructo, ad ſubleuationem miſerorum illorum, quibus cum ex charitate aliquando agebat; vt eis ſuper corporis ſubſidia, pabulum animæ ſubminiſtraret. Quod sharitatis genus, mirum quantùm celebrant Gregorius Nyſſenus *a* & Nazianzenus. *b* Itaque Robertum Patrem & autorem noui cætus religioſi, è leproſis coaleſcentis, non agnoſco, ſed duntaxat trium illorum quos retuli.

LV. *Ternarius Apiariorũ Roberti, cõcluditur, quaternarius ablegatur.*

a Orat. de pauper.
b Orat. 16.

Inter eos maximè incubuit, ritè compònendis ac multipli

LVI. *Moles cu-*

rarum Roberti ex Monialiũ rectione.

multiplicandis Monaſteriis ancillarum Dei, ob ingentem earum multitudinem.vndecunque ad eum accurrentem,& ab optimis in Euangelica prædicatione collegis, Vitali, ac Bernardo, ex conuentis, ad eum tranſmiſſam, vt ſuperiùs retuli. Vltra trecentas ſimul in maiori monaſterio fuiſſe à Roberto incluſas, iam ex Baldrico dixi: & longè auctiorem agnoſceremus earum numerũ, ſi Sugerij Abbatis S. Dyoniſij, cortici verborum inhæreremus. Nam ad quinque millia fuiſſe ſimul incluſas, ſcribens pro eis ad Eugenium Papam, teſtatus eſt. Quãta ergo curarum moles; Quanta ſapientiæ ſimul ac fortitudinis materia Roberto fuit, ex tam multis tum viris tum mulieribus, ſuæ Curæ concreditis? Baldricus certè tot & tantis agminibus ſeruorum & ancillarum Dei, domos fabricare, & ſuppellectile neceſſaria eas inſtruere; victum quoque ac veſtitum prouidere, opus fuiſſe ad quod magni Reges hæſiſſent, non extimuit dicere. Speciatim verò, ex rectione in ſpiritu, tam multarum, adeò multiplicis conditionis mulierum, eximiam Roberti & ſapientiam & fortitudinem licet agnoſcere. Nam eas dotes in Epiſcopo depoſcit S. Chryſoſtomus, *a* tractans Epiſcoporum onera, cum ex aliis capitibus, tum nominatim ex ſacrarum Virginum & Aſcetriarum, incumbente ipſis cura. Hoc ſi de noſtratibus Parthenonibus verum eſt, vbi vix centum concluduntur, quantam oportuit fuiſſe in Roberto, & ſapientiam, & animi fortitudinem, in curandis longè pluribus? Eius certè onus ex hoc capite, *durum valdè*, pronunciabat Goffridus Vindocinenſis, aut quivis alius, auctor Epiſtolæ ad ipſum Robertum.

a L. 3. de Sacerd.

LVII. *Synopſis rerum Roberti & quanta ei inde apud homines gloria.*

In res Roberti, ſat fusè hactenus exſpatiati, præſtemus ex B. Chryſoſtomi *a* monito, quod matres ſolent, puerulo varia bellaria elargitæ; ac ne quid excidat, veſtem reducentes extremam. Hoc Chryſoſtomus *a* fieri ait, cum poſt longiuſculam excurſionem, vniuerſa diſputatio

a Homil. 3. de Verbis Eſaiæ.

putatio in pauca contrahitur,& ſub vnum obtutum proponitur. Conſiderauimus ergo Robertum, Prædicatorem Apoſtolicum,omnibus numeris abſolutum, dignitati illius muneris ſapientia & fortitudine egregiè admenſum: Eundem vidimus,fortiſſimum ferarum arūdinis domitorem,cui ceſſere hæretici complures,in Catholica dogmata efferati; Tritheitæ, Simoniaci, Spurci Sacrilegi, ac Inceſtuoſi:ſpecie tenus,cõiugiis reuera nefandis Fontationibus cum mulieribus quas ipſorum eſſe iura obſtabant, peruerſè deuincti:ſiue *Sacri*,(& verè *Sacri* quia deteſtandi) ſiue laici homines. Adiecimus denique mentis oculum, inſpiciendo Roberti ſtudio, ſapientiæque & indefeſſæ fortitudini in conſtituendis, regendis, & omni ratione benè adminiſtrandis variis ex vtroque ſexu ſacris cœtibus. Quid mirum, homini de tam multis adeò benè,merito, fuiſſe apud homines tantam gloriam, quodque multò pretioſius eſt, apud ſpirituum ponderatorem Deum.

Hominum ſanè,nec plebeiorum,ſed magnorum qui erant in terra, ex Sacro & profano ordine, illuſtriſſima de Roberto iudicia,produnt tituli luculenti,quibus eum honeſtarunt; aliqui ſuperſtitem, alij proximè defunctum,cum adhuc memoria rerum eius caleret. Vrbanus II. Robertum vocauit *Os Spiritus ſancti*, quaſi diceret,Dabir è quo cæleſtia ad mortales oracula ſunderentur. Paſchalis II. *Virum magnæ religionis* nuncupauit. Honorius II. *Felicis memoriæ Sacerdotem.* Lucius II. *Præsbyterum bonæ memoriæ,ac perfectæ pietatis.*

Inferiores Antiſtites, haud parciores in pangendis Roberto elogiis fuerunt.Leodegarius Bituricenſis Archiepiſcopus,vir iuxta Andreā *vita floridus*, cū Vrſani, Diœceſis ſuæ oppido,obiiſſet Robertus, & ſacrum Robertis corpus aſportandum eſſet Fontebraldum, extra Diæceſim ſuam; Cor quidem Vrſani reſtare voluit, quod ibidem hodiéque miraculis clarum,in Pyramide

V aſſer

aſſeruatur: reliquum verò Corpus transferri conceſſit, & factus deductioni Comes, cum Fontebraldi Roberto parentaretur, monodiam habuit, qua imitatione Nyſſeni, & Nazianzeni, iuſta Baſilio perſoluentium, confert Robertum cum SS. Patriarchis, in quibus inſignes quædam virtutes micuerunt: non ambigens dicere, fuiſſe in eo Iobi patientiam, Ieremiæ conſtantiam, Zelum Phinëes, charitatem Tobiæ, Dauidis pietatem, Conſilij donum in Daniele conſpicuum, Samuelis Iuſtitiam. Quid multa? Adunatas in Roberto, Baptiſtæ Præcurſoris, & Pauli vaſis electi, ac Anachoretarum ex aſperrima ſui tractatione prærogatiuas, confirmat. Qualis verò erga alios eſſet, congeſtis in eum hiſce florulentis titulis expreſſit. *Robertus claudorum baculus, Orphanorum pater, oculus cæcorum, conſolatio deſolatorum, ſponſus ſanctarum viduarum, Paranymphus Virginum, aſylus miſerorum, vitiorum extirpator, virtutum promotor, concordia animorum odio diſsidentium, pacis conciliator inter inimicos.* Non poterat altiùs extollere Robertum, quàm hominem omnibus omnia factum, & veluti vniuerſalem omnium humanarum ægritudinum medicum, exhibendo. Idem Antiſtes, in literis de Roberti obitu, quæ Vrſani aſſeruantur, ſic de Roberto loquitur, *Beatus Robertus de Arbriſſello, bonæ memoriæ, miles Chriſti*; En, pro *Beato*, hoc eſt cælis illato, Robertum habet, & *militem Chriſti* denominat. Quæ vox, tametſi poteſt in eo ſenſu accipi, in quo Apoſtolus a Timotheo ſuo dixit, *labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu*; tamen eo æuo, nomen *militis*, ſonabat nobilem ex Aula Regia. Itaque nobilem ex Chriſti Aula (quales hymnus Eccleſiaſticus indigitat Apoſtolos,) & Chriſti Regum Regis, domeſticum, pronunciat Robertum. Quæ dignitas eſt longè maxima, & titulus, terrenos omnes titulos infinitis paraſangis excedens.

a Cap. 2. Ep. 2. ad Timoth.

Leodegarium Bituricenſem Archiepiſcopum, ſecutus eſt paſſibus æquis, Petrus Pictauienſis Epiſcopus, ex cuius

Digitized by Google

cuius charta pro cœnobij Fōtebraldenſis in ſua Diœceſi ſtabilitione anno Christi M.C.VI. hæc adſcribo. [Noſtro tempore quidam vir Apoſtolicus, nomine Robertus de Herbreſſello, Verbo diuinæ prædicationis ſagaciter inuigilans, & tonitruo ſanctæ exhortationis, plures tam viros quàm mulieres à ſæculari luxu reuocans &c.] Teſtimonium hoc non modò verum eſt, ſed etiam magnum; quippè profectum à viro vndecunque magno, quem Gulielmus Malmeshor. inſigniter extollit. Petro attexendus eſt, & ipſe vir magnus. Baldricus, Dolenſim, Antiſtes, qui laudum Roberti nunquam ſatur, adeò in eius præconia effunditur, vt nunquam ſibi ea in parte ſatisfaciat; tantámque eius cenſuit fuiſſe ſanctitatem, vt ne dignum quidem ſe cenſeat, qui Roberti nomen pronūciet. Non regero pleráque iam ſuperiùs *a* ex eo libata. Tacere tamen non poſſum, illa de Roberto à tanto Antiſtite pronunciata. [Hunc profectò dixerim, *habitaculum Ieſu Chriſti, & organum Spiritus ſancti, Reſponſalem & vicarium altiſſimi, ipſius delibutū ſermonibus. Dominus Robertus fons Prædicationis, fons Religionis, ſingularis ſeminiuerbius, Doctor illuſtris & eximius, verbis & operibus admirandus, vir extollendus & imitandus.*] Alibi, Robertum vocat, *virum infinitæ religionis*, cui concinit Tabularium Abbatiæ de Rota, quam olim Robertus rexit, & Canonicis Regularibus quos informarat, attribuit. Eſtque is titulus, grandi præconio grauidus: Nam cum Religio virtus ſit, quærens & curans Dei gloriam, perinde eſt, *virum religionis infinitæ* dicere, ac eum deſignare, qui nullo loco, nulla perſona, occaſione nulla, arctet ſuum incenſum ſtudium diuini honoris curandi, ac promouendi. Qualis planè fuit ſuo tempore Paulus, & eius parelion Robertus: vt propterea in Fontebraldenſi Martyrologio, *a* denominetur *vir Chriſtianiſſimus, Eccleſiæ Lucifer ſplēdidus, & in ſancta prædicatione alter quodammodò Paulus.* Non eſt hæc laus aſpernanda, tanquam à domeſticis delata.

Lib. 5. Hiſtor. Anglor. Reg.

a num. 12.

a V. Calēd. Martij.

V 2 Rectè

b Orat. 9. Rectè enim Theologus in Gorgoniæ ſororis laudatione, admonuit, ſanctorum laudem à cognatis quoque, & neceſſariis delatam, improbandam non eſſe. Quod

c Pallad. ſect 23. fuit ſummum decus S. Antonij, vt nomine *Magni*, abſolutè donaretur à dicentibus, *vade ad magnum illum*; Et, *adhuc viuit magnus ille?* Significando B. Antonium; hoc renouauit agens de Roberto Petrus Cluniacenſis, c

c Petr. Clun. c. 2. Ep. 17. dicens *famoſum illum*. Et vocem *famoſi* accipit aliter quàm cum nomen illud, à fama mala eſt deductum. In quem ſenſum *libellus famoſus* appellatur, aut mulier *famoſa* dicitur. Sed accipit vocem *famoſi*, provt idem ſonat, atque *magnum*; vt proinde *ille famoſus*, id ipſum ſit quod *ille magnus, ille apud omnes clarus*. Attigi veriùs quàm, expreſſi ſacrorum hominum de Roberto iudicia.

Laicorum quorumcúmque, etiam Principum, ac magnatum ſenſus, haud diſpar fuit. Quod enim Baldricus teſtatur, reuerebantur ipſi quoque, Robertum; & audito eo multa faciebant; largéque in eum erogabant, vnde ſuppeteret homini Dei, ſubſidium ad quæcumque pietatis opera, & religionis amplificationem. Præter cæteros, Fulco Iunior, Andegauorum Comes, in charta qua viginti pratorum iulla, conceſſit cœnobio Fontebraldenſi, ſic loquitur de Roberto. [Dominus Robertus de Arbriſſello, homo religioſſimus; cuius admirabilis doctrina verbo ſanctæ prædicationis, & tonitruo ſanctæ exhortationis, per totam Eccleſiam, & ſua fulget eloquentia, & Chriſti.] Quanti verò fecit Robertum Philippus I. Rex Francorum? Is Bertradam pellicem, viro legitimo abſtractam, Conciliis pleriſque Gallicanis, & ipſis ſummis Pontificibus ferè fruſtra anniſis, (nam ad horam ſapiens, tertiùm ad vomitum rediit, & abiectam reſumpſit;) ſatagente denique Roberto prorſus dimiſit, & vt apud Altam Brüeriam, diuturni ſcandali materià procul ablegatâ, concluderetur, aſſenſit. Ludouicus item Craſſus, Philippi filius, quanti Robertum fecerit,

Digitized by Google

rit,& quibus elogiis honeſtarit, variæ donationum piarum tabulæ ad ipſum Robertum directæ, aſſeruatæ in Tabulario Fõtebraldenſi;abundè produ͂t.Præterea verò Henricum primùm Angliæ Regem, ac Neuſtriæ Ducem, cæleſtium chariſmatum in Roberto micantium admiratione defixum,flagraſſe in eum incenſo affectu, & verbis ampliſſimis hominem celebraſſe, non abſque inſignibus liberalitatis Regiæ argumentis, teſtes locupletes confirmant. En quàm verè dixerit Baldricus, ipſa quoque ſeculi faſtigia,Reges inquam,Roberto plurimum detuliſſe,& gloriam honoréſque fugientem,gloria & honore cumulaſſe. Cæteri verò minorum (vt ſic dicam) gentium,Magnates,ac Nobiles, & ad popularẽ ordinem ex æquo ſpectantes, adeò magni faciebant Robertum,vt dicat Goffridus *a* ſcribens ad ipſum Robertum, *totum mundum*, poſt *eum abiſſe*. Itaque magna omninò fuit, quæ tantis Roberti meritis repenſa eſt apud homines gloria.

a L. 4. Ep. 47.

LVIII. *Quanta indidẽ, (quod longe potius eſt, Roberti apud Deum gloria.*

Quæ verò indidem fuerit gloria apud Deum,æquum meritorum æſtimatorem, quæ ſatis aſſequatur oratio? Sed verbo dicamus,hæſuri præſertim in animæ gloria. Tametſi de corpore atteſtante gloriæ ſpiritus puriſſimi illud habemus locuples, nec niſi diuino munere collatum argumentum, quod ſolidos dies duodecim inſepultum nullam tanti temporis ſenſit iniuriam. Procul ab eo omnis putor, & tabes. Renidebat in vultu demortui, viuentis pietas;& exanimem faciem, reliquiæ ſerenitatis priſtinæ,& florens ab inquilina prius mente nitor, etiam tum venuſtabant; luriditate mortuali, prorſus exulante. Quæ non exigua cenſeri debuit gloriæ apud Deum in Roberti çorpore,rapax oculorum in ſuperſtitibus,gratia. Neque illud quoque gloriæ apud Deum in demortuo Roberti corpore pignus defuit, quod vulgus pro ſummo habet; diuinorum inquam operum ad ſacras eius exuuias editio. Quod ego pro-

V 3 lixæ

lixæ diſſertationis argumentum,conſultò prætereo, & iuſtæ de Roberto hiſtoriæ lubens permitto. Ea præſertim permotus ratione,quam circa ſuum Dominicum Loricatum,expreſſit his verbis Petrus Damiani,excuſãs quod eius nulla miracula recitaret. [Et Maria,& Ioannes Baptiſta,miraculum feciſſe non leguntur ; cum tamen eorum vita,non qualibet ſcriptura, ſed Euangelio teſtante narretur. Quanquam Maria,in ſolo partu quẽ edidit,omnium proculdubio ſanctorum virtutes ac ſigna præcellit. Hoc etiam inferens quia vberiorem fructum præbet audientibus Sanctorum virorum mirabilis vita, quàm oſtenſa miracula. Illa ſiquidem exigit imitationem;iſta ſolam ingerunt admirationem. Miracula docent,quomodò illi,ſancti fuerunt; vita verò inſinuat , qualiter & nunc homines fieri valeant ſancti. Præterea (ô qui miraculum quæris ,) nónne tibi videtur eſſe mirabile, hominem fragili adhuc carne circundatum;(vt ita loquar,) Angelitùs viuere, adeò vt inter quamplurima hominum millia,vix vnum eius ſimilem valeas reperire? Et certè quàm plures hodie ſunt inferioris vitæ, per quos Deus omnipotens , virtutes dignatur oſtendere.] Hæc æquè pro Roberto valent; quem proinde affari iuuat allocutione Hilarij ad ſuum Honoratum. [O magna & inclita Roberte tua gloria ; non indiguit meritum tuum ſignis probari. Iſta enim conuerſatio tua plena virtutibus, & admirationis nouitate præcelſa, perpetuum quoddam ſignum miniſtrauit.Multa quidem tibi diuinitùs , ſignorum ſpecie indulta nouimùs : ſed in his tu minimam tuam partem reputabas,maiuſque tibi gaudium erat, quod merita & virtutes tuas Chriſtus ſcriberet;quàm quòd ſigna homines notarent. Et tamen quod maius ſignum virtutis eſſe poterat,quàm ſigna fugere, & occultare virtutes ?] Verùm hæc minutalia gloriæ apud Deum, miſſa faciamus ; Gloriam animæ Roberto repenſam , vtcumque

æſtimæ

æſtimemus , auſpicantes à primaria.

Gloriã (vt vocant eſſentialem,) Deus in cœlo rependit conſequenter ad gratiã ſanctificantem,in vitæ exitu hinc exportatam : Eſt enim gratia, ſemen gloriæ. Gratiam autem conciliant homini,merita;ſiue Chriſti , veluti concluſa in Sacramentis ritè ſuſceptis;ſiue propria, cum Dei auxilio elicita, gratiam in ſubiecto apto inferentia. Itaque cum de vtriſque in Roberto elicibus gratia ſcaturientibus conſtet;manifeſta eſt,gratiæ quam hinc excedens exportauit, vbertas:cum Robertus tot virtutum lectiſſimarum actionibus , in homine iuſto ſanctificantis gratiæ feracibus, abundarit;fide , ſpe, charitate in Deum ac proximum præcellenter micuerit, vt eſt in ſuperioribus demonſtratum. Nam eius religio, de Diuino cultu ſollicitiſſima,cęteræque virtutes morales infuſæ ad accumulandas ſpirituales opes & gratiam amplificandam opportunæ , vel me tacente ſunt manifeſtæ. Itaque bonis propriis gratiæ ſanctificantis feracibus,inſtructiſſimus fuit Robertus. An etiam addemus ſpiritualia bona aliena ,cum ipſo (vt vocabant) variis ordinum beneficiis communicata ? Minimè ſanè : eſſet enim nimis obeſa cogitatio , cum nemo plus alienam gratiam ſanctificantem participare poſſit , quàm aliena vita viuere. Et quoad hæc bona, vt Bunderius rectè admonuit,rogantibus *date nobis de oleo veſtro*,reſpondetur negando,*ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*. Sed quæ dicũtur bona participatione communia,vel ſunt duntaxat orationes aut ſatisfactiones quas in alios transferri vnitas corporis myſtici patitur:vel ſunt dona gratiæ ſanctificantis & merita obiectiuè tantùm ſpectata , quorum intuitu Deus neceſſitudine aliqua nexis cum iuſto cui ea bona inexiſtunt,benefacit eius neceſſariis ; v. g. Hebræis propter ſanctos progenitores Abrahamũ Iſaacum atque Iacobum.Vnde nemo per talia aliena bona , fit formaliter iuſtus & Sanctus inhæſiuè. Hæreamus ergo

ergo in propria gratia ſanctificante Roberti quæ fuit omnino copioſa.

Adhærent verò eidem gloriæ, in quibuſdam ſubiectis, aliqui veluti frutices, heroïcorum actuum notæ, quas *aureolas*; quaſi *aurea*, principaliori coronæ attextas, nominant; & Doctoribus ſacris, qui ad iuſtitiam erudierint multos, Virginibus ſequentibus agnum quocumque ierit, & Martyribus calicem Domini bibentibus reponunt. Non abhorreo ab ea cogitatione, quod fundatoribus ſacrorum cætuum, ſit ſua in Cælo Aureola. Eſt enim opus heroicum, & multis ſemper obſeptum difficultatibus, Ordinem fundare; præſertim ex quo Lugdunenſis Concilij decreto, approbatio Romani Pontificis ad nouam religionem conſtituendam depoſcitur. Multi ſiquidem ac graues obices ſæpè interueniunt, quos perrumpere arduum eſt, in tanta ingeniorum moroſitate. Vtilitas verò quæ in Eccleſiam redundat ex erectione religioſi Ordinis, per ſe eſt perſpicua. Itaque nihil deeſt ei operi, quominus dignum cenſeatur, quod repenſo accidentali decore ſtabili, (cuiuſmodi eſt aureola,) cohoneſtetur. Quod ſi fundatores Religionum, (vt notauit S. Bonauent.) In die Iudicij prodibunt magnificè, habentes omnes ipſorum regulam aliquando profeſſos, ſub ſignis, circum ipſum ſanctum fundatorem, tanquam Ducem à Deo electum, & ſanctæ propaginis radicem primam; quidni par ſit eidem attribuere notaculum aliquem, ac veluti characteriſticam, qua internoſcatur, & Caput Ordinis primum fuiſſe deprehendatur? Magnis militarium ordinũ Magiſtris, ac publicæ rei Curatoribus, Patribus patriæ, Teſſera quædam dignitatis, torqui innexa, alitérue aptata, aut aſſuta, ad veſtem apponitur. Quidni in magnis ſacrorum cætuum autoribus, idem in cæleſti aula locum habeat, vt ſit eis ſuum peculiare decus, ob benè geſtum Dei negotium, ad tam multorum vtilitatem? Hoc de-

cus.

cus in Roberto, ſacri Ordinis, & quidem multiplicis, Autore primo, citra aliam vendicationem aut aſſertionem,eſt agnoſcendum. Omnes item vulgatæ aureolæ; Doctoris inquam, Virginis, & Martyris, Roberti gloriam cumulant, quia vt eſt monſtratu facillimum, illæ generoſæ virtutis teſſeræ, in Robertum cadunt.

LIX. *Omnes Beatorum aureolæ, Roberto vendicatæ.*

Fuit ſanè Robertus,Doctor optimus,Eccleſiæ ſanctæ lumen,verbóque & exemplo innumerabilibus mortalibus præluxit; Factus diuinorum præceptorum, & conſiliorum Euangelicorum præco ſingulariſſimus; non ex eo genere Concionatorum, qui quod dicant & non faciant, & quæ voce aſſerunt, factis deſtruant, *æra ſonantia, & cymbala tinnientia* Apoſtolo *a* dicuntur. Sed verè operarius inconfuſibilis, potens in doctrina ſana veritatis hoſtes reuincere,& malitiæ ac nequitiæ internecinum bellum inferre. Hoc fecit Robertus adeò accuratè,vt omnibus Verbi Dei Tractatoribus, poſſit eſſe pro Idea. Itaque ornamentum illud ſingulare Doctorum,quod Daniel verbis illis celebrauit; *Qui docti fuerint,erunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*; genuinè & abſque vlla ambiguitate, debetur Roberto. Nec plus apud me ambiguum eſt, ius ad Virginum aureolam, cum in carne fuerit,quaſi abſque carne eſſet; homo puritatis nitentiſſimæ,quam nullus vnquam,in iugi ac perpetuo cum virginibus ac fœminis vſu, teter afflatus infecit, nulla illuuies inquinauit. Et tametſi malignè ac caluminosè aliqui, Roberto, per Gaufridum Vindocinenſem falſis rumoribus implanatum, ſint inſidiati, comminiſcentes de eo circa virgines quas regebat, quæ malitiosè ipſi excogitarant, non quæ cuiquam Cordato poſſent credibilia videri, vt iam ſupra indicatum eſt *a* tacto calumniæ Autore Roſcelino: Attamen omnis illa malignantium impoſtura, ad imprudentiam Roberto impingendam pertinebat, non ad

a 1. Cor. 13.

a num. 18.

Digitized by Google

infuſcandum puritatis eius candorem. Imo quamvis labes impacta ſpectaſſet caſtitatem, mirum videri non deberet, Robertum tametſi nitentiſſimum, prauæ alicuius ſuſpicionis infamia malignè ſparſa, laboraſſe. Communis enim ea ſors eſt, omnium qui mulieres vel rexerunt vel direxerunt, quantumcunque ſancti eſſent, & ſumma cum cautione agerent cum fœminis. Quis enim ſanctior & circumſpectior Hieronimo? Et tamen patuit calumnioſis morſibus malignorum, ob frequentationem alterius ſexus, tametſi maximè ſobriam, vt ipſe ad *Aſellam* teſtatur, *b* & aliis locis quæ in eius vita ſignauit Marianus Victorius. De Vitali Monacho ſanctiſſimo, idem proditur in Actis S. Ioannis Eleemoſinarij. Gregorium VII. Pontificem ſanctiſſimum, Clerici Intemperantes, accuſarunt intemperantiæ, ob directam in Spiritu Mathildem Comitiſſam: Et S. Chryſoſtomum alij, propter Olympiadem. Bona pars Calumniarum de turpitudine ſacris hominibus impacta, quas retuli in opere de Calumnia; *a* ſpectat eos qui mulieres in ſpiritu vel regebant, vel dirigebant. Mirum igitur (vt dixi,) eſſe non debet, eadem ſorte fuiſſe Robertum: Ac proinde exploſa prædicta de eo calumnia, aureola quoque virginitatis, rectè aſſeritur Roberto, Virginitati addictiſſimo.

b Epiſt. 99.

a Sect. 2. ſerie 2 c. 5.

In ſola Martyrij aureola, poſſet eſſe tricandi locus, ſed apud eos duntaxat, qui aliud martyrium ignorant, quàm quod Sicario vitam auferente perficitur. Verùm apud Sacros Doctores, longè latiùs patet martyrium. Nam & patientia *opus perfectum habet*; hoc eſt martyrium, vt Clemens Alexandrinus *b* eſt interpretatus. Et Religioſa quoque vita, Hieronimo *c quotidianum martyrium eſt*. Spectátque eodem reuelatio ab Andrea Molfeſio *d* adducta, quæ fert,

b 4. ſtrom. c. 2.

c Epiſt. 27.

d Tract. 1. c. 11. n. 57.

fert, Religioſum regulis ſuis ſeruandis impensè additum, per tempus vitæ, ac in conualle lachrymarum in loco quem poſuit, vita excedentem, potiri in cælo Martyrum gloria; & inter eorum choros, aureola prænitentem fore conſpicuum. Viuicomburium caſtitatis, agnoſcit S. Chryſoſtomus celebrans S. Barlaam, & S. Auguſtinus tractans illud pſalmi 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Martyrium Zeli animarum pereuntium, compaſſionis incendio concremans, Petrus Damiani *a* in S. Eleuchadio extollit. En quàm multis titulis, Robertum poſſis Martyrem dicere, accidentario gloriæ martyrum decore in cælo donatum, cum in patientia ſua adeò excellenter poſſederit animam ſuam; & in Religioſo ſtatu ad mortem vſque, vitam vixerit nitentiſſimam; & Zelo animarum flagrauerit, quantum Prædicatori re ac nomine *Apoſtolico*, conſentaneum erat. Vitam ſanè in Religioſo ſtatu decurſam, ad peculiarem aureolam ius in cælo conferre, Hieronimus Platus *a* agnoſcit, & ſequitur Morales? *b* Quidquod matyrium cruentum Roberto defuit, non ipſe martyrio? Quod iuxta B. Cyprianum, & iuxta B. Auguſtinum, *c* ad plenum martyrium, & ius aſſequendi aureolam, eſt ſatis. At recolatur quid in Pictauienſi Concilio, fremente truculento Eccleſiæ perſecutore, dilapſis præter Bernardum ſocium, Epiſcopis & Abbatibus omnibus, intrepidus ad præſentiſſimum mortis periculum, præſtiterit Robertus, obiiciens ſuum corpus ſicariorum gladiis, ne quippiam de conſtantia in aſſerendo Pontificio & Conciliari anathemate, remitteret. Stetit per tyramni emiſſarios, non per Robertum, quominùs gladius in eius ilia adigeretur, aut capite minueretur. Præter alias pleraſque occaſiones, non ſicca morte pereundi, dum ſpurcos ſacerdotes, & ſacri-

a Serm. de eo.

a L. 2. de bono ſtatus relig. c.18. ſubſ.
b Lib. 5. in Math. tract. 11. n. 3.
c Serm. 106. de diuerſ. c. 4.

lega ſpecie connubiorum contubernia, in ſpiritu vehementi, parum abfuit, (vt de Bernardo quoque, Tironenſi Abbate, Roberti ſocio proditum eſt) quin ab impuriſſimis carnis mancipiis, & ſociabus ſceleris opprimeretur. Atque adeò, etiam martyrij aureolam, iure Roberto vendicauimus.

Singulare verò quippiam, circa hoc Roberti decus, par eſt non præterire. Nimirum Chriſtus Dominus eſt primum (vt ita dicam) analogatum in genere martyrij, ad quod admetienda eſt cæterorum eo decore potientium prærogatiua. Propterea enim Chriſtus, Auguſtino, *a* Paulino, Bernardo, antonomaſticè martyr, & *Martyrum Martyr* nuncupatur. Igitur cum martyrij conſummatio, per mortem obtingat, ille ad Chriſtum abſolutè protomartyrem accedit propiùs, qui eius mortem, & adiuncta mortis expreſſiùs æmulatur. Mortuus porrò eſt Robertus, in cruce iugis ac quotidianæ pro Chriſto mortis, vt de ſe Paulus loquitur. Vt autem conſenſio, inter Chriſti ac Roberti morientium, adiuncta eſſet manifeſtior, prouidit Deus (abſit enim vt fortuitò factum dicamus;) vt eſſet vtrique, mortis dies & hora communis. Obiit enim vterque, feria VI. in paraſceue, & hora de meridie tertia. Nonnullis quidem aliis ſanctis, ille ipſe dies fuit mortalis vitæ terminalis, & initialis æternæ: vt S. Simeoni Chteſiphontis Epiſcopo, & centum ſocij: (Menologium Græcorum, mille inſuper, ac centum quinquaginta Beato Simeoni commortuos adiungit:) Franciſcum Caëtanum, ætate noſtra, viuum virtutum omnium ſimulachrum, eandem ſibi vltimam diem exoraſſe, proditum memini. Et iuſto Lipſio, Religioſum ſub ſeculari veſte occultanti, (ſic ex ore Leonardi Leſſij qui conſcientiæ eius arbiter fuerat, denominatum Lipſium recolo, eadem auſpicatiſſimi obitus

a S.48. de ſanctis.
b Ep. 12.
c Ser.47. in Cant.
d Martyrol.11. April.
e 20. Apr.
f Orat. 20.
g Coll.18. c.7.

Digitized by Google

obitus dies optigit. Sint & alij quidam, qui annumerati ſint pluribus, ipſa die morientis vitæ noſtræ. Sed ſi Robertum, & vnum præterea B. Franciſcum Paulanum demas, de nullo proditum legi, quod idem cum Chriſto, quoad diem & horam, vitæ collimitium tenuerit: haud ambigua ſignificatione per eam vitæ clauſulam, quam ſecurus fortuitam fuiſſe nego, expetitam & exoratam confirmo; configurationem vitæ Roberti, per tot annos quibus ſuperſtes fuit, ob iuges cruces (vt cum Nazianzeno & Caſſiano ac Chryſoſtomo, *b* & Paulito dicam) VIVI MARTYRIS, ea cum Chriſti martyrio conſenſione fuiſſe obſignatam. De Roberti aureolis, ſatis.

b Homil. in SS. Iuuent. & Max. *i* Ep. 28.

L X. *Fontebraldenſibus gratulatio, & paraneſis.*

Plaudat itaque Roberto, tot in cælo laureis ornato, tot decoribus præluſtri, parenti optimo, Fontebraldenſis familia, Plaudant Virginum, Virgini Magiſtro, Virgines Dei, marium ad virginitatis obſequium; & honorem, Virginis Apoſtoli imitatione incentori. Plaudant præceptorum & conſiliorum Euangelicorum buccinatori in ſpiritu & virtute Eliæ, in Baptiſtæ & Pauli ſpiritu. Plaudant domitori hæreſeon, Loliorum ex agro Eccleſiæ eradicatori, plantatori ſanctorum germinum; Manſuetario beſtiarum calami, indefeſſo totius ſanctimoniæ domi toríſque curatori ac promotori; in carne Angelo, Orbis occidui phoſphoro. Et vt plauſus placeat, iámque cælis illato, & ſupra inuidiam fumóſque noſtrates euecto, plauſus in terra datus, & quantulacunque laudatio probetur, ne deſit tot virtutum, quam nunc quoque maximè ardet, imitatio. Enim verò, de Platonis Hebræi *a* ſententia. [Quid prodeſt oculis orbato, ſuorum maiorum perſpicacitas, nequaquam hæreditaria? Quid prodeſt ad dicendum elingui, paterna vel auita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabe diuturna confectas, Principes generis, propter athleticum robur adſcripti faſtis Olympicis? Imo quid etiam ſi

fuere victores in omnibus ſacris Græciæ certaminibus? Ad eundem ſanè modum, filiis degeneribus, non commodarent Patres optimi.] Sed abſit, vt quod alibi exlegibus filiis, ſanctum fundatorem *Patris* titulo interpellantibus, repoſitum eſt; *Neque vos filij, neque ego Pater*; Robertus filiis ac filiabus ſuis, *Patrem* appellantibus, aliquando reponat; qui ſibi potiùs tam lectam ſobolem, tam viuam ſuarum virtutum imaginem, impensè in cælo gratulatur, oſtentans Beatis cælitibus cætuum Religioſorum Autoribus, quàm benè locarit operam in tot ſanctis filiorum ac filiarum Dei propaginibus, ſua inſtitutione formatis; eámque ſibi ducens maximam gloriam, quod talis ſobolis, pater audiat. Nam quia Verbum Domini manet in æternum, etiam in cælo ſuam veritatem retinet illud Oraculum, *a Gloria Patris eſt filius ſapiens*: quod tametſi maſculinè prolatum, pro vtroque tamen ſexu valet, ex vſu ſcripturæ, maſculino vocabulo ſexum vtrunque deſignantis. Nam Geneſ. 23. etiam in Codice Hebræo, cum ageretur de fæmina demortua, legitur *ſepeli mortuum tuum.* Quod ſæpiùs ibidem repetitur; quia in cælo nulla ſexus diſtinctio attenditur. Alibi Deus ipſe, *Filij* vocem ad vtrunque ſexum extendit, cum *filios Belial*, & *filios alienos*, & *filios diffidentiæ*, multitudinem exlegem ex vtroque ſexu coaleſcentem, deſignaret. Neque enim ſoli mares, labe illis nominibus ſignata ſordebant, fœminæ verò omnes nitebant. Haud ita erat, cum fæminæ plerumque noxarum autores, ad ſcelus conſpergerent adipem, & viris eſſent incentiua flagitiorum quibus Deus exacerbabatur. Attamen nuſquam audimus *filias Belial*, vel *filias alienas*, id eſt ſpurias & nothas; ſed communiter ſexus vterque vno *filij* nomine ſignatus, iniquitatis vocibus illis abditæ reus agitur. Planè ad eundem

a Prouerb. 13.

dem

Digitized by Google

dem modum, Roberti in Chriſto parentis, ***Gloria eſt filius ſapiens***, ſexus inquam vterque, è legum ſuarum præſcripto vitam exigens. Vtrumque cælitibus ipſique Deo, cum gratiarum actione oſtentat; vtriuſque virtutes ac decora, in ampliſſimo theatro cuius Deus ipſe choragum agit, magnificentiſſimè prædicat. Succinant qui in eius ære tot nominibus ſunt, illud ex antiqua formula litaneutica, verbis ſubſtrictum, ſed magnis grauidum ſenſibus, ac honore redundans,

a *Sancte Roberte, Magiſter bone*,

ORA PRO NOBIS.

a Litaniæ antiquæ Fontebraldenſes.

Digitized by Google

Delegāti à Pio II. Romāno Pontifice, ad inſpiciendum componendúmque Fontebraldenſe Cœnobium; ROBERTI Fundatoris nomen, inter ſanctos Confeſſores, Litaniis inſeri, præſcripſiſſe referuntur.

Digitized by Google

S.BERNARDVS
DOCTOR
MELLIFLVVS,
APIS GALLICA,
Argumentoſa, Belligera.

Y NEMI

Neminem vnquam qui apiculam laudare voluit,
Verba defeçerunt.

Iſocrates in Helenæ laudatione.

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
SVMMA CAPITA.

I. VEtita olim mellis ad altare illatio.
II. Itémque ceræ.
III. Expenſæ rationes vetandi Hebræis illationem mellis ac ceræ.
IV. Vera illius interdicti ratio.
V. Noſtra ceræ ac mellis illatio abſque labe.
VI. Diſſertationis diſtributio tripertita, de S. Bernardo Ape myſtica, eiúſque cera & melle.
VII. S. Bernardus Apis myſtica triplici titulo ac primùm quia Chriſtianus.
VIII. Religioſi Apes, atque adeò etiam S. Bernardus.
IX. Cænobia aluearia.
X. Apum paupertas, analogica Religioſæ.
XI. Caſtitas Apum, proportionalis caſtitati Religioſæ.
XII. Apum Obedientia, reſpondens obedientiæ Religioſorum.
XIII. Adiuncta vitæ Religioſorum in Apibus.
XIV. Scriptores pij Apes, titulus tertius analogiæ S. Bernardi cum Ape.

Digitized by Google

XV. *Qui nominatim Patres, dicti Apes.*

XVI. *Obſignatur explicatio primæ partis propoſiti, & tituli Apis myſticæ, S. Bernardo tributi.*

XVII. *Fructus Apis altera propoſiti parte expreſſus, cera, & mel.*

XVIII. *Cera aliquando nobilitatis ſymbolum.*

XIX. *Itémque bonorum corporis.*

XX. *Necnon ingenij & genij.*

XXI. *Ceræ omnes prædictæ in S. Bernardo, ac primùm nobilitas generis.*

XXII. *Item corporis dotes.*

XXIII. *Ac etiam ingenium & indoles.*

XXIV. *Nulla ex ceris prædictis, fructus fuit S. Bernardi, quare hic dimittendæ.*

XXV. *Nobilitas alienum bonum.*

XXVI. *Item opes.*

XXVII. *Ac etiam bona corporis.*

XXVIII. *Omnia bona propoſita, cera quæ fluit.*

XXIX. *Quàm fluxa nobilitas generis.*

XXX. *Opes fluxiſſimæ.*

XXXI. *Dotes corporis, cera quæ fluit.*

XXXII. *Ingenium ac genius, bona fluxa.*

XXXIII. *Quatenus laudandæ in S. Bernardo ceræ prædictæ.*

XXXIV. *S. Bernardi nobilitas ob patris virtutem laudanda.*

XXXV. *Sed maximè ob matris ſanctitatem.*

XXXVI. *Species S. Bernardi laudanda, quia eam veſtauit.*

XXXVII.

Digitized by

XXXVII. *Ingenij eiuſdem laus ab vſu debito.*

XXXVIII. *Prior probanda S. Bernardi cera, libri eius.*

XXXIX. *Cera pro libro, & vſus ceræ ad ſcriptionem.*

XL. *Quàm pura hæc S. Bernardi cera; librorum vitia ex argumento.*

XLI. *Item ex modo & forma ſcribendi.*

XLII. *Vtrumque illud caput vitiorum, à S. Bernardi libris remotum.*

XLIII. *Certamina doctrinæ à S. Bernardo ape argumentoſa.*

XLIV. *Cum Gilberto Pictauienſi Theologaſtro.*

XLV. *Et Petro Abelardo philoſophaſtro, gloriæ animali.*

XLVI. *Itémque contra Henricum Apoſtatam.*

XLVII. *Et contra Apoſtolicos, Caluiniſtarum proauos.*

XLVIII. *Conſideratio certaminum S. Bernardi, nexa cum conſideratione librorum.*

XLIX. *Eruditio librorum S. Bernardi, mirabilior ex defectu ſubſidiorum ad eam parandam.*

L. *Pleraque ſcripta, S. Bernardo ſuppoſita.*

LI. *Scriptores docti ex S. Bernardi inſtituto.*

LII. *S. Bernardi Apis myſticæ, cera altera, cellæ cœnobiorum ſtructæ & directæ prudentiſſimè.*

LIII. *Apum prudentia.*

LIV. *Quem præcellentior in S. Bernardo ceriſicandi peritia.*

LV. *Claræuallis S. Bernardi cellæ primariæ, eximia decora.*

LVI. *Inſignes Antiſtites è cœnobio Claræ vallenſi.*

LVII. *Eugenius III. quantus Pontifex.*

LVIII. *Quantus item Amedeus Lauſanenſis.*

LIX. *Godofredus à Perona Præſul deſignatus, vir ſanctiſſimus.*

LX. *Cœlites Clarauallenſes.*

LXI. *Antiſtites ex aliis S. Bernardi cœnobiis. Magnates in iiſdem.*

LXII. *Ordines varij è D. Bernardi inſtituto.*

LXIII. *Templarij, initio quales.*

LXIV. *Fulienſium & Barrerij Autoris elegiolum meritis impar.*

LXV. *Moniales ex D. Bernardi inſtituto.*

LXVI. *S. Bernardi rectio, in tot à ſe ſtructis alueis prudentiſſima.*

LXVII. *Mel, fructus Apis myſticæ, duplex æquè ac cera.*

LXVIII. *Mel orationis ſuadentis.*

LXIX. *Inſignis perſuadendi vis in ſancto Bernardo adoleſcente.*

LXX. *Quanta in eodem iam grandi natu.*

LXXI. *Præſertim inter concionandum.*

LXXII. *Et in vrgendo ad bellum ſacrum.*

LXXIII. *Mel orationis ſancti Bernardi in iungendis abalienatis, proditum in ſchiſmate Petri Leonis.*

LXXIV.

Digitized

LXXIV. *Et in conuerſione Gulielmi Ducis.*

LXXV. *Itémque in aliis permultis diſſidentium fœderationibus.*

LXXVI. *Votum pro huiuſmodi melle.*

LXXVII. *Mel alterum ſancti Bernardi, Apis myſticæ, virtutes.*

LXXVIII. *Theologicæ ferè dimiſſæ.*

LXXIX. *Item inter Morales Prudentia.*

LXXX. *Iuſtitiæ adumbratio in Ape, veritas in ſancto Bernardo.*

LXXXI. *Iuſtitiæ in Deum partus, deuotio.*

LXXXII. *Abſurdæ notiones deuotionis.*

LXXXIII. *Vera deuotio.*

LXXXIV. *Excellens in ea ſanctus Bernardus.*

LXXXV. *Et circa incarnati Verbi myſterium.*

LXXXVI. *Eiuſque occaſione erga deiparam.*

LXXXVII. *Et circa paſſionem Chriſti.*

LXXXVIII. *Et denique circa Eucbariſtiam.*

LXXXIX. *Fortitudo ſancti Bernardi.*

LXL. *Mirabilior in tam tenui & propè nulla valetudine.*

LXLI. *S. Bernardi perfeßiones martyrio non impares.*

LXLII. *Eiuſdem aduersùs oblocutiones, infractum pectus.*

LXLIII. *Temperantia ſancti Bernardi circa cibum & potum.*

LXLIV. *Eiuſdem integerrima caſtitas.*

LXLV. *Item ſumma humilitas.*

LXLVI. *Mirabilior in tanto omnium applauſu.*

LXLVII. *Fuga honorum per S. Bernardum.*

LXLVIII. *Summella antediſtorum; ſanctus Bernardus Apis myſtica.*

LXLIX. *Imitanda eius cerificatio & mellificium.*

C. *Quatenus eius exemplo, Apes eſſe debeamus.*

PROPOSITVM.

Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus eius. Eccleſ. 11.

ARcuiſſe olim Deum mel ab altari ſuo & ſacris, lege Leuit. 2. exarata docemur. Interdicti porrò illius rationes complures idoneas, varij Patres appenderunt; præter eam quę apud Plutarchum *a* aſſignatur prorſus inſulsè ac ridiculè. Comminiſcitur namque Plutarchus, idcirco Iudæos melle in ſacris abſtinere iuſſos, quòd Iudæorũ Deus, ipſe ſit Bacchus; ad Bacchi verò ſacra mel non admouebatur, quod admiſtum mel vina corrumpat. Apage inſanam & impiam veri Dei transformationem in ſpurcum numen. Commiſeratione profectò digna eſt, Gentilium ſcriptorum Hebraica ſacra attingentium temeritas, quam in Tacito Tertullianus ſugillauit *b*, nec rarò in Plinio, & Plutarcho in quem incurrimus, notarunt alij. Idoneæ cauſæ, mellis ex diuino interdicto ab Hebræorum ſacris remoti, ex ſacris Doctoribus ſunt repetendæ. Petrus Bleſenſis, diuinum hoc præceptum de melle à ſacris remouendo, aliquando ad fugam mellitorum verborum *c*, alibi ad rectionem prorſus melleam ſuperioribus declinandam, & nonnulla aſperitatis iuſtæ admiſtione diluendam, referri cenſuit. Paſſim alij, ea mellis à ſacris remotione inſinuatũ putant, voluptatis odium ei qui ſe diuino cultui addixerit, eſſe neceſſarium: Ita enim Philo, *e* Hieronimus, *f* Cyrillus Alexandrinus, *g* Petrus Damiani *h* & falsò creditus Chryſoſtomus inter diſputandum de eſcis Baptiſtæ, cuius verba

I. *Vetita olim mellis ad altare illatio.*

a Lib. 4. ſympoſ. q. 5.

b Cap. 16. Apolog.

c Ep. 112.

d Ep. 100.

e Lib. de congr. *in fine.*

f Ep. 12. & 19. & 127. & in c. 1. Ioelis.

g L. 15. de ador.

h Serm. 64.

i Hom. 2. in Marcũ. verba placet adducere. [Mel nunquam in ſacrificiis oblatum legimus. Miretur aliquis & dicat: Quare cum oleum, cum ſimila, cum aries, cum Agnus, cum ſanguis pecudium, cum cætera offeruntur, in ſacrificio Dei, mel tantùm non offertur. Denique quod dicit: *Et quodcũque offertur, ſale conditum offeratur in ſacrificio* & *ſermo veſter ſit ſale conditus.* Mel penitus non offertur, & *quodcunque contigerit*, (inquit) *immundum erit.* Mel ſanè voluptatis indicium, & ſuauitatis. Semper enim voluptas mortificat, ſemper enim voluptas Deo non placet. Quodcunque dulcedinem habet, in Dei ſacrificiis non offertur. Mel quidem ipſum videtur dulce eſſe, & ſenſum ſuauitate demulcens: ſicut & voluptas, ſicut & libido, ſicut & laſciuię. Mel videtur quidem hinc inde confectum eſſe è floribus, ſed ſi reſpicias, inter ipſos flores, & cadauera, & putredines habentur, & cætera. iſtiuſmodi. Ergo mel non ſolùm de floribus, ſed & de quocumque voluptuoſo eſt. Videtur quidem ſuaue eſſe, ſed ſi diſcrimen reſpicias, mortiferum eſt.]

a l. de victimas offerent. b q 1. in Leuit. Rationem aliam à Philone alibi prolatam *a* cur Deus mel arceri à ſacris iuberet, nimirum quia mel ab ape legitur, quæ eſt animal impurum, quippe enaſcens è bubulo cadauere, excutiemus inferiùs. Theodoretus *b* ablegati ab altari mellis cauſam inde repetit, quod mel non ſit aliquid api proprium, ſed ex alieno ſublegatur, qualem oblationem non probat altiſſimus, honorari volens de propria offerentis ſubſtantia.

II. *Itemque cera.* b Ep. 12. c Ep. 127. Ceram eodem diuino iure ab Hæbreorum ſacris ſubmotam, docet illis ad Gaudentium verbis S. Hieronimus. *b* [In Domini ſacrificiis, mel non offerunt; ceráque contempta, quæ mellis hoſpitium eſt, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur oliuarum.] Rurſus alibi, *c* tractans manſionem quadrageſimam. [Mel non offertur in ſacrificiis Dei, & cera quæ dulcia continet, non lucet in tabernaculo, ſed oleum

oleum puriſſimum quod de oliuæ profertur amaritudine.] Optimè in hanc rem philoſophari licet, ex ea Clementis Alexandrini doctrina, *d* qua laudato Platone tradit, voluptaten cereos homines facere, id eſt molles ac flexiles; quod Poëta voluptarium deſcribens dixit, *cereus in vitium flecti*, notans ſequacitatem nimiam qua peccator in omnes ſe formas fingi ſinit per fluxum & ſolutum habitum animi, ceræ mollitudine adumbratum. Philippi Abbatis in eam rem diſputatio *a* pulchra eſt & luculenta. [Quid ſibi vult (inquit) quod nequaquam in tabernaculum Aaron cereos intromittit, & eos diuina ſanctio, inter ſua luminaria non admittit, ſed oleum de oliuis puriſſimum, coram Domino, Aaron ponit, & eius tantùm lucernas mundiſſimo candelabro, ſuperponit? In cera fragilis quidem fluxus, ſiue fluxa fragilitas deſignatur, quæ illis qui perfectè lucent in Eccleſia, nullatenus aſſignatur, quos à fragili mollitie ſynceros, diuina gratia vult haberi, & à fluxu carnalium affectuum puritatis gelicidio coerceri. Quapropter Apoſtolus eos quos inſtruit prohibens fermentari, in azimis ſinceritatis diligenter admonet epulari, dans intelligi, quia nihil aliud ſunt azima ſyncera, quàm munda conuerſatio ſine cera. *Epulemur* (ait) *non in fermento veteri ſed in agimis ſynceritatis.* Non vult Apoſtolus nos in modum Ceræ eſſe fragiles ſiue faciles, ad flectendum, non ſolutos, vel ſolubiles ad fluẽdum, recolens fortè, quod, & poëta Imberbem Iuuenem cereum reprehendit & Propheta peccatores tanquam ceram perire fluidam deprehendit. *Imberbis Iuuenis* (ait poëta) *tandem cuſtode remoto, Cereus in vitium flecti.* Et Dauid *ſicut flu t cera,* (inquit) *à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Et iterum *ſicut cera quæ fluit, auferentur* Ideo Apoſtolus, *obſeruare* (inquit) *nos oportet ea quæ audiuimus ne fortè pereffluamus* Horum ignem, qui & iuxta Poetam, cerei ad vitia deflectũtur; & iuxta Prophetam ſicut cera quæ fluit auferuntur;

d Lib. 2. ſtrom.

e Flaccus l. 1. epiſt.

a Lib. de ſilentio c. 33.

tur; horum inquam Ignèm ſuo Deus tabernaculo non admittit, ſed eos in illo ambulare vel iubet minaciter vel permittit, vt quoniam illo igne quē in terram mittere & ardere voluit accendi noluerunt, eo nequiter ſuccendantur, de quo per Iſaiam; *Ambulate* (inquit) *in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis.* Reprobato autem illo igne, quem ſibi miſeri ſuccenderunt, æſtu cuius cerei & fragiles in vitia defluxerunt, illum ignem Deus voluit ſibi dari, illum in ſuo tabernaculo & candelabro collocari, cui præbet oleum de oliuis tam indeficiens nutrimentum, vt debitæ claritatis non ſuſtineat detrimentum.] Sic improbato ceræ vſu in ſacris diuino edicto, excurrit idem autor è contrario in cauſas cur indictus eſſet vſus olei, concludens poſt multa in eandem ſententiam. [Rectè ergo & eligitur oleum & cera reprobatur, vt in domo Dei miſericordia ſiue charitas indeficiens accendatur, Ignis verò imprudentis concupiſcentiæ nullo pacto in ea dominetur, ſed frigeſcat, & cinereſcat, vt nec etiā in ea nominetur. Nihil hoc in loco inuenio de Apum operibus approbari, ſed ceram è Candelabro, mel autem ab altari reprobari.]

III. *Expenſæ rationes vetandi Hebræis illationem mellis ac ceræ.*

Has rationes ſubmoti à ſacris Hebræorum diuino decreto mellis, & ceræ mellis hoſpitij, quod tantorum ingeniorum partus ſint, inconſultum fuerit conuellere. Difficultatem tamen circa eas facit; quod ſi rationes illæ idoneæ eſſent, æquè à Chriſtianis ſacris mel & ceram arcerent, cum mellitæ adulatorum blanditiæ; & mollior iuſto prorſúſque mellea præfectura, denique voluptatum fellea dulcedo, & in vitium ſequacitas ac flexibilitas, non minus imo multo magis Chriſtianum dedeceant, quàm Iudæum: Et tamen mellis ac ceræ vſum in Chriſtianis ſacris vſurpatum, neminem latet. De mellis in Baptiſmo prægustatione, autorem habemus Tertullianum *a* Et alios proferunt Pamelius *b* Durantus *c* Vicecomes *d* & quotquot Baptiſmi Chriſtiani antiquos ritus

a L. de coromilit. c. 4.

ritus deſcribunt. Synodus quidem Trullana, *e* mellis oblationem ad altare prohibuit, nimirum tanquam ſacrificij materiam: nam æquè lac, & quicquid non eſt Chriſtiani ſacrificij materia inferri vetuit, imitata tertium Canonem Apoſtolicum, in cuius explanatione Theodorus Balſamon quæ aliter quàm ad conſecrationem & ſacrificij materiam offeruntur, permiſſa inferri altaribus teſtatur, dummodò abeſſet indecora quæpiam ratio, qualis in mellis & quarũvis frugum oblatione non cernitur. Ceræ verò vſus, hodiéque in Chriſtianis ſacris ac ritibus omnibus perpetuus eſt, vt non ſit neceſſe Patrum teſtimonia quæ Stephanus Durantus *f* addenſat, hunc transferre, in re clariore quàm ſit ipſa lux cereorum, quibus vt eſt apud S. Paulinum. *g*

b In præl. ad lib. de Bapt.
c Lib. 1. de rit. c. 19. n. 44.
d In opere de bapt. rit.
e Cano. 57. & 28.
f Lib. 1. de rit. c. 8.
g Natali 3 ſancti Felicis.

Clara coronantur denſis altaria lychnis;
Lumina ceratis adolentur odora papyris;
Nocte Diéque micant.

IV. *Vera illius interdicti, ratio.*

Malim itaque, diuinum interdictum quo mel & cera à ſacris Iudæorum arcebantur, ad legis antiquæ amaritiem & aſperitatem dulcedinis expertem referre, vt à credito Chryſoſtomo inſinuatum video. Ex contraria autem cauſa, inter Chriſtianos ritus vſurpantur mel & cera, quòd iugum nunc ſuaue ſit nobis impoſitum, & iudicia ſuper mel & fauum dulcia, ſubeamus. Itaque inter Chriſtianas antiquas oblationes, ſiue καρποφορίας approbante Gangrenſi ſynodo. *b* receptas, mel numeratum conſtat: ceræ verò oblationem, D. Auguſtinus *c* diſertè commendat. Mellitiſſimus item ſcriptor S. Ephrẽ celebrans ſanctos quadraginta martyres Cappadoces, cum veniſſet ad offerumentum heroinę illius bonorum memoria dignæ, quæ dulciſſimum Melitonem poſtquam efflaſſet animam, communi cœterorum plauſtro intulit, non habuit luculentiorem comparationem ad oblationis illius gratiam & ſuauitatem apud cœlites exprimendam, quàm ceræ & mellis. [En (inquit) quo-

a Homil. 2. in Marc.
b Can. 7 & 8.
c Serm. 215 de temp.

Digitized by Google

modo effinxit (vt dicitur) aluearis fiſtulas, ad mel conſeruandum, Apis iſta ſapientiſſima. En quantam ſcripturarum materiam florum inſtar collegit , & vndique melle circumdedit. Idcirco veſpæ ſtimulo malitiæ, non perturbarunt atque infecerunt fidei dulcedinem, neque rurſus locum inuenerunt, vbi ſpiritualis pulchritudinem mellis, reuelent, ac comedant. Ideóque pia mater , tanquam prudens Regina, fœtum ad ramum vitæ proferre cupiens, ipſum ceroma cum Mellificio integrum ſeruans, orationum alimentis munita, opus, non fictum ſuperis exhibuit, in myſticam illam cœnam donum remittens, quod ſuauitate ac dulcedine guſtus etiam lætificat Angelos.] Ita de ceromate & mellificio optimæ mulieris, S. Ephrem, à qua ſicut lætificatos audiſti Angelos, ita pudore perfuſum & abire coactum Satanam, turpi fuga declinantem ſpectaculum quod ferre non poterat , venuſtiſſimè dixit S. Baſilius , *d* hanc Amazonem effusè celebrans quod præſtat etiam Gregorius Nyſſenus. *e*

d Orat. in SS. 40. martyr. *in fine.*

e Orat. de iiſdem.

V.

Noſtra ceræ ac mellis illatio, abſque labe.

Hæc ego contemplatus, abiecto timore interdicti, quod in lege gratiæ ſuauiſſima & dulciſſima euiguiſſe præmiſi, apem ad altare Dei, cum cera ſua ac melle inferre, conſilium iniui. De Beati namque BERNARDI laudibus nonnulla decerpturus, (plenum elogium, quod immenſæ foret operæ, non recipio;) exiſtimaui, non incongruè, imo percommodè, tanti viri decora ad apem cum cera ſua ac melle eſſe reuocanda. Apem ſanè ex anticipatis omnium iudiciis, dicturus videor B. Bernardum, qui paſſim audit DOCTOR MELLIFLVVS. Quare ſicut μελιστόμος ſiue mellifluus Xenophō, referente Suida dictus eſt APIS ATTICA, ita & quidem multo veriùs, mellifluus Bernardus denominandus videtur APIS GALLICA, eíque illud ſiracidæ meritò accommodandum, *Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* Vbi & ipſe Bernardus apis ſpecie

repræ

Digitized by Google

repræſentandus occurrit, & fructus huius apis duplex, dulcoris initium habens, Græcè *ἀπαρχὴν*, id eſt principatum, & vt ita dicam verticem ac gradum primum ſuauitatis & dulcedinis. Qua ratione B. Iacobus, hominem in Chriſto renatum, vocat *initium aliquod creaturæ Dei*, id eſt primum ac nobiliſſimum diuinorum operum, vt Gagneius ex Græcis ſcholiis rectè expoſuit. Et cera quidem quæ primus eſt huius apis fructus, dulcoris initium habet receptiuè, vt ſic dicam; ſiue ſubiectiuè, quia eſt mellis hoſpitium. Mel verò qui eſt alter apis fructus, exquiſitiſſimum illum dulcorem habet formaliter.

VI. *Diſſertationis diſtributio tripertita; de S. Bernardo Ape myſtica, eiuſque cera & melle.*

Quare tripertitam inſtituam diſſertationem, inhærens propoſito ex Siracide deprompto: ac primùm vniuersè apem myſticam, tum fructum eius duplicem, ceram ſcilicet & mel, quanta licebit breuitate ac perſpicuitate exhibebo. Dixerunt de ape, eiuſque fructibus, ſplendidè ac diligenter, Higinus, Maro, Celſus, collaudati à Columella. [a] Dixerunt præterea Ariſtoteles, Plinius, Conſtantinus, aliíque animalium aut rei ruſticæ tractatores, ac non ita pridem Aldrouandus. [a] Et fuiſſe qui bonam ætatis partem in hac conſideratione contriuerint, literarum monimentis eſt proditum. Nam Ariſtodemum Philoſophum creditus Auguſtinus, [b] annos plurimos in apum diſquiſitione collocaſſe tradit. An is eſt, quem Tullius Ariſtomachum nominat, & annos duos de ſexaginta in id vnum ſtudium conſumpſiſſe teſtatur? Alium quendam Philiſcum Thaſium, idcirco Agrium agnominatum, quod apes in deſertis per totam vitã coluiſſet, Plinius & Ælianus commemorãt, id quod etiam ab aliis de Aleno quodam Samnite proditum nouimus. Nos ex profanis nonnulla in apis myſticæ celebrationem libabimus, plura ex noſtris argumento propoſito congruentia proferemus.

[a] Lib. 9. c. 2. a l. 1. de inſectis c. 1.
[b] Ad frat. in eremo ſerm. 15.
[c] Lib. 11. c. 9.

VII.

Apem, mellifluum Bernardum, monſtrare licet & qua

Chriſtiã

S. Bernardus apis myſtica triplici titulo, ac primum quia Chriſtianus.

Chriſtianum,& quâ Chriſtianæ perfectionis inter religioſos profeſſorem,imo choragum ; & quâ ſcriptorem Chriſtianæ doctrinæ Magiſtrum,de Patribus,id eſt Magiſtris doctrina & inſtitutione liberos Chriſto generantibus,vnum. Totidem quippè modis, myſticæ apis denominationem extenſam lego.

c Orat.43. n 46.

Chriſtianā quidem plebem,Gregorius Theologus in *c* vernantiſſima veris deſcriptione ſic affatur. [Nunc ſedulæ apes ſolutis pennis,& relictis aluearibus,ſapientiæ documentum præbent,atque ad prata conuolant, floréſque diripiunt,ac partim cellulas elaborant,ſexangulas, & interſe oppoſitas fiſtulas attexentes rectáſque angularibus alternantes, non minus ad operis elegantiam, quàm ad ſecuritatem · Partim mel in horrea recondunt atque hoſpiti ſuo,dulcem fructum,& inaratum proferunt, quemadmodum, vtinam nos quoque, qui Chriſti Apiarium ſumus,ac tale partim ſapientiæ, partim induſtriæ,& laboris exemplum accepimus.]

a Orat. in Gordium initio.

En Chriſtianam plebem,Chriſti apiarium.In eundem ſenſum ſic philoſophatur S. Baſilius. *a* [Naturæ lex eſt, Apibus innata,vt niſi Rex priùs agmen præcedat, ab Aluearibus nuſquam diſcedant. Vos autem Dei populum,cum nunc primum ad martyris tanquam ad flores cœleſtes exeuntes,& huc frequentes conuenire viderim, quo id duce feceritis exquiro. Quis ingentem hunc teſtem excitauit ? Quis Hyemalem hanc triſtitiam,in vernam ſerenitatem commutauit,vt populus ex Ciuitatis ædificiis,tanquam ex Apum aluearibus hilaris egreſſus, ad ſuburbanum decus præclarúmque martyris ſtadium conflueret ?

b In ipſo initio.

Expreſſit fratrem Nyſſenus orat.de Baptiſmo.

c Hom. 2. in Eſai.

Tanto ante Origenes *c* tractans illud Eſaiæ,*butyrum & mel comedet* Chriſtum vocat apum principem;quotquot autem Chriſtiani ab eo denominantur, apes ſub illa primaria ape nominat. Verſat ibi locum ex Prouerb. 6. iuxta

iuxta 70. *Vade ad apem ô piger,* qui locus in vulgata editione deſideratur, ſed paſſim vſurpatur à Patribus, nominatímque à Baſilio, Ambroſio, *e* Chryſoſtomo, *f* Hieronimo, *g* aliíſque paſſim. Quid igitur locus ille ſibi velit, ſic enodat Origenes.[Quod dicitur, vade ad Apem iſtiuſmodi eſt. Eſt quædam vt ita dicam Apis ſuper Apes. Et quo modo inter apes Rex quidam eſt qui nominatur Rex: ſic princeps apum Dominus meus eſt Ieſus Chriſtus, ad quem mittit me Spiritus ſanctus vt comedam mel (bonum eſt enim,) & fauos eius, vt indulcentur fauces meæ.]

d Hom. 8. Exaëm. *e* Lib. 6. exaëm. c. 21. *f* In pſalm. 110. *g* In c. 3. Ezech.

S. Gaudentius *a* ad eandem mentem, & apis primariæ nomen Chriſto tribuendum, alia habet, nec non Clemens Alexandrinus. *b* Ac diffusè & admodùm minutè Richardus à S. Laurentio in opere de Deipara. *c* Sed concinniſſimè & mellitiſſimè noſter, his præter cætera. *d* [Apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis verò eſt quæ paſcitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad Ciuitatem Nazareth, quod interpretatur flos, aduolauit, vt ad ſuaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit; illi inſedit, illi adhæſit. Huius Apis mel, & aculeum, non ignorat, qui miſericordiam ei & Iudicium cum propheta decantat. Attamen ad nos veniens ſolum mel attulit, & non aculeum, id eſt miſericordiam, & non iudicium, ita vt ſuadentibus quandoque diſcipulis, vt ciuitatem quæ eum ſuſcipere noluit, præciperet igne conſumi, reſponderit, filium hominis non veniſſe, vt iudicaret, ſed vt ſaluaret mundum. Non habebat aculeum apis noſtra: quodammodo depoſuerat illum, quando tanta indigna patiens, miſericordiam exhibebat & non Iudicium, ſed nolite ſperare in iniquitate, nolite peccare in ſpe. Habet enim Apis noſtra, quandoque aſſumere aculeum ſuum, & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam

a In reſponſ. ad Paul. Diaco. *b* In protr. ſub mittit. *c* 12. *d* Homil. 2 de adu.

Digitized by Google

Patet non Iudicat quemquam, ſed filio dedit omne iudicium. Nunc autem Paruulus noſter butyrum & mel comedit,quando bonum naturæ humanæ, diuinæ miſericordiæ ſic vniuit in ſemetipſo, vt eſſet homo verus, & peccatum non habens; Deus miſericors, & iudicium non exhibens.] Manifeſtè Chriſtum deſcribit ea ſpecie qua à peritioribus Rex apum exprimitur, nimirum habẽs quidem in poteſtate aculeum, ſed tamen eo non vtens:quo pacto pugnantes in ſpeciem hinc Ariſtotelis, Plinij, Ambroſij, inde Senecæ & Cantipratani ſententias de aculeo Regis apum conciliat Coluenerius. *d*

Huius igitur Regis apum,nunc quidem exarmati,ſed præſtituto tempore aculeum quo hoſtes feriat exerturi,conflant examen Chriſtiani omnes qui eius nomine & ſocietate gloriantur, vt à Chriſto piſce *piſciculi* iuxta Tertullianum,*a* ita ab eodem apis nomen ſortito *apicula*. Eáque ratione S. Auguſtinus,apes è proſtrati leonis cadauere exortas,interpretatur Chriſtianos cœſo & morti tradito Chriſto domino ſatos & multiplicatos. Atque adeò, eo primùm ex capite mellifluum Bernardum apem myſticam non iniuria quis dixerit. Sed habemus magis particularia.

a Lib. de baptiſ.
b Serm. 107. de tempo.

VII. *Religioſi, apes, atque adeò etiam S.Bernardus.*

Sectatores quoque conſiliorum Euangelicorum, (quos inter eminet S. Bernardus,) apes paſſim audire video. Sic Ampo Abbas *c* Monachum cum ape componebat,quod quemadmodùm apis quocunque pergat, circa mel operosè negotiatur,ita & Monachus quocunque pergat, dulcedinem ſanctorum operum poſſit congerere.Idipſum Ruffinus *d* ex incerto ſene retulit.Sed & Caſſianus *e* tanquam *veterem & admirabilem B. Antonij ſententiam* refert, Monachum ſpiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentiſſimam debere vnamquamque virtutem ab aliis qui illam familiariùs poſſident deflorare,& in ſui pectoris vaſe diligenter recondere,nec quid minus aliquis habeat diſcutere; ſed hoc

c L.7.vitæ PP.c.32.
d Ibid.l.3. n.187.
e L. 5. de

tan

Digitized by Google

tantū quid virtutis habeat contemplari,ſtudioſéque decerpere. Cunctas namque ſi ab vno volumus mutuari, aut difficilè,aut certè nunquam, idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri.] Quare ſicut apes, mel ex vno flore non legunt, ſed omnino ex variis;ita Religioſum prudentem, dulces bonorum exemplorum ſuccos debere ex variis legere,concludebat. Ipſummet S. Antonium id ſtudioſè factitaſſe,prodit Magnus Athanaſius, *f* ſiue de viuis (vt ſic dicam) ſiue de emortuis, hoc eſt ſcriptura quapiam ſacra comprehenſis, ſanctorum exemplis,ſit ſermo. Non dubito quin huc ſpectarit S. Chryſoſtomus *a* in luculenta monaſticæ vitæ deſcriptione,cum ad ſpirituale monachorum pabulum deuenit. Antonij enim ſententiam & ſtudium ab Athanaſio celebratum exprimere voluiſſe videtur, cum dixit. [Non brutorum animalium decoctas ſibi carnes vt alantur aſſumunt;ſed Dei verba, melle atque fauo Iucundiora,melioráque cibo etiam Ioannis,quo in deſerto alebatur. Hoc mel non ſylueſtres è floribus apes collegerunt,nec rorem concoctum ſuis alucaribus, immiſerunt,ſed ſpiritus gratia conſtituens pro fauis & aluearibus atque fiſtulis in animis ſanctorum, impoſuit vt quicumque vult continuè poſſit comedere. Apes igitur imitantes ſacrorum fauis librorum circumuolant, magnam inde voluptatem carpentes.] Hoc ſtudium ita tribuo S. Antonio cum omnibus antiquis, vt tamen fatear fœdè impegiſſe eos qui ſuperiore ſeculo Antonium à Florilegio quod emiſit cognomento Meliſſam, cum Magno Antonio quem Meliſſam dictum autumant, confuderunt.

f Cap. 3.

a Homil. 69. in Matth.

Analogiam religioſorum & apum propoſitam,tametſi ex variis Patribus iam expreſſam, ex Aldelmi cum monialibus agentis oratione quia præclara eſt,illuſtrare iuuat. *b* Præmiſerat comparationes religioſarum perſonarum cum quibuſvis gymnaſticam agentibus. Tum

b Lib. de laud. virg. c. 1. & 2.

Digitized by Google

ſubdit. [Solertiſſimæ apis induſtriam prædictis exemplorum formulis coaptari poſſe vberrima rerum experimenta liquidò declarant, quæ roſcido faceſſente crepuſculo, exorto limpidiſſimi ſolis iubare, denſos extemplo tripudiantium turmarum exercitus per patentes campos gregatim diffundit. Modò melligeris caltarum frondibus, ſeu purpureis Maluarum floribus incubantes, multa nectaris ſtillicidia guttatim roſtro decerpunt, & velut lento caricæ defruto, quod regalibus ferculis conficitur, auida viſcerum receptacula certatim implere contendunt; modò flaueſcentes ſaliculas, & croceata geniſtarum cacumina circumuallantes fertilem prædam numeroſis cruribus, & coxarum oneribus aduehunt, quibus cerea caſtra conficiunt. Modò teretes hederarum corymbos, & leuiſſimos florentis tiliæ ſurculos conſtipantes, multiformem fauorum machinam, anguloſis & opertis cellulis conſtruunt. Cuius artis molimen egregius Poeta facundia metrica fretus, catalectico verſu creditur ceciniſſe, cum diceret. *Cerea gemmatis flaueſcunt mella caniſtris*. Et infrà. Brachy catalecto, ſiue colopſo. *Collucéntque ſuis aurea vaſa fauis.* Nam quemadmodùm examinaria feneſtrarum foramina, & anguſta aluearij veſtibula, cateruatim per turmas egreſſæ, amœna prata populantur, eodem modo veſtrum ni fallor, memoriale mentis ingenium, per florulenta ſcripturarum arua latè vagans, bibula curioſitate decurrit. Nūc Diuina priſcorum Prophetarum oracula certis adſtipulationibus iamdudum ſaluatoris aduentum vaticinantia enixius inueſtigando: Nunc antiquarum arcana legum, ab illo mirabiliter digeſta, quem bis memphitica regna ſæuiſſimis plagarum afflictionibus crudeliter percuſſiſſe, & rubicundi tumentes oceani gurgites, ac reciproca ſpumantis pelagi luſtra Sacro; ſancti tactu criminis, ex colubro nuper transfigurati in ſimulachrum maceriæ altrinſecus ſequeſtraſſe, & poſt cœleſte colloquiū

cornutis

cornutis vultibus incredulum fugaſſe vulgus, deſcribunt, ſolicita intentione ſcrutando: nunc quadrifaria Euangelicæ relationis dicta myſticis Catholicorum patrum commentariis expoſita, Et ad medullam vſque ſpiritualiter enucleata & quadriformis eccleſiaſticæ traditionis formulis ſecundùm hiſtoriam, Allegoriam, Tropologiam, Anagogen digeſta ſolerter indagando: Nunc priſcas hiſtoriographorum fabulas & Chronographorum ſeriem, qui fortuitas præteritorum permutationes temporum tenaci memoriæ textu tradiderunt ritè rimando: Nunc Grammaticorum Regulas, & Orthographorum diſciplinas tonis & temporibus trutinatas, pedibus poëticis compactas per cola & commata, hoc eſt per Penthemimerim, & heptemimerim diremptas; Immo centenis metrorum generibus, ſequeſtratim diſcretas, ſagaciter inquirendo.] Tantum de varia perſonarum religioſarum negotiatione circa varias materias, inſtar apicularum, Aldelmus. Nam quæ præterea de apum & religioſarum perſonarum mutua conuenientia ſubiicit, ad alia capita pertinent.

Præter propoſitam religioſarum perſonarum & apum analogiam, in eo ſitam quod florigeris vt apes in ſaltibus omnia libant, ita religioſi ex aliena vita vel ſcriptis, ſublegunt quicquid cœleſtis ſucci & lecti roris diuinitus inſperſum eſt, velut apes argumentoſæ, (iuxta notionem vocis illius à Fabio traditam:) *a* aliæ inſuper & quidem inſignes apum & religioſorum conſenſiones notari poſſunt, de quibus cum ex proprio ingenio multa aceruarit Aſcanius Martinengus, *b* nos pauca ex Patribus annotaſſe contenti, progrediemur vlteriùs. Sanè Hieronimus *c* Ruſticum informans vt in Monachum perfectum euaderet, apum ei exemplum propoſuit, verbis illis. [Apum fabricare aluearia, ad quas te mittunt Salomonis prouerbia, & Monaſteriorum ordinem ac regiam diſciplinam, in paruis diſce corporibus.] Aldelmus

IX. *Cœnobia, aluearia.*

a L. 5. c. 10.
b In Catc. magna in Geneſ.
c Epiſt. 4.

Digitized by Google

mus quoque proximè laudatus, [omnem monaſticæ conuerſationis diſciplinam, & regularia cœnobiorum inſtituta,] per apes expreſſa agnoſcit: ſed duo duntaxat ſigillatim conſiderat, quibus regulares in cœnobiis perſonæ apibus reſpondeant, caſtitatem & obedientiam: ſilet de paupertate. Verùm quia hæc tria ſunt religioſæ vitæ veluti fulcra & baſes, age apes cum religioſis hominibus quoad tria illa componamus.

X. *Apum paupertas, analogica religioſa.* *d* Serm. 5. de proui. *e* Lib. 5. exaëm. c. 21. *f* Hom. 8. exaëm. *a* Hom. 2. ad pop.

Paupertatem religioſam in apibus adumbrari, argumento eſt, quod vt notauit Theodoretus, *d* [Nihil apud apes priuatum eſt aut proprium, ſed communis opum theſaurus, & indiuiſa rerum poſſeſſio.] Eodem pertinet illud S. Ambroſij de apibus. *e* [Solæ in omni genere animantium, communem omnibus ſobolem habent, vnam omnes incolunt manſionem, vnius patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis vſus & fructus eſt.] Profecit manifeſtè ex S. Baſilio, *f* apud quem eadem in apibus communitas rerum omnium celebratur. At ſicut proprietas clades eſt religioſæ paupertatis; ſic eius veluti anima, eſt nihil priuatim habere, omnia poſſidere communiter. Eſt verò quod melleæ ſuauitati qua potiuntur apes, perbellè reſpondeat in religioſa paupertate. Egregiè namque S. Chryſoſtomus, *a* pauperes licet cibario pane veſcantur, & de fonte puro ſitim reſtinguant, deliciis longè liquidioribus affluere quàm diuites, inde demonſtrat, quod diuites quia ſaturi ſunt, calcant fauum; pauperibus verò eſculentum & poculentum quodcunque, præ optimo famis ac ſitis cõdimento, ſuauiſſimè ſapit, & melleam ſuauitatem præfert: id quod à Pſalte traditum, cum de Iſraelitis aqua pura potis in magna ſiti, dixit pſal. 80. *de petra melle ſaturauit eos*, obſeruauit S. Chryſoſtomus. Bibiſſe enim de rupe percuſſa & in latices exundante, non mella, ſed aquam puram Iſraëlitas, in confeſſo eſt: & tamen Pſaltes,

tes, eam aquam præ ſiti incẽſiſſima, viſam fuiſſe dulcem ad modum mellis inſinuare volens, non dubitauit aſſerere, populum Dei de petra à Moſe percuſſa, melle fuiſſe ſaturatum. De eodem pauperum quaſi melle, & longè liquidioribus deliciis, videndus Auguſtinus *b* atque Libanius. *c*

b Serm. 5. de verb. dom. cap. 11.

XI. *Caſtitas apum, proportionalis caſtitati religioſæ.*

Iam apum caſtimoniam religioſæ integritatis antitypam, nemo ignorat. Rectè enim à Ruffino dictum eſt, *d* [Apes neſcire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam eſt.] Ducit ex apibus argumentum Ruffinus, pro conceptione & natiuitate Chriſti ex Virgine intemerata. Quo etiam modo argumentatur S. Gregorius ad illud, *ſcribantur hæc in generatione altera.* *e* Ex Caſſiano elegantiſſimè hoc argumentum exponente, *f* illud exhibeo. [Apes ſicut minima admodum, ita prudentiſſimo ac ſolertiſſima animalia ex diuerſiſſimis edi legimus atque exire naturis. Cum enim ſint miri Ingenij animantia, & non ſolùm ſenſu, ſed etiam prudentia abundent, excerptis quibuſdam herbarum floribus procreantur. Quod maius exemplum exhibendum aut ſumendum putas ? Ex atomis animalia naſcuntur. Qui opifex illic, qui fabricator eſt, qui formator corporum, qui inſpirator animarum ? ſonum denique ipſum, quo inter ſe quaſi loquuntur, quis dedit? Concinnitatem pedum, artem orium, elegantiam pinnarum, quis finxit atque compoſuit ? Ingenium, iram, prouiſionem, motum, placiditatem, concordiam, diſſentionem, bella, pacem, ordinationem, diſpoſitionem, officia, principatus, omnia denique quæ ſunt illis, quaſi cum humano genere communia, cuius doctrina, aut cuius munere, quo imbuente, aut quo inſtituente ſumpſerunt ? Numquid hoc à paterno ſemine adeptæ ſunt ? aut genitali vtero, atque in materna carne didicerunt ? Nec vterum vtique norunt, nec ſemen ſciunt : depaſti tantummodo flores in Aluearia congeruntur, ex quibus inæſtimabili opificio Apes exeunt.

c Tom. 1. diſſert. 1. morali.
d Ad 3. Symbo. artic.
e In pſal. 5. pœn.
f Lib. 7. de Incar. c. 5.

exeunt. Nihil illic genitricum viſcera prolibus conferunt, neque apes ex apibus eduntur, operariæ ſunt tantùm non procreatrices: ex herbarum floſculis animantia prodeunt. Quid ſimile herbis & animantibus? Quis fabricator igitur rerum iſtarum ſit, credo intelligis. I. nunc & ambige, an potuerit natiuitati ſuæ Dominus id tribuere, quod vides eum etiam facturis minimis præſtitiſſe.]

Raram præterea apum integritatem habet S. Ambroſius, *a* negans apes libidine reſolui, & concubitu miſceri, partuúmve quati doloribus; aſſerens verò è foliis & herbis ore ſuo prolem legere, ſiue vt Petrus Damiani *b* loquitur, [non vulua ſed bucca ſobolem procreare, nam ore filios ex foliis legunt.] Ennodij in hanc rem dictio, & fortis & amœna eſt. Sic enim affatur Deum.] Hoc autem tibi Domine Caſtæ operatricis munus, & hanc intactę matris ſobolem commendamus, per quam meretur habere terra, quod cœli eſt: quæ domos cereas diuino ſtipant mella compendio; quibus cauſa eſt, numeroſæ progeniei neſciſſe coniugium: ne dum copularum nexibus occupantur, laborandi tempus effugiant, & expectent vt prolem ſuam turgida aluus effundat, quam herbarum ſucco diligentiùs poſſunt, ore profligare quàm ſemine,] Iuo Carnotenſis agens de cereis quos S. Eccleſia ineunte Februario ſupplicabunda præfert, rationem adducit ex eo quod [ſicut caro Chriſti de mundiſſimo & bono odore virtutum referta carne proceſſit, & nec in concipiẽdo nec in egrediẽdo, matris integritatem violauit; ſic cera quæ hodie geſtatur fidelium manibus, de mundis & odoriferis floribus collecta, fructus eſt apis, virginis videlicet animantis; cuius, ſicut legitur, ſexum nec maſculi violant, nec fœtus quaſſant.]

a Lib. 5. exaëm c. 21.
b Lib. 2. Ep. 18.
c In prima cerei benedict.
d Serm. de pirific.

Ipſos Ethnicos caſtimoniam apum celebraſsè, perſpicuum eſt. Doctus Poëta. *a*

a 4. Georg.

Illum

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipſæ foliis natos & ſuauibus herbis
Ore legunt: Ipſæ Regem paruóſque Quirites
Sufficiunt, auláſque & cerea regna refigunt.

Alia apud Fabium *b* & paſſim alibi proſtant. Nec tamen me latet, de apê origine ambiguos fuiſſe Ariſtotelem *c* ac Plinium. *d* Alios verò earum exortum ad bubulum cadauer referre: Vnde per luſum naturæ exortum illum inſinuantis, fucus quo ſeminalis apum ratio continetur, ſi medius digitis atque vngue prematur ruptis viſceribus atque poſterioris partis pellicula, emergit album ſeu croceum caput bouis, expanſis & tortuoſis cornibus, roſtróque adunco affabrè formatum, quod multis à ſe deprehenſum experimentis teſtatur Gomeſius. *e* Ex illo porrò apum ortu è bubulo cadauere, intulit Philo, *f* apem eſſe animal impurum, háncque eſſe germanam cauſam cur diuino edicto arceretur ab altari & mel & cera. Quæ mihi ratio probari non poteſt. Nam tametſi is eſſet apum exortus quem Philo ſupponit, eo tamen mirabilior & religioſæ ſanctitudini congruentior videri debet earum puritas, quod ex putredine & corruptione deriuatæ, tantam tamen integritatem præferant. Vt vt verò in rigore phyſico ſe habeat exortus apum, ſatis ſupérque eſſe poteſt ad ſymbolum religioſæ caſtitatis apibus vendicandum, quod Plinio autore *a* nemo apum coitum deprehenderit vnquam, nemo notarit.

b Declam. 13.
c L. 5. hiſt. anim. c. 21.
d L. 11. c. 16.
e L. de ſale.
f L. de victim. offer.
a Lib. 11. c. 16.

Quid quod apes à fœtore abhorrent, & ſtudioſiſſimè graueolentia quæque, imo & craſſa & pinguia omnia refugiunt, quippè inficientia & conſpurcantia attactu, vt Didymus apud Conſtantinum *b* obſeruat? E cōtrario autem, captant ſuaueolentiam ac fragrantiam, vt docent illa S. Chryſoſtomi. *c* [In vas & veſtimentum

b Lib. 15. Geop c. 3.
c Homil. 15. in ad Epheſ.

quoduis immundum, nunquam ſe demiſerit genus Apum; propterea enim & ſuffitibus,& vnguentis, boniſque odoribus locum aſpergunt, qui harum rerum ſunt periti viniſque ſuaue olentibus,& aliis omnibus illinunt calathiſcos in quibus ſunt inſeſſuræ, exeuntes ex alueis, ne grauis odor, & inſuauis eas rurſus abigat.]

d In Pſal. 41. e Hær. 41. Idem alibi d ſicut porci ad cœnum, apes autem ad fragrantiam occurrunt; ita porcos Tartareos ad impura cantica, ſpiritum Dei ad nitentia & caſta alloquia aduolare demonſtrat. S.Epiphanius e ſpurcitiam *Archonticorum*,& Catholicæ fidei profeſſorum *ſanctimoniam* componens, cantharorum & apum comparationem adhibuit. [Inuenimus (inquit) apud naturæ rerum doctos, phyſiologos appellatos, Imo potiùs nos ipſi videmus,quod Cantharorum,hoc eſt ſcarabæorum genus,quod à quibuſdam pilularium vocatur,conſuetudinem habet, vt in fœtore ac ſtercore volutetur, & hoc ipſorum alimentum,& opera. Et aliis quidem, idem ſtercus graueolens, & abominabile eſt, apibus autem hoc ſtercus & graueolentia mors eſt. Et ſcarabeorum quidem opera ac tractatio eſt graueolentia; Apibus autem vice verſa bonus odor, & flores & vnguenta, in refrigerationem recreationémque ac cibum, & in operam & tractationem. Verum ſcarabeis prædictis, talia contraria. Cuius rei ſi quis experimentum facere velit,de vnguento ſucci balſami,aut nardi ſumat, & ſcarabeis afferat, & mortem ipſis inducet, velut phyſici teſtantur,ſtatim enim moriuntur.]

b De cauſis natural. & lib. de coniugal. præcep. b L. 9. c. 5. c L. 5. c. 11. Gratiſſimum ſit caſtimoniæ amatoribus è Plutarcho a diſcere, quantopere apes ab iis perſonis auertantur quæ venerea aliqua labe ſordeant: id quod etiam Columella curatorem apum maximè admonuit: ni enim caſtus ſit & à venereis purus,dedignatæ apes auertẽtur, imo quod Ælianus ait, c hominem à venerea illuuie recentem

centem agnoſcunt,nec aliter inſequuntur quàm infenſiſſimum hoſtem. Legendus in eam rem, qui varia ex variis aceruauit Lælius Biſciola. *d* Sicut è contrario, à caſtis pudicíſque corporibus, nequaquam refugiunt: quod narrant Veronæ deprehenſum, vbi ad duarum virginum cadauera, adrepſerunt apes per rimas continentis parietis,ibíque copioſum confecere mellificium, quod anno poſt ſexto, incurrit in oculos diffiſſo per fulmen tumulo. Quare innatum apibus caſtimoniæ amorem, non vana ſuſpicio eſt, & tanquam caſtitati addictarum perſonarum imagines,meritò ſemper ſunt habitæ, quod ea ex D. Ambroſio *d* veluti gemma obſigno. [Digna virginitas quæ apibus comparetur,ſic laborioſa, ſic pudica,ſic continens. Rore paſcitur apis,neſcit concubitum,mella componit.] Vides quàm non abs re S. Amandus vt ſcribit in eius rebus geſtis Philippus Abbas *e* Maurontum B. Rictruudis filium,coniecerit vocari à Deo ad religioſam continentiam, viſa ape tempore ſacrificij ſancti Antiſtitis caput Mauronti circunuolante, [quia miniſtra dulcoris eſt,& mater caſtitatis apicula.]

d Tom. 1. ſubſ. 18. c. 5.

d L. 1. de virg.

e Cap. 24.

XII. *Apum obedientia reſpondẽs obedientiæ religioſorum.*

Obedientiam,tertium religioſæ vitæ columen, exquiſitè adamant apes,indéque Doctores ſacri,obedientiæ exempla & ſtimulos crebrò petunt. S. Cyprianus *e* obedientiam vni Antiſtiti debitam,firmat exemplo Regis apum,cui examen vniuerſum accuratè obedientiam & cultum defert.Non diſſimiliter S. Hieronimus, *f* informans ad religioſam vitam Ruſticũ Monachum, obedientiæ Rectori debitæ exẽplum,ſtatuit animalia ducibus ſuis parentia, in quorum primo agmine locat apes, quibus eſt princeps cui ita obediunt,vt nulli ſint populi Regibus ſuis promptiùs accuratiúſque dicto audientes, quam Regi ſuo ſeruiunt apes. Egregium eſt quod in hanc rem notauit S. Ambroſius *a* verbis quæ ſubiicio. [Apes illæ quæ non obtemperauerint legibus Regis pœnitenti ſe mulctant condemnatione,vt immoriantur

e Epiſt. 69.
f Epiſt. 4.

a Lib. 5. exaëm. c. 21.

Digitized by Google

aculei ſui vulneri. Quod Perſarum populi hodiéque ſeruare dicuntur, vt pro commiſſi precio ipſi in ſe propriæ mortis exequantur ſententiam. Itaque nulli ſicut Reges Perſarum tam grauiſſimas in ſubditos habent leges. Non Indi, non populi Sarmatarum, tantam, quantam Apis reuerentiam deuotionis obſeruant, vt nulla è domibus exire audeat, non in aliquos prodire paſtus niſi Rex fuerit egreſſus, & volatus ſibi vindicauerit principatum.]

b Hom. 8. exaëm.
c Ad orat. 1. Naz.
d L. 3. c. 22.

Notarunt hoc quoque S. Baſilius, *b* & Elias Cretenſis. *c* Inde præterea argumentum obedientiæ in apibus petere licet, quod à fucis tyrannidem affectantibus, abhorreant imſenſiſſimè. Ideóque Epictetus apud Arrianum *d* ſic affatur fictum Philoſophum, quem ſpecie cuiuſdam Regis exhibuerat. [Quis es tu? Taurúſne, an Regina Apum? Oſtende mihi ſigna principatus tui, qualia dedit Apiculæ natura ipſa: ſin autem fucus tanquam inuaſor alieni Regni damnatur, non cenſes futurum, vt te ex conciuibus eiciiant, quemadmodum ſolent Fucos arcere alueariis Apiculæ?] Non intendit aſſerere omnes apes eſſe Reginas, ſic enim excluderetur ab eis obedientia, quæ cum omnium imperio non cohæreret. Agit ergo de ea principe Ape duntaxat, cui paſſim inditur *Regis* nomen, vel *Reginæ*. Quanquam vniuerſas fucis vt ſeruitiis imperare, Plinius prodidit. Vtrauis ex cauſa, omen regni non rarò ex apibus ductum, vt de Dyoniſio Siculo Philiſtus ſcripſit, de Druſo Plinius. *f*

e L. 11. c. 11.
f L. 11 cap. 17.
g Lib. de ſancta virginit. c. 2.

Verùm quia parendi ſtudium exquiſitum in apibus, cui nunc inſiſto, concinnè & diligenter expreſſit Aldelmus, *g* repenſam ei obedientiæ mellis dulcedinem confirmans, placet eius orationem tametſi longiuſculam, repræſentare. Ita habet, poſt alia quibus religioſi ſtatus expreſſionem in apibus cerni docuerat. [Illud etiam commemorandum de Apum concordi ſodalitate, & theatrali quodam ſpectaculo, ſtupendum autumo, vltroneum

neum ſcilicet voluntariæ ſeruitutis affectum quem erga ſuorum obſequia principum exercere noſcuntur. Nõne ſub huiuſcemodi contemplationis intuitu, omnis Monaſticæ conuerſationis diſciplina, & regularia Cœnobiorum inſtituta, ſimillima collatione declarantur? Quandiu enim antiquas inhabitare ſedes, & exigua fouere tuguria grauiſſimis contextæ viminibus,ſeu cauatis conſuta codicibus,ille qui inter cæteros magiſtratus officio fungitur decreuerit, nulla ex immenſa multitudine, fugitiuis diſcurſibus, & laſciuis volatibus per æthera vagatur. Aſt ſi certis exiſtentibus cauſis, & cogente peregrinandi neceſſitate, illa cui conſulatus vice regimẽ cæterarum commiſſum eſt, externa quærere Regna maluerit; Nuſquam apud mortales videas extorrem propria principem Patria,tam denſis exercituum agminibus tanquam ſpiſſis legionum cohortibus conſtipari. Ita prorſus vt multo libentiùs examen ad reuerentiam principis ad incolatum peregrè proficiſcatur,quàm domeſticis aſſuetum delitiis, & vernacula contentum quiete, in cellulis commoretur. Quid enim in rerum viſibilium videri valet natura, quod tam ingenti ſtudio rectoris ſui præcepto pareat,& Regis imperium implere contendat. Vt meritò propter intactæ virginitatis typum; & ſpontaneum deuotæ ſubiectionis famulatũ, quo exemplum obedientiæ mortalibus in valle lachrymarum degentibus præbet,præ cæteris creaturis nectareum conficiat edulium, vt mulſi dulcedinis alimoniam flaueſcenti cerarum gurguſtio recondat, quæ non modò cuncta deliciarum fercula, & piperatas pulmentorum ſaginas præcellat,omnéque fragrantis Ambroſiæ, thimiama, ac nardi ſpirantis olfactum vincat; verùm etiam, vt omiſſa ſpecialitate, ad generalitatem ſermonis oratio decurrat,vniuerſam mundanæ ſuauitatis dulcedinem, opulentíque luxus,exquiſita ſuperet oblectamenta,& virgulti hauſtum defruti deſpiciat.]

Digitized by Google

In ſumma, neminem latet, quàm exquiſitam obedientiam depoſcat res militaris. Idque ex omnium retrò ſapientum ſenſu, & vſu quotidiano ratum eſt, vt nihil ſit neceſſe de eo vel probando vel illuſtrando ſatagere cũ Gabriele Naudeo in opere de militia, *a* Rocquio, Cicuta, & aliis in eodem argumento verſantibus. At S. Hieronimus vel quiſquis alius apud eum auctor epiſtolæ ad Præſidium de cereo Paſchali, ita de apibus diſſerit, vt non ſecus obedientiam ſeruent, quàm in caſtris milites. Oratorem enim inducit apum encomia pangentem, eo nominatim ex capite, quod Rex aduolans agmen inducat, tantáque accuratione obeantur bellica munia, vt Auditor militaribus caſtris intereſſe ſe credat. Plinius in Apum obedientia & erga Regem ſuum obſeruantia & multus & prædulcis eſt.

a L. 1. ſect. 25.

L. 1. 11. c. 17.

XIII. *Adiuncta vitæ religioſorum in apibus.*

Perſpicuè igitur monſtratum videtur, quanta ſit apum & religioſæ vitæ ſectatorum analogia, quoad religioſæ vitæ veluti baſes. Quod ſi alia quædam religioſi ſtatus adiuncta conſiderare placeat, vt accuratam domeſticæ diſciplinæ obſeruationem, communem menſam, commune item opus, habitationem vnius moris in domo, & cætera quæ in religioſis ſuſpicit S. Auguſtinus, *b* ne hoc quidem ex capite deerit analogia plena, apes inter & religioſas perſonas. Anonymus, cuius poëmatium ex M. S. C. Sancti Melanij Rhedonenſis, repreſentat Iacobus Sirmondus, *c* inter alia religioſorum cum apibus penes propoſita proximè capita, comparationem ſic inſtituit.

b Lib. de morib. Eccleſ.

c Ad lib. 4. epiſtol. Goffridi Vindoc. epiſt. 1.

Hos igitur proceres, hunc dignum laude ſenatum,
Exiguum ſpecie, moribus eximium.
Comparo formicis, quarum ſtudioſa laborum
Turmula, connectat corpore maius onus.
Quæ ne non poſſint communem ducere vitam,
Iſdem ſub laribus horrea parua locant.
Comparo diuinis Apibus, quæ corpore paruo

Ingen

Ingentes animas, egregiáſque gerunt.
Exagonis cellis quæ mella liquentia condunt;
Vtile, mirificum, quæ fabricantur opus
Quæ diſciplinam, quæ iura domeſtica ſeruant,
Quaſque ſimul reficit ingenioſa domus.]

Adhibet autor carminis alias pleraſque comparationes, quibus religioſorum vitam adeo ſuſtollit, vt non poſſit altiùs, quandoquidem ipſis beatis ſpiritibus eos componit. Quod aduerto ne quis religioſos ab illo deiectos putet, quia cum formicis & apibus, tantulis animalibus illos comparauit. Sed hæreo in comparatione cum apibus, circa quam autor per *Ingenioſam domum*, intelligit fauos, ſiue mellis cellas tanta ſubtilitate quantam infra exhibebimus elaboratas. [Non vides (ait Seneca) a quanta ſubtilitas ſit apibus ad fingenda domicilia? quanta diuidui laboris obeundi concordia?] Non vocat *diuiduum laborem* quaſi non ſit apibus omnibus commune opus, ſed quod partiantur inter ſe munera.

a Ep. 121. ad finem.

b *Namque aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto*
Exercetur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamenta; deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti
Inque vicem ſpeculentur aquas, & nubila cæli
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus, à præſepibus arcent
Feruet opus redoléntque thymo fragrantia mella.]

b 4. Georg.

En quid ſit apud Senecam diuiduus apum labor, ideſt diſtributus multipliciter. Et hoc quoque perbellè cadit in cœnobiticã miniſteriorum varietatem expreſſam in apibus: quam expreſſionem, cogitaſſe etiam cenſeo Fauſtum, a cum S. Maximum, Lerinenſem Abbatem, ſpecie

a Homil. de S. Max.

Digitized by Google

ſpecie apis propheticæ; monaſterium verò Lerinenſe, aluearij in quo diſtributæ. per varia opera apes exercerentur, deſcribit ſicut etiã Religionẽ Io. Sansberienſis ſpecie *apiarij*. Plenè verò & copiosè in idem argumentũ incubuit. Thomas Cantipratanus in tractatione de apibus, quæ eo vniuerſa pertinet, vt religioſam familiam apiarium, religioſos apes eſſe intelligamus: præter recentiores in quos his pridem exaratis incidi Aſcaniũ Martinengum in Gloſſa Magna ad c. 1. Geneſeos; & Chriſtophorum Giardam in Ape Religioſa *tribus libellis* explicata.

b à pag. 1523.

Potuit itaque aut etiam debuit mellifluus Bernardus religioſæ diſciplinæ profeſſor, & quidem eximius, eo quoque præter cœteros titulo, apis audire: cadítque ſpecialiter perbellè in S. Bernardum quod de ape dictum eſt à S. Paulino, *c* eſſe videlicet apem *ruris animal*. Tractans quippè pro more ſuo & pie & eleganter, quomodò ager cordis colendus ſit, inter cœtera quæ de rure ad eruditionem animæ trahi poſſe docet, proponit apem & formicam, quæ vtraque ruris animalia eſſe ait; iſtam de frugibus, vitæ prouidam, illam de floribus, mellis operariam. At fuiſſe S. Bernardum ruris incolam, ibíque de floribus legiſſe mella, inde perſpicuũ eſt, quod tametſi vrbibus ſe inferre ad bonum animarum pleruntque ſit adactus, tamen quantum in ipſo fuit, ſeceſſum ruſticanum adamauerit, ibíque Magiſtris (vt iocari ipſemet ſolebat) fagis ac quercubus, ea admirabilia opera ex prato ſcripturarum, floribúſque ſanctorum confecerit, quorum dulcedinem omnia deinceps ſecula ſuſpexerunt: vt propterea meritò, ea quoque ex parte, cum ape componatur S. Bernardus. Eſſe ſanè apibus familiaritatem cum quercu, notauit Theophraſtus in opere *de apibus*, provt habet libri inſcriptio in Photij breuiculo, *d* quamvis alibi liber *de melle* inſcribatur.

c Epiſt. 2. ad Aprum.

d Cod. 278.

Tributam poſtremo loco aiebam apis appellationem

Sanctis

Sanctis Patribus, inter quos etiam ſplendet S. Bernardus. Quod enim à Patribus ſcripta lectiſſima habeamus, veluti fauos quoſdam quibus pietatis & non adulterinæ ſapientiæ mel plurimum conditur, iure ſtructores fauorum illorum cum apibus conferre liceat. Id quod à Seneca factum video, *a* quem Macrobius *b* verbatim, illaudatum expilauit. Sed habemus noſtros è quibus eam ſcriptorum cum apibus analogiam congruentiùs aſtruamus. Origenem præſertim, *c* qui exponens manſionem in Dibongad, apem ait eſſe laudabile animal, cuius labores non mediocribus modò, ſed & Regibus ad ſanitatem ſunt vſui, iuxta ſapientem: quod de quorumvis piorum ſcriptorum laboribus accipiendũ admonet, obſeruátque vocem *Dibongad*, quam ſonare ait *apiarium tentationum*, probè concinere cum ea nec infrequentia nec exiguitate tentationum, quæ exiſtunt è ſcriptis Sanctorum, ſi improuidè & inconſultè euoluantur. Idem Origenes *d* tractans illud Prouerb. 25. *mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi*, ſcribit in hunc modum. [Num curauit Spiritus ſanctus de melle iſto quòd notum eſt, ne fortè plus comedamus? ſed Sciens vtique Spiritus ſanctus mel ſpirituale, ait, *Mel inueniens, comede quod ſufficit.* Quid autem ſentiens Spiritus ſanctus præcepit nobis vt ſi inueniremus mel, (inuenibile eſt ſiquidem mel,) comedamus quod ſufficit? *Vade* (ait) *ad Apem, & dices quomodo operatrix eſt.* Et inueniuntur prophetæ, apes eſſe. Fingunt ſiquidem ceras, & mella conficiunt, & ſi audiẽti mihi expedit dicere, faui eorum ſcripturæ ſunt quas reliquerunt. Non ait *Volens veni ad ſcripturas, & inueni mel.* Sed *comede mel.* Et in prouerbiis rurſus dicitur. *Bonus eſt enim fauus, vt indulcentur fauces tuæ.* Putáſne hoc dicit Spiritus ſanctus. Comede mel quod in vſu eſt, bonum enim eſt? Ego non audeo dicere quia de melle corporeo mihi præcipiat Spiritus ſanctus Comede mel. Ecce non habeo, aut certè, huiuſmodi

XIV. *Scriptores pij, apes;*

a Ep. 84.
b L. 1. Satur. in pręf.
c Hom. 17. in Num.
d Homil. 2. in Eſaiã.

di naturę ſum vt de melle comedere non poſſim, qua ratione mihi dicit comede mel, & noli comedere carnes, ſed comede fili mi mel, bonum eſt enim?Si videas apes Prophetas & opus eorum mella vel fauos, tunc videbis quomodo pro dignitate ſancti Spiritus dicatur, *comede mel fili,bonum eſt enim.*]

a Homil. 12.ad pop.

Non diſſimiliter S. Chryſoſtomus, *a* eos qui in doctrina laborant (cuiuſmodi maximè ſunt ſacri ſcriptores ac pij,) vocat ſpirituales apes, quod non ſibi ſed publico laborent. Faciunt eodem quæ habet Theodoretus ad illud Cantic. 4. *Fauus diſtillans labia tua ſponſa,mel & lac ſub lingua tua.* Adumbratam enim iis vocibus, doctrinam & diuinioribus verbis tanquam melle apparatam perfectis,& tyronibus veluti lacte ſapientiæ egentibus prouiſam, exiſtimat.

XV. *Qui nominatim Patres, dicti apes.*

b Lib. 1. ſtrom.c. 2.

Sigillatim verò,pleriſque Patribus tributum apis nomen comperimus,Clemens Alexandrinus de ſuo quodam inſigni Magiſtro hæc ſcriptis prodidit.*b* [Sicula re vera Apis,Prophetici, & Apoſtolici prati flores decerpens.]

c In eius encomio. ad finem.

Magnum Baſilium S.Ephrem ſic compellat. *c* [Quomodo te beatificabimus O pater Baſili, qui doctrinæ ſtimulo errorem pungis, & abigis,qui ſoluis atque diſcedis ſagaciter cum Apibus,& florida ac Iucunda loca diuinitus inſpiratarum ſcripturarum inhabitas, vnde nobis flores decerpis propheticos, rorem Apoſtolicum, vitam Euangelicam,qui ſemper virtutum aluearibus inſides, & ex iis diuinam nobis crepidinem paras; qui mel diuinæ, & immaculatæ fidei, ſapienter in Spiritu ſancto operaris;qui improbas deſpicere veſpas,& fidem in ipſum cœlum facere nos doces, qui cum Dauide clamas, *Dulcia eloquia tua gutturi meo ſunt, ſuper mel ori meo.*]

a In Ep.

Sanctos Patres Ambroſium & Auguſtinum, Franciſcus Petrarcha *a* vocauit [apes cœleſtis faui, & diuini eloquij.]

Digitized by Google

eloquij.] Præiuerat quoad S. Auguſtinum Seuerus, *b* ad ipſummet ſcribens, & eum his verbis compellans. [ô verè artificioſa Apis Dei, conſtruens fauos diuini nectaris plenos, manantes miſericordiam, & veritatem, per quos diſcurrens deliciatur anima mea, & vitali paſtu quicquid in ſe minùs inuenit, aut imbecillum ſentit, reſarcire, & ſuffulcire molitur. Benedicitur Dominus per præconium oris tui & fidele miniſterium, quod ſic concinere & reſpondere facis canenti tibi Domino, vt quicquid de eius plenitudine ad nos vſque redundat iucundius efficiatur, & gratius per tuum elegantem famulatum & ſuccinctam mundiciam, & fidele ac caſtum ſimpléxque miniſterium.]

b Ep 37. inter Auguſtin.

Affine eſt quod Rieuallenſem Abbatem, quaſi apis mellificæ fauum ſapidiſſimum, exhibet longa oratione Gillebertus. *c* Abbatem illum non eſſe VVillelmum Aëlredi anteceſſorem, à quo nulla habemus literarum monimenta, quicquid ſecus ſit viſum Picardo *d* ſed eſſe ipſummet Aëlredum, validæ coniecturæ perſuadent, quas non vacat vlteriùs diffundere.

c Serm. 42. in Cāt.

d Ad primam S. Bernardi epiſto.

XVI. *Obſignatur explicatio primæ partis propoſiti, & tituli apis myſticæ S. Bernardo tributi.*

Expedita manet prima propoſiti pars. Exhibui enim S. Bernardum triplici titulo apem myſticam. Nimirum & quâ Chriſtianum, & quâ Religioſum, & quâ Eccleſię Patrem. Itaque rectè de eo vſurpatur illud Siracidæ, *breuis in volatilibus eſt apis.* Huic animalculo, inſectorum principatus iudice Plinio tribuendus eſt, quod peculiari titulo hominis cauſa ſit genitum, idque docebunt ſummæ eius in humanum genus vtilitates ad B. Bernardum facilè accommodandæ inferiùs, cum fructus api tributos ad eum tranſtulerimus. Nunc colligamus, nec indecoram nec ingloriam fuiſſe S. Bernardi comparationem cum ape, tantulo quidem animali, ſed tamen inſectorum principe, & organo diuinæ gloriæ perquàm inſigni.

XVII.

Pergo ad noſtræ apis fructum, ſequentibus propoſiti

verbis ſic expreſſum *& initium decoris habet fructus eius.* Hunc fructum aiebam duplicem eſſe, ceram ſcilicet ac mel; & ceram quidem, dulcoris initium habere ſubiectiuè & exceptiuè, id eſt prout hoſpitium mellis, iuxta modum loquendi S. Hieronimi, mel verò habere dulcoris initium formaliter & inhæſiuè ac intrinſecè. Non idcirco dico ceram & mel fructus apis, quaſi per apem producantur. Id quippe falſitatis apertè reuincit Ariſtoteles, cum de cera, *a* tum de melle. *b* Multa in eam rem eruditè profert Aldrouandus. *a* Potéſtque addi nouum argumentum, ex eo experimento quod ſuppeditat Andreas Libauius, *d* modum tradens ceram & mel abſque apum opera eximendi. Idcirco igitur voco ceram & mel fructum apis, quod ab ea colligantur; cera quidem ex arborum lachryma & tenaciori plantarum ſubſtantĩa, mel autem ex rore supernè delapſo. Nec me remoratur Seneca, in hac parte vel anceps, vel aduerſãs, cum ait. *e* [Apes vagantur & flores ad mel faciendum Idoneos carpunt: deinde quidquid attulere diſponunt, ac per fauos digerunt, & vt Virgilius noſter ait;

Fructus apis, altera propoſiti parte expreſſus, cera & mel.

a L. 5. hiſt. c. 22.
b ibid. l. 3. c. 21. & l. 9. c. 4.
c Lib. 1. de inſectis c. 2. & 3.
d L. 2. Alchim. tr. 1. c. 45.
e Ep. 84.

---Liquentia mella,
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

De illis non ſatis conſtat, vtrum ſuccum ex floribus ducant qui protinus mel ſit; an quæ collegerunt in hunc ſaporem mixtura quadam, & proprietate ſpiritus ſui mutent. Quibuſdam enim placet non faciendi mellis ſcientiam eſſe illis, ſed colligendi. Aiunt inueniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipſius arundinis humor, dulcis & pinguior. In noſtris quoque herbis vim eandem, ſed minùs manifeſtã & notabilem poni, quam perſequatur, vt contrahat animal huic rei genitum. Quidam exiſtimant, conditura, & diſpoſitione, in hanc qualitatem verti, quæ tenerrimis virentium florentiúmque decerpſerint, non ſine quodam, vt ita dicam fermento, quo in vnum diuerſa coaleſcunt.

leſcunt.] Vides nutantem, nec niſi in aliorum placitis appendendis hærentem, nihílque audentem ſtatuere ex ſua ſententia, circa mellis per apes confectionem vel collectionem. At quicquid ſibi eo loco voluerit Seneca, apud Philoſophos ratum eſt, mel legi tantùm, non fundi ab apibus, nec aliam ob cauſam ab Auſonio *a* dictum de melle [labor acer apum, mel,] quàm quia ab eis colligitur. Quærendum qui ſint fructus ad eum modum expoſiti in noſtra ape myſtica, initio facto à cera quæ mellis hoſpitium eſt, ideóque melli quod in cera excipitur, debet præmitti. *a* Edill. 12.

Poſſum ceram, quandoquidem ſucus eſt terrenus, referre ad terrenas dotes; bona inquam generis, fortunæ, corporis, nec non ad genium & indolem, corporis temperamenti & ſtructuræ organorum conditiones conſequentem. Et ceram quidem generis prærogatiuam notare, vulgatius eſt quàm vt monere oporteat. Nam cerata atria, *b* & veteres ceras vndique atria exornantes, *c* pro ſignanda generis claritudine, iam olim fuiſſe in vſu conſtat. Nimirum vt eſt apud Plinium, *d* [expreſſi cera vultus, ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines quæ comitarentur gentilitia funera.] Videndus qui de his accuratè de more diſſerit, guſtus Lipſius. *e* Ad rem præſentem ſufficit, ceras, nobilium imagines dici & antiquum ac illuſtre ſtemma, non meliùs quàm nomine fumoſæ imaginis & ceræ obſoleſcentis denotari, quod qui ius & vſum cerearum huiuſmodi imaginum haberent, nobiles cenſerentur; quibus verò nullæ erant huiuſmodi imagines, audirent *noui homines*, id eſt nobilitate generis nequaquam ſplenderent, ſed obſcuri haberentur: eſto clari meritis, gradus etiam ſummos occuparent in Republica, quod de ſe Tullius *f* ad conſulare decus abſque imaginibus euecto, profitetur. Hanc porrò ceram in B. Bernardo ſi commendem, non deflectam ab Encomiaſtarum recepto vſu, quo di

XVIII. *Cera aliquando, nobilitatis ſymbolum.*

b Ouid. 6. *Faſto.*
c Iuuen ſaty. 8.
d L. 35. c. 2.
e L. 1. electo. c. 29.
f Orat. de leg. Agr.

dicendi initium ab auis & atauis omníque retrò nobilitate ducitur. Quia verò de corrupta vulgi ſententia quam meritò ſugillat Saluianus, *a* dat cenſus nobilitatem, meritò item ceræ nomine deſignare liceat fortunæ bona atque diuitias, id quod etiam à Pſalte factum, mox docebo.

a L. 3. de prouid. *ad finem.*

XIX. *Itémque bonorum corporis.*

Æquè *cera* nomine veniunt corporis bona, & vt Marinus vocat *b corporis virtutes*, ſanitas, pulchritudo, robur. Quod enim S. Damaſcenus *c* ex Methodio refert, corporibus noſtris inditum eſt *cera* nomen, quod ceream compactionem redoleant. Illuſtrare id licet graui & erudita Gregorij Nyſſeni oratione. *d* [Cum ea (inquit) dura ſolidáque ſunt, ſenſus actiones nullas admittant, vt eſt videre in corporis noſtris oſſibus & terræ plantis, in quibus eſſe vitæ quædam ſpecies, ſatis intelligitur ex eo, quod & accreſcunt & nutriuntur, cum ſolida ipſorum durities ſenſum non recipiat; idcirco neceſſe erat quoddam quaſi cereum opificium ſenſuum actionibus ſubiici, quod poſſet cedendo velut impreſſas notas recipere: ſic vt ob nimiam humoris copiam non confunderetur, (quando humidæ rei quod imprimitur nequit durare) & ob immodicam duritiem non reſiliret (quando quod cedere nequit, notas per impreſſionem nullas recipit; Sed mediocriter eſſet cum molle, tum durum, ne animal hoc facultate inter cæteras pulcherrima careret, ſenſus nimirū motione.] Ex hac Gregorij Nyſſerio ratiocinatione vides ceream affectionē nec fluxam nimis, nec nimis duram, probè nobis, & corporum noſtrorum ſtructuræ congruere. Itaque quos valere corpore atque nitere contigerit, ceram bonam & puram nactos, fas ſit dicere: qui verò morboſi aut deformes, vel imbecilles, ceram lutulentam & ſordentem ſortiti, dici poſſunt.

b In Procl. *c* 1. Paral c. 8. *d* Lib. de hom. opif. c. 30.

XX. *Nec non ingenij & genij.*

Tandem ingenium, ac indoles, & genius hominis quæ ad corporis ſtructuram & temperamentum conſequuntur, *cera* appellatione à Platone donata legimus.

a Labilis

Digitized by Google

a Labilis namque vel tenacis memoriæ cauſas tradens, agnoſcit in hominibus vim quandam ceræ affinem, quę præſtet vel ad ediſcendum celeritatem, vel ad intelligendum acumen, vel ad memorandum aptitudinem. Non enim omnibus eædem illæ dotes conueniunt, ſed quorum cera fluxior ſolutiórque fuerit, eos obſoleſcentibus ob nimiam ceræ ſolutionem formis appreſſis, obliuione corripi tradit. Quibus cera fuerit durior, illis ait infigi firmiter quæ tardè & ægrè didicerint. Quorum denique cera, & ſolida, & tamen aduersùs formarum impreſſiones non nimiùm renitens, ſimúlque pura & munda fuerit, eos docet ingenio ſimul atque memoria, rara inter mortales mixtura, valere. Videmus aliquos ad intelligendum ſaxeos, prorſúſque hebetes: alios è contrario pernicibus ingenij alis quocunque promptè peruadentes. Ad limoſam vel impermiſtam eorum ceram res eſt referenda de Platonis ſententia. Vnde illa apud eundem *b* docilis ingenij ob facilem formabilitatem comparatio, vſurpata de more à Philone, *c* & à Plinio ad Fuſcum ſcribente his expreſſa verſibus. *d*

a In Theætero.
b Lib. 4. de Repub.
c L. 1. allego.
d L. 7. ep. 9.

Vt laus eſt ceræ, mollis cedénſque ſequatur
Si doctos digitos, iuſſáque fiat opus.
Et nunc informet Martem, caſtámque Mineruam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas, docta mobilitate decet.

Indolis ac genij, certarúmque in appetitu ſentiente propenſionum, eadem eſt ratio. Corporis enim compactionem & temperamenti qualitatem, atque adeò ceram vnicuique innatam ferè conſequuntur, vt iuſta lucubratione docuit Galenus. Huiuſmodi ceram perſpexiſſe Homerum, & ſuum *κέαρ* deſcribendo, cogitaſſe de hoc *κήρῳ* admonuit Plato. *a* Sapienter denique apud Edinerum *b* Anſelmus, adoleſcentis indolem ac genium cum cera confert.

a *Loco* cit.
b L. 1. vitæ §. *veruntamen.*

Tot

XXI. *Cera omnes prædicta in S. Bernardo, ac primum nobilitas generis.*

Tot ſunt modi,quibus ceram ad varias dotes ſignandas aptare licet. Nec deficerent nos,quibus B. Bernardo per omnia capita propoſita ceram probatiſſimam & puriſſimam vendicaremus. Nam generis quidem in eo nobilitatem & illuſtrem ſanguinem,Teſſelinus pater *vir pernobilis*,& Aleys vel Aletha claro ſtemmate fœmina, abundè confirmant.Nec quod pater *miles* appellatur, c ex eo fuiſſe genere cenſendus eſt, è quo plerique nunc bellatores, malitiæ veriùs vt eſt apud S. Bernardum d quàm militiæ profeſſores,ad quos diffundi videmus militum nomen. Nunc enim non exigua militum pars,è colluuie & fœce ciuitatũ colligitur,ideóque paſſim ſordet & inglorium iacet militum nomen. At olim, non niſi lectis quibuſque, militare fas erat; ideóque ex antiquo vſu militiam contuliſſe prærogatiuam nobilitatis, docemur à Maximo Tyrio,d & à Iuuenale,e latè ſuffragantibus inter recentiores Chaſſanæo f ac Tiraquello g Quinetiam in ſcriptis ſequioris ætatis, *miles* paſſim nobilem ſonat. Nec placet quod Ludouicus à Cerda, h militem in libris Feudiſticis idem eſſe ait, ac *vaſſallum* & opponi *ſeniori* ſiue *domino*. Non ita eſt. Iunguntur enim miles ac ſenior in locis quæ adducit, non autem opponuntur; quia ſeniorum, id eſt Toparcharum vel Dynaſtarum,atque militum ſiue nobilium vnus eſt ordo. Vt cum Gallicè dicimus *les Seigneurs & les Gentilshommes* non ſignificatur nobilium ad Dominos ſubiectio,ſed coniunctio in vnum ordinem aliqua graduum varietate diſtinctum. Itaque *militis* nomine in libris illis, *vir nobilis* deſignatur: ex quo vſu Theobaldus Epiſcopus a Gulielmum Aquitaniæ Ducem, Pictauorum Comitem,principem potentiſſimum vocat *militem*. Vnde quod ex æui illius vſu ac ſtylo, S.Bernardi parens, *miles* dictus legatur,nihil eius nobilitati & generis claritudini derogat.Et quando nobilitatem apud vulgus cenſu ac diuitiis æſtimari diximus,nec illud decus S. Bernardo

c In vita S. Bernardi.
d Serm ad milit.templi c.2.
d Diſſert. 14
e Satyr 16.
f In catal. parte 9.
g L.de nob. c.8.
h In aduer. c.131. n 4.
a In vita S. Gulielmi c.1.

nardo defuit. Natus quippe eſt parentibus locupletibus,& optimè à re domeſtica conſtitutis. Nec iſta fruſtra iactari,Fontanæ,paternæ ditionis oppidum, & copioſæ matris eleemoſinæ,apertè produnt.

Dotes corporis ſi quærimus, nactus eſt eas S. Bernardus omnino luculentas.Ac primùm ſpecie externa, quam animæ veſtem vrbanam à Tertulliano dictam memini,fuit planè eximia,vſque adeò vt lupæ quædam nec vulgaris ſortis in fœdum eius amorem exarſerint. Scriptor cum eo multis annis verſatus & indubiæ fidei, *a* exhibet B. Bernardum affluentem [gratia apud Deum & homines,cuius ſanctæ animæ adiutorium ſimile ſibi fecerat Deus,ſpecialíque præuentum benedictione corpus aptauerat. Apparebat in carne eius gratia quædam,ſpiritualis tamen potius quàm carnalis; in vultu,claritas præfulgebat,non terrena vtique, ſed cœlectis : In oculis Angelica quædam puritas, & columbina ſimplicitas radiabat. Tanta erat Interioris eius hominis pulchritudo, vt euidentibus quibuſdam indiciis foras erumperet, [& de cumulo internæ puritatis & gratiæ,perfuſus homo quoque exterior videretur.] XXII. *Item corporis dotes.* *a* Goffridus l. 3. vitæ S.Bern. *ferè initio.*

Alia addit de ſtatura, colore,& forma totius corporis planè exquiſita. Diceres quæ de S. Epiphanio Ticinenſi Antiſtite prodidit Ennodius, *a* ſcripta eſſe de Bernardo,tam bellè conſentiunt quæ de iſto item produntur. [Formoſitas in eo lucis corporeæ, index animæ fuit, & tantum contra ſtudium illius formæ decus enituit, vt nec forti viro poſſet oppugnante ſubuerti. Ridebant genæ, etiam cum animus mœſtitudine torpuiſſet. Nitida ſimul labia, commendabant dupliciter mella ſermonum : nec non quocumque vertiſſet oculos, ſerenitatem mentis nuntiabat adſpectus.Fons cereæ pulchritudinis,& candoris illius, quæ ſolis paſſa radios colorem traxit ab æthere : nares in tanto naturaliter ſplendore formatæ, vt illas nequiret imaginibus corpora repræ- *a* In vita.

 ſentans

ſentans pictor æmulari. Manus teretes, prolixi digiti, de quibus aliquid, & alienigena gauderet accipere. Staturæ proceritas decens, quæ eminentiam ſecuturæ dignitatis præfiguraret in membris, nec tamen modum ornatiſſimæ prolixitatis excederet.] Cadunt hæc appoſitiſſimè in virum ſanctum de quo agimus: quod facilè dabit qui recognoſcet & cum iſtis componet quæ de eius ſpecie externa teſtes oculati prodiderunt. Attriuit quidem S. Bernardus, & vaſtauit longa inedia iugibúſque macerationibus, propoſitas corporis dotes; ab initio tamen non fuit ſic: ſpectato inquam natiuo & primigenio ſtatu quem vnum nunc ſpectamus, is fuit quoad has dotes S. Bernardus, quem expreſſi.

XXIII. *Ac etiam ingeniũ & indoles.* *b* In ſent. diſtich. eleg.

Ingenium viuidum ac perſpicax, decus inter naturæ dona maximum, (nam mentis guttam, fortunæ dolio iure antetulit Theologus, *b*) indolem recti ſua ſponte amantem, quam ſapiens ſibi puero obtigiſſe gratulabatur donans nomine *animæ bonæ*, ſortitus cumulatè eſt S. Bernardus, quem etiamnum puerulum, Gulielmus Abbas ſupra ætatem in literis profeciſſe, & condiſcipulis omnibus ingenio longè antecelluiſſe teſtatur. Iis verò moribus in ea ætatula illum deſcribit, qui Angelum humanæ carnis oſtreo amictum, non dedecerent. Nec defuerunt qui tantam indolis à prima ætate bonitatem demirati, illum in matris vtero ſanctificatum pronunciarent. Ita planè Bucardo viſum, Balernæ Abbati, viro grauiſſimo. *a* additque Ciſtercienſe menologium *b* teſtimonium hymni cuiuſdam, cuius autor eam ſanctificationem beati viri in materno vtero agnouiſſe videtur. Sic enim canit.

a refertur l. 1. vitæ S. Bern. *in fine.* *b* 20. Auguſti.

Latrator ſtrenuus, Sanctus ex vtero,
Doctor præcipuus, nectare ſupero;
Vigil aſsiduus, ſub ſalutifero
Monſtratur matri catulo.

Simili prærogatiua S. Remigium exornauit Hincmarus,

marus. *c* Verùm nouitates certo rationis vel grauis autoritas ſuffragio deſtitutas, dimittamus. Non enim D. Bernardus aliter ex matris vtero ſanctificatus fuit, quàm Apoſtolus, qui ſegregatus æquè ex vtero eſt ad Euangelicum miniſterium: eámque ſegregationem, oblata Aleydi matri catuli ſpecies, præſignabat. Nec ſanè ad optimam indolem & mores Angelicos S. Bernardo à prima ætate vendicandos, neceſſe eſt, ſanctificationem propriè acceptam in matris vtero præmiſſam commiſniſci. Satis eſt agnoſcere, cecidiſſe in eum multo fortaſsè cumulatiùs, naturalia illa ex genio & indole ornamenta, quæ in Valeriano ſuo celebrabat his verbis Eucherius. *d* [Et quidem à profeſſione vitæ, pio & iam non abhorres ingenio, qui ea quæ ſacræ inſtitutiones docent præueniſti in plurimis, præcoqua morum felicitate: vt mihi videatis quædam Religionis officia quaſi per prouidam occupaſſe naturam, Domini ac Dei noſtri, iam in hoc erga te indulgentia: cuius gratia eſt, quod diuina in te doctrina, bona ſua pro parte inuenire poteſt, pro parte conferre.]

c In eius vita ferè initio.

d In parh. n. 2.

XXIV. *Nulla ex ceris prædictis, fructus fuit S. Bernardi: quare hîc dimittenda.*

Prædicta ergo decora omnia, affluebant S. Bernardo. Sed non eſt hæc cera, quam pro eius primo fructu dulcoris initium habente, obtruſam velim. Inprimis quia non ſunt iſta fructus hominis quem afficiunt, cum tamen in ipſiuſmet hominis fructu, ſit facienda contentio. *Initium dulcoris*, (inquit Sapiens) *habet fructus eius*. En *fructus eius*. At nullum è recenſitis bonis, eſt verè fructus S. Bernardi.

XXV. *Nobilitas, alienum bonum.*

Nobilitas & generis claritudo, manifeſtè aliena ſunt decora, nec rectè Poëta *vix ea noſtra* dixit, cum nullo modo noſtra dicere deberet. Friuolam planè hanc eſſe commendationem à genere, quòd non ſit rei hominis propriæ, docuit egregiè S. Baſilius celebrans S. Mamantem. [Non eſt (inquit) cur Patres ac progenitores illuſtres proferamus. Nam turpè eſt aliunde ornare

eum, qui propria ipſe virtute Illuſtris eſt. Lege namque conſuetudinis, talia inter encomia vſurpant. Alioqui veritatis lege, quæ cuique ſint propria, afferenda encomia exiguntur. Neque enim velocem æquum reddit, quod is vnde natus eſt, ad curſum aptus fuit; nec canis encomium eſt ex velociſſimis prognatum eſſe. Sed quemadmodùm & aliorum animantium virtus in vnoquoque propria conſideratur, ita & propria viri laus eſt, cuius ex rebus ab ipſo geſtis teſtimonium habet: Quid filio confert de illuſtri natum eſſe parente?]

Rurſus exornans S. Gordium. [Sacra Schola, *præcepta* Rhetorum aut inſtituta non ſequitur: nudam rerum expoſitionem pro encomiis habet quam & ſanctis ac nobis ſatis eſſe exiſtimant. Illis quidem ad virtutis eorum præconium, nobis verò ad imitationis gloriam atque formam. Encomiorum namque lex eſt, patriæ dignitatem oſtendere, generis originem ex alto repetere educationis incunabula diligentiùs referre. Noſtrum verò dogma hæc tanquam ſuperuacua dimittit, & quæ ſunt propria ac vernacula ſectatur.]

Eadem cum Baſilio conteſtatus Hieronimus in Nepotiani epitaphio, concludit. [Non me iactabo, de genere, id eſt de alienis bonis, cum Abraam, & Iſaac ſācti viri, Iſmaelē & Eſau peccatores genuerint: & è regione Iephte in Catalogo iuſtorum Apoſtoli voce numeratus, de meretrice ſit natus. *Anima* (inquit) *quæ peccauerit ipſa morietur.* Nec virtutes nec vitia parentum, liberis imputantur: ab eo tempore cenſemur, ex quo in Chriſto renaſcimur. Expandit hanc rationem latiúſque diffundit ſcribens ad Celantiam: ſi tamen ipſe eſt autor, & non potiùs S. Paulinus, apud quem etiam, habetur ea, ad omnem Chriſtianam perfectionem informatio, data Celantiæ. Quando verò locum habeat hæc atauorum in encomiis commemoratio, egregiè admonuit idem Hieronimus *a* cum dixit. [Rhetorū diſciplina

a Epiſt. ad Demetr.

plina eſt,ab auis & atauis & omni retrò nobilitate, ornare quem laudes,vt ramorum ſterilitatem radix fœcũda compenſet,& quod in fructu non teneas, mireris in trunco.] Hîc quandoquidem inopes nos facit propriorum copia, quorſum excurramus in iſtiuſmodi aliena?

Opes itidem,ex ipſius Chriſti oraculo Lucæ 16.bona ſunt aliena, quod pulchrè illuſtrat in hunc modum Caſſianus. *b* [Has igitur viſibiles diuitias relinquentes, non noſtras ſed alienas abiicimus facultates,quamvis eas gloriemur,vel noſtro labore quæſitas, vel parentum ad nos hæreditate tranſmiſſas. Nihil enim, vt dixi, noſtrum eſt,niſi hoc tantum quod corde poſſeſſum,atque animæ noſtræ cohærens, à nemine prorſus poteſt auferri. De illis autem viſibilibus diuitiis,ad eos qui illas tanquam proprias retentantes, communicare indigentibus nolunt, increpans loquitur Chriſtus; *Si in alienis fideles non fuiſtis,quod veſtrum eſt quis dabit vobis*; Euidenter igitur has diuitias alienas eſſe, non ſolùm quotidiana experientia docet, verùm etiam ſententia Domini ipſa appellatione ſignauit.] XXVI. *Item opes.* *b* Collat. 3. c. 10.

Eucherius item ſcitè in rem noſtram. *a* [Sed quid ego noſtra voce, quæ ab auis atque atauis qui ante tenuerunt, videmus aliena? quæ à poſſeſſore ſuo vna febricula veniente nouimus repoſcenda? Et remanebit omni re indigens qui ſibi videbatur eſſe prædiues.Sed quid porrò noſtra voco,quæ nos dum nimis occupant, à Deo qui ſolus noſter eſſe debet,alienant:quæ,dum nos ad ſe vocant,à patria reuocant, & dum ſe nobis quaſi noſtra cum extranea eſſe probentur,inſinuant, illis nos bonis, quorum nobis proprietas eſt promiſſa, deſpoliant?] *a* Homil. 2 de natali Eccl.

Diſſerit in eandem ſententiam plenè & optimè S. Baſilius,*b* nec non inter externos Seneca. *c* *b* Homil. de non adhærẽdo rebus ſecular. *c* Ep.8.c. 41.

Quæ potiùs noſtra videri poſſent, (corporis inquam XXVII.

Digitized by Google

Ac etiam bona corporis. decora,& conſequentes ad corpoream configurationem ac temperiem dotes animi,) alienis bonis æquè ſunt annumeranda;cum in cuiuſquam poteſtate non fuerit, quale vellet corpus nanciſci: nec natus, quantumcunque cogitet,poſſit adiicere ad ſtaturam ſuam, cubitum vnum. Animo quidem, vt Gregorius Nyſſenus ſcitè diſſerit, *d* eſt quiſque ſibi pater ac mater, eúmque ſe fingit & format quem vult,marem vel fœminam; bono vel ægro habitu. Corporis verò bona quæcunque,extrinſecùs obtingunt,& tanquam aliena,poteſtati noſtræ ſubducuntur.

d L. de vita Moſis.

XXVIII. *Omnia bona propoſita,cera quæ fluit.*

Deinde vt maximè noſtra eſſent bona propoſita omnia,non eſſet ea cera probata. Quin potiùs in ſacris literis,qui eiuſmodi bonorum affluxu tument inde depreciantur,quod hæc bona ſint fluxa perinde ac cera,& qui ob ea extolluntur, non ſecùs ac cera quæ fluit ſint auferendi. Sapientiſſima omnino eſt commentatio Dauidis pſal. 57.qua citum defluxum omnium iſtiuſmodi rerum quibus inaniter ac ſtultè gloriantur mortales,illuſtrat; cùm alia comparatione aquæ torrentium mox euaneſcentis,tum ea quæ à cera igni admota ducitur. *Sicut cera* (inquit) *quæ fluit,auferentur: ſuperecidit ignis & non viderunt ſolem.* Siue illum dicas diuinæ vltionis ignem,quo percuſſi non vltra fruũtur Solis vſura; ſiue exitium naturaliter ſuperueniens, vt ſunt inferiora omnia admodum caduca,& ex ſe ruentia in interitum, quem ignis conſumens plerunque notat; quiſquis demum ſit ille ignis,cadit ſeriùs ocyùs flamma eius in prædicta malè ſanorum mortalium vota, & illico auferuntur, ſicut cera quæ fluit. Vix opus eſt deſcendere ad ſingula,cum id vnuſquiſque & quotidiano experimento,& per ſe obuia ratiocinatione queat deprehendere. Tangamus in tranſcurſu, nonnulla.

XXIX. *Quam fluxa nobilitas generis.*

Nobilitas planè cera eſt quæ fluit. *Hodie*, iuxta antiquam paroemiam, *Viocurus, cras ciſtifer.* Quàm multi

Regum

Digitized by Google

Regum ac principum, prognati ex agaſonibus? Viceuerſa autem quàm multi ex infima plebe, cerdones, opiliones, ſubulci, & ſi quid abiectius, prouecti in Dynaſtas & Principes? Hoc S. Chryſoſtomus, *a* firmat exemplo Salomonis, cuius inter Reges illuſtriſſimi, auus paternus, ignobilis planè ac vilis fuit. Maternus verò auus, adeò deſpectus, vt nec gregario militi collocare filiam poſſet. [Hoc de Saule (ait S. Chryſoſtomus,) hoc de multis aliis dici poteſt.] Non deſunt hodiéque qui in ſorte humillima, Cæſarum cognomina vnde genus duxerunt, & inglorium ſtemma de illo honorum culmine pridem deiecti fruſtra præferant. Nimirum ſapienter antiqui, lunam quod adeò varia & mutabilis ſit, nobilitatis ſymbolum eſſe voluerunt, Plutarcho teſte. *a* Indéque etiam factum, vt Papinius *b* *Lunam patriciam* dixerit, & Satyricus, *c* nobilem his pinxerit coloribus.

a Hom. 59. in Math.

a Probl. 76.
b L. 5. ſylua.
c Iuuen. ſaty. 7.

> ----*Nobilis & generoſus*,
> *Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.*

Quod ab iſtis ex Romano vſu dictum, æquè iuxta Hebræorum morem dici potuiſſe, diſcimus ex S. Hieronimo. *d* Nihil aptius, nihil verius. Eſt nobilitas, cera quæ fluit.

d Iſaiæ 3.

XXX.
Opes fluxiſſime.

Nec alia eſt opum ratio. Prouidentiſſimè Apoſtolus, vt S. Chryſoſtomus *e* admonuit, *incertum diuitiarum* appellauit, quod nihil ſit diuitiis caducius, nihil fluxum magis. Signantérque Dauid vt S. Baſilius *f* perpendit, verbo *fluendi* vſus eſt, admonens diuites, vt diuitiæ ſi affluant, cor eis nequaquam apponant. Fuerat Eutropius Eunuchus, gurges opum: adeò in eius ſinum, prouinciarum omnium veluti ſuccus effundebatur, ſinente, aut etiam volente Arcadio Auguſto. Mox tamen, quę eſt horum bonorum labilitas, de gradu deiectus, è ditiſſimo pauperior quovis Iro, & alienæ benignitatis egentiſſimus, ad ſummam paupertatem detruſus eſt. Idem Ablauio præfecto prætorio, qui *pila fortunæ* dictus eſt, vt in

e Homil. 2. ad pop.
f In pſal. 61.

in Ædeſio narrat Eunapius, idem Cyro Panoplitæ, idem longè anteriùs Plautiano Antonini Auguſti ſocero; noſtra etiam memoria plurimis contigit. [Omnia illa, (ait S. Chryſoſtomus agens de immenſis Eutropij opibus,) nihil niſi nocturnum ſomnium fuerunt, appetente die euaneſcens; flores *fuerunt* verni, vere exacto emarcuerunt omnia; vmbra erant & preterierunt; fumus, & ſoluta ſunt; bullæ erant, & diſrupta ſunt, araneæ erant, & lacerata ſunt. Qua propter ſpirituale hoc dictum, occinimus, indeſinenter dicentes. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hoc enim dictum, in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in viis, in feneſtris, in ianuis, ſed potiſſimum in ipſa cuiuſcunque conſcientia, continenter inſcriptum eſſe oportet, omnique tempore cogitationi obuerſari. Quandoquidem negotia fraudulenta, & perſonata ac inimica veritatis, opinionem apud pleroſque ſibi parauerunt. Hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum quemque proximum ſuum compellare oportebat; Idémque ab illo viciſſim audire; nempe quod vanitas vanitatum & omnia vanitas. An non aſſiduè tibi dicebam, *fugitiuas* eſſe diuitias? Tu verò non ferebas. An non dicebam fugitiui ſerui naturam eas habere?] Quodam loco vt ex ipſo refert in parallelis Damaſcenus *a* diuitias confert non cum vxore quæ propria viri eſt, ſed cum aliena, id eſt iuxta ſcripturæ phraſim, cum meretrice, quæ nunc vni nunc alteri copulatur, nec vlli fidelem ac perpetuam ſocietatem ſeruat. Locus eſt perelegans, ſed lõgior. Breuiùs, ſed non minùs emphaticè, idem dixit Pſaltes, verbis illis ſignantiſſimis, *cera quæ fluit.*

a L. 2. parall. c. 17.

XXXI. *Dotes corporis, cera quæ fluit.*

Haud aliter de corporis pulchritudine, ac ſanitate, omnibúſque corporeis prærogatiuis ac dotibus, ſtatuendum. Nam forma quidem & pulchritudine, nihil caducius. Eóque reſpexiſſe non dubito, Andream S. Bernardi fratrem, cum conſpicatus ad monaſterij oſtium præſto

Digitized by Google

præſtolantem Hemmelinam ſororem, lectiſſimam fœminam, & pro gradu ſuo exquiſitè comptam, inſigni verò natiua ſpecie & pulchritudine; intendens quo breuis ea pulchritudo eſſet euaſura, vocauit eam *ſtercus inuolutum*. Simili cogitatione ductus Antoninus, *b* corpora quantumvis ſpecioſa, *ſaccos tabi* nominauit. Eſt profectò corporea pulchritudo, bonum fluxiſſimum & fugaciſſimum. *Breuem gratiam*, quodam loco *c* appellauit Nazianzenus. Alibi *a* non minus venuſtè, *temporis & morbi ludibrium* vocat. Nyſſeno æquè eleganter, *b* dicitur *bonum floribus caducius*. *c* Socrates *modici temporis tyrannidem* nominauit. *d* Apud Auſonium, *e* Lapis quondam ſpecioſiſſima, refugit ſpeculi vſum, illud conteſtata.

a Refert Gul. Abbas c.6.
b Lib.8. de vita ſua.
c In elegis
a Orat.31.
b L.de virginit.c.4.
d Apud Laërtium in Ariſtotele.
e Epigr.53.
f Edyll.14.

----Quia cernere talem
Qualis ſum, nolo: qualis eram nequeo.

Idem Virginem admonens caducitatis formæ, *f* iubet roſam inſpicere cum qua componit pulchritudinem corporis: At quid promptius marcet?

Hac modò qua toto rutilauerat igne comarum,
Pallida collapſis deſeritur foliis
Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe Roſas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris.
Dum loquor, & tellus tecta rubore micat.
Tot ſpecies tantóſque ortus, varióſque nouatus
Vna dies aperit; conficit vna dies.
Conquerimur natura, breuis quod gratia florum eſt,
Oſtentata oculis illicò dona rapis.
Quàm longa vna dies, ætas tam longa Roſarum,
Quas pubeſcenteis, iuncta ſenecta premit.
Quàm modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc rediens, ſero veſpere vidit Anum.

En viuam imaginem caducitatis & fugacitatis ſpeciei corporeæ, quod anceps bonum mortalibus, exigui

donum breue temporis, velox celeri pede labitur., vt Chorus Hippolyti diffuſiùs proſequitur. g Sed breuiſſimè & ſignantiſſimè, cum Pſalte comprehendere vniuerſa liceat, dicendo, eſſe pulchritudinem, *ceram quæ fluit.*

g à verſu 758.

Æquè ſanitas & robur corporis, ac ſpecies & habitus florens, *cera quæ fluit.* S. Hieronimus a horum bonorum momentaneam gratiam, & non ſecus ac ceræ ad ignem defluentis, ſtatum fluxum & euanidum, egregiè repræſentauit, expendens verba illa, *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat, veſpere decidat, induret & areſcat.* Scitè D. Auguſtinus, *paucorum dierum vapoream ſanitatem*, nominauit, b alludens credo ad Apoſtolum, qui propoſita interrogatione, *quæ eſt enim vita veſtra?* complexus eo nomine non nudam animæ permanentiam in corpore, ſed bona corporis omnia, & quantaſvis prærogatiuas hominibus corpori affixis & carneis adeò acceptas, reſponſionem ſubiecit, *vapor eſt ad modicum parens.* Quod mihi non aliud eſſe videtur, quàm quod dictum eſt à Pſalte, *cera quæ fluit.*

a In pſal. 89.

b Sermo. 34 ex 40. nouis.

XXXII. *Ingenium ac genius bona fluxa.*

Ingenij denique decus, & genium ac indolem, *ſiue animam bonam*, quæ corporis ritè conformati & temperati conſectaria eſſe vidimus, meritiſſimò dixeris, *ceram quæ fluit.* Tanta eſt hominis in huiuſmodi bonorum vſu inſtabilitas. Pro corporum defluxu, dilabuntur dotes illæ omnes, eo quod animus per huius vitæ tempus, interiectu limoſæ catenæ, vt Nazianzenus c nominat, alligatus cochleæ corporis, ita functiones ſuas obeat, vt corporis conditionem neceſſariò redoleant. Imo Antoninus præ tanta huiuſmodi bonorum caducitate, optandum cuique ſtatuit, non valdè tardum è corporis ſtatione deceſſum: cum pleroſque videamus quod vitam paulo diutiùs protraxerint, prolapſos in hebetudinem, vel de mentis poteſtate deiectos, excitare ſui commiſerationem, etiam nominis ſui factos immemores.

c Carm. aduerſ. carnem.

d Lib. 1. de vita ſua.

Digitized by Google

res. Notus Meſſalæ Coruini ſtupor, poſt inſignem literaturam. Georgio Trapezuntio viro apprimè docto, par calamitas obtigit. Non ſunt ex antiquis monumentis repetenda exempla, cum paſſim incurrant in oculos, talia commiſerationis argumenta.

XXXIII. *Quatenus laudanda in S. Bernardo, cera prædicta.*

Non eſt igitur quod ceram, cui inter apis myſticæ fructus locum primum dabamus, in bonis propoſitis exiſtimemus ſtatuendam. Siccine verò ab iis bonis celebrandũ ducamus S. Bernardum, quorũ conculcatione celebrandus potius ſit? Venuſtè æquè ac verè Hilarius Arelatenſis, a S. Honoratũ à bonis prædictis exornat eo duntaxat nomine, quod illa conculcans, gradum ſibi inde ad ſummam ſanctitatem ac gloriam feciſſet. Quare habet hîc locum prudens monitum S. Baſilij, eorum eſſe in huiuſmodi ornamentis celebrandis operam ponere, qui hominum corruptis ſenſibus velificantur; nobis in ſanctorum laudatione aliam proponi rubricam oportere. b [Non encomiorum legibus (inquit) aut eorum quæ in genere demonſtratiuo reperiuntur, ſermones de ſanctis, vllo modò ſeruiunt. Quoniam qui laudant cæteros, ex mundi huius rebus materiam vſurpare ſolent, quibus autem mundus crucifixus eſt, quomodo ex eo quiſquam quod ad laudem faciat, mutuari poterit?]

a In paneg. ſub init.

b Orat. in SS. 40. marty.

XXXIV. *S. Bernardi Nobilitas ob patris virtutem, laudanda.*

Celebrabo ſanè in Bernardo ceram natiuam, parentum inquam nobilitatem, ſed veram & Chriſtianam. Teſſelinus enim pater, homo fuit vt ad Exuperantium ſcripſit S. Hieronimus, [ſub paludamento & habitu militari, agens opera Prophetarum.] En quibus coloribus eum depingit Gulielmus Abbas. c [Teſſelinus, vir antiquæ, & legitimæ militiæ fuit; Cultor Dei, Iuſtitiæ tenax. Euangelicam namque, ſecundùm Inſtituta præcurſoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus ſtipendiis ſuis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic con-

c L. 1. vitæ S. Ber. c. 1.

d L.4. Ep. 9. ſilio & armis, ſeruiebat temporalibus dominis ſuis, vt etiam Domino Deo ſuo non negligeret reddere quod debebat.] Quod igitur de Vectio viro militari & quidem perilluſtri dixit Sidonius, nimirum eum ſub paludamento fuiſſe ſacerdotalem virum, plus admirandum quàm ſacerdotem, æquè de Teſſelino affirmari poteſt. Quod item ad Saluinam de Nebridio viro nobiliſſimo dixit S. Hieronimus, a in Teſſelinum rectè cadit. [Poſſum ſuper eo verè abuti Apoſtoli voce dicentis; *In veritate cognoui, quoniam non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni propoſito, qui timet Deum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus, & apparitorum cateruæ, quia ſub habitu alterius, alteri militabat.] [Quis ergo (vt verba eiuſdem Hieronimi ad Exuperantium militem, huc tranferam) non diligat hominem, qui ſub paludamento & habitu militari agat opera Prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vincat interiori homine qui formatus eſt ad imaginem creatoris?]

a De viduit ſer. epiſt. 9.

XXXV. *Sed maximè ob matris ſanctitatem.*

b L.1. vitæ c.1.

Matrem laudabo viri ſui verè adiutorium. [Mater Aleth (inquit Gulielmus,) & ipſa in ordine ſuo, Apoſtolicam Regulam tenens, ſubdita viro, ſub eo ſecundùm timorem Dei, domum ſuam regebat, operibus miſericordiæ inſiſtens, filios enutriens in omni diſciplina. Septem quippè liberos genuit, non tam viro ſuo, quàm Deo, ſex mares, fœminam vnam, Mares omnes Monachos futuros, fœminam, ſanctimonialem. Deo namque (vt dictum eſt,) non ſeculo generans, ſingulos, mox vt partu ediderat, ipſa manibus propriis domino offerebat. Propter quod alienis etiam vberibus nutriendos committere, illuſtris fœmina refugiebat, quaſi cum lacte materno, materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem creuiſſent, quandiu ſub manu eius erant, eremo magis quàm curiæ

Digitized by Google

curiæ nutriebat,non patiens delicatiorib us aſſueſcere cibis, ſed groſſioribus & communibus paſcens, & ſic eos præparans & inſtituens domino inſpirante, quaſi continuò ad eremum tranſmittendos.] En exemplar integræ ac totius matris; Ita enim loqui liceat cum Phauorino philoſopho quem Agellius *c* inducit fortiter diſputantem,imo conclamantem aduerſus illud (vt vocat) imperfectum dimidiatúmque matris genus, quod quaſi næuulos venuſtiores non alendorum liberûm cauſa accepiſſet vbera, totam & integram matrem proli editæ non ſe præſtat;negata ei per ſeipſam lactatione:quam tamen eſſe matrum dignitatem,gratiámque & honorem quo ſe propriis commendent viris S. Ambroſius rectè aſſeruit.*a* Optima S.Bernardi mater non eo tantum ex capite, tota & integra mater fuit quod liberos lactarit ſuos,ſed quod maternitate corporum non contenta, matrem quoque ſe exhibuerit ſpirituum, quos Deo tam ſancta inſtitutione generabat.

c L. 12.c.1.

a Lib. 1.de Abrah.c.7.

Intrepidus pronuncio,optimam Aleydem,decorum S. Nonnæ tot ſanctorum parentis,fuiſſe participem. Sic quippè de B. Nonna matre ſua ſcriptum reliquit Gregorius Nazianzenus. *a* [Magnus ipſi hic conatus fuit,quod nos etiam ante ortum, Deo, futurum nihil reformidans,promiſit,atque in lucem editos ſtatim cõſecrauit.] Nec illud Dei munus defuit Aleydi, quod ſanctæ item parenti ſuæ conceſſum memorat Theologus continenter. [Dei autem beneficium illud fuit, quod voto ſuo non omnino exciderit, nec victima ea quam obtulerat, repudiata fuerit.] Planè Aleydis quoque pia vota ſunt audita, & ſoboles numeroſa quam veluti ſacram victimam obtulit Deo,votum maternum non eſt fruſtrata. Omnes quippè liberi eius, ſeriùs ocyùs addixerunt ſe Deo, & eius obſequiis in monaſteriis ſe manciparunt. Laudes item quibus Annam

a Orat. 19.

nam Samuelis parentem celebrat S. Chryſoſtomus, *b* æquè in Aleydem cadunt. Anna *onus ſacrum & verè pretioſum theſaurum*, (ſic Samuelem matris vtero concluſum nominat Chryſoſtomus,) [non hominibus vllis vendidit aut negotiatoribus, ſed protinus vt expoſuerat è ſcapha, Deo vendidit.] Idem alibi *c* quod Anna non iuſſa ſed ſuopte nutu id præſtitiſſet, illam Abrahamo filium cædere parato anteponere non dubitauit. Hæc laudatio quanta quanta eſt, in Aleydem æquè cadit, quæ ſobolem æquè Deo obtulit.

b Homil. 1. de Anna.

c Homil. 24. in ad Epheſ.

Nec ſtudio circa prolem, defuit ſuimet ſtudium. Ioannes certè Eremita *a* docet hanc matronam fuiſſe refugium pauperum, & infirmorum non modò curatricem ſedulam, ſed etiam inquiſitricem. Curabat autē ac ſubleuabat, non per ſeruos & ancillas, ſed per ſeipſam. Nec domi tantùm fouebat conquiſitos, ſed etiam adibat Xenodochia & Noſocomia. Ibi Chriſto in pauperibus miniſtrans pia fœmina, ollas ſuis manibus extergebat, mundabat calices, porrigebat cibos, nihil denique ſeruile ſibi ducebat inglorium. Singulare eſt quod Robertus Caſæ Dei Abbas, Aleydis nepos, de eadem ſcriptis prodidit; ſingulari affectu S. Ambroſium Eccleſiæ S. Doctorem proſequi ſolitam. Itaque qua die recurrit feſtiua eius memoria, in eiuſdem ſancti honorem, quotquot poterat clericos conſueuiſſe epulo excipere. Pium cultum remunerator Deus compenſatum voluit, præſenſione obitus ea die obuenturi, id quod ipſa mox viro & vniuerſæ familiæ aperuit. Sed quomodo extremam vitæ periodum exegerit, ſéque ad felicem migrationem dignè S. Bernardi parente compararit, ex Gulielmo Abbate accipe. *b* Liberis fideliter educatis, & vias ſeculi ingredientibus, quaſi peractis omnibus, quæ ſua erant, feliciter migrauit ad Dominum. De qua nequaquam prætereundum eſt, quod cum multo tempore vixiſſet cum viro ſuo honeſtè

a L. 1. vitæ S. Bern.

b L. 1. vitæ c. 2. ſub finem.

ſtè & iuſtè, ſecundùm iuſtitias & honeſtates ſeculi huius, & legem fidémque coniugij, per aliquot ante obitum ſuum annos, in eo ad quod nutrire filios videbatur, provt potuit, & licuit mulieri ſub poteſtate viri cõſtitutæ, nec habenti proprij corporis poteſtatem, omnes ipſa præuenit. Etenim in domo ſua, & in profeſſione coniugali, & in medio ſæculi eremiticam ſeu monaſticam vitam non paruo tempore, viſa eſt æmulari, in victus parcitate, in vilitate veſtitus, delicias & pompas ſæculi à ſe abdicando, ieiuniis, vigiliis & orationibus, & quod minus aſſumptæ profeſſionis habebat, eleemoſinis, & diuerſis operibus miſericordiæ redimẽdo. In quo de die in diẽ proficiẽs, ad extrema peruenit, perficienda, in futuro, in eo in quo proficiens de hoc ſeculo migrauit. Obdormiuit autem pſallentibus Clericis qui conuenerant, & ipſa pariter pſallens, vt in extremis quoque, cum iam vox eius audiri non poſſet, adhuc moueri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri.] Non poterat ſedatius & ſanctius, digniúſque Bernardi & tot ſanctorum liberorum matre defungi, inter Dei laudes & ſacra cantica.

Iam vita functam parentem optimam, & ipſe Bernardus de ſtatus mutatione necdum certus, & Andreas frater, conſpexere ad religioſum inſtitutum capeſſendum, & abrumpendas moras animantem: vt non alios ſibi vrgentiores ad maturandum fuiſſe ſtimulos quàm materna monita, B. Bernardus iam grandis natu fateretur. Nec abs re Franciſcus Petrarcha,[a] palmitum tam ſanctæ familiæ generoſitatem, àd ſanctam hanc matrem, tanquam ad fœcundam vitem referri voluit. Ex his itaque capitibus, nobilitatem Bernardi & illuſtres parentes lubens celebrabo, non ex iis quæ vana hominum ſtudia, & auerſæ à vero mentes, glorioſa ſoboli in parentibus autumant.

[a] Lib. 2. de vita ſolitaria, ſectio. 5. c. 15.

XXXVI. A corporis pulchritudine, & ſpecie, luparum plurima

Species S. Bernardi laudanda, quia eam vaſtauit.

marum ineſcatrice, laudabo Bernardum: ſed quod illum diuinæ plaſticæ decorem, vt Tertullianus ſcitè appellat, multa ſui ipſius maceratione, multa inedia & omni aſperitatis genere contriuerit, ac deformitate glorioſiore mutarit. Verè hac nominatim ex parte apis, quod hoc volatile, vt S. Chryſoſtomus obſeruauit, nihil ducendam ſapienti corporis elegantiam doceat. [Ipſa apis (inquit,) tecum agit, ne fruſtra pulchritudinem corporum admireris, quando non adſit virtus animæ; nec deformitatem vilipendas, quando fuerit pulchrè ornatus animus. Quod ipſum quoque ſignificans, dicebat paroemiaſtes, (An hic memoria, *lapſus* Chryſoſtomus, autorem Prouerbiorum *allegans* pro Siracide?) *Parua in volucribus apis, & dulcedinum principium fructus eius.* Alibi *b* poſt amplificatam, imo expenſam caducitatem & marciditatem feſtinam corporeæ pulchritudinis, concludit, ſicut in ape non ſpecies & forma ſpectatur, ſed vſus & commodum; ſic in homine, non pulchritudinem corporis attendi oportere, ſed rectè facta. Longiorem orationem hac clauſula obſignat. [Quocirca cum pulchrum virum aut pulchram mulierem videris, ne te ea res in admirationē trahat. Nam etiam quercus, tametſi proceræ, atque in altum porrectæ, tamen fructū non habēt, qui quidē hominibus vſui ſit, ſed qui brutis dumtaxat: vinea contra, humi ſtrata, maturum, & vtilem vuarum fructum affert. Vtrum igitur habere mauis? vineam an quercum? vineam procul dubio, etenim vinea ad hilaritatem animis comparandam vſui eſt: cum contra quercus in ſublimi ſtans, eiuſmodi duntaxat fructum habeat, qui brutis pabulum ſubminiſtret. Quid ape abiectius? Ecquid Pauone pulchrius? vter autem præſtantior? Apis an Pauo? Non dubium quin Apis? Pauonem de medio tolle; & nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, & ingens vtilitas adempta erit.]

a In pſal. 110.

b In pſal. 50.

Tandem

Tandem ingenij ac indolis decora in Bernardo collaudabo, ſed quatenus eorum vſum habuit, quem intẽdit largitor Deus: Hoc eſt, quatenus ingenij acie qua valebat, non vt veteratores ad nequitiam & ſtruendam aliis perniciẽ eſt abuſus; quo nominatim ex capite, forẽſes accipitres implicandæ producẽdæque litis ſubdolos artifices, exagitat Nyſſenus: *a* non illam ad diuinæ gloriæ cladem & innoxiorum ruinam adhibuit, vt Achitopheles & Ieroboami, ac quæ à ſpiritu ſancto per ſarcaſmum dictæ ſunt *magnæ mentes*, interprete S. Baſilio, quibus Deus infatuationem & inſipientiam rependendam denunciat: Sed ingenij vires omnes ac niſus, ad liquidiùs perſpiciendum numen, eiúſque gloriam promouendam & amplificandam inter mortales, quanta valuit contentione direxit. Inde celebrabo Bernardi ingenium. Nec minùs laudabo ab optima indole, quam faſcinatione nugacitatis obſcurante iudicium, non diſtorſit ad improbitatem; quod miſerè pleriſque accidit, ſed ad recti ſtudium, vt procliuius ita auctius, feliciter vſurpauit.

XXXVII. *Ingenij ac genij, eiuſdem, laus ab vſu debito.*

a Homil. 5. in Eccl.

b In c. 10. Iſaiæ.

Alia ergo cera quærenda eſt, quam iure ſtatuere liceat apis noſtræ fructum primum, habentem dulcoris initium. Eam aſſignari poſſe video duplicem; libros ſcilicet quos conſcripſit, & cellas monaſteriorum quæ ædificauit. Ceræ nomine donari literarios labores, ſcripta inquam & libros, multiplici autoritate firmatum ſuperiùs eſt, monſtrando Sanctis Patribus tributum fuiſſe *apum* nomen. Et ratio ſuffragatur. Olim namque, priuſquàm condita in Ægypto Alexandria, increbuiſſet papyri vſus, Plinio docente *c* comperimus, primùm quidem apud aliquos palmarum folia ad ſcribendum adhibita; id quod æquè apud alios præſtabant libri arborum, aut audices nudati, vnde *librorum* & *codicum* nomina. [Rudes illi Italiæ homines, (ait ad Nicæam S. Hieronimus) quos Caſcos

XXXVIII *Prior probanda S. Bernardi cera, libri eius.*

c L. 13. c. 11.

Ff Eu

Ennius appellat, qui ſibi vt in Rhetoricis Cicero ait, ritu ferino victum quærebant, ante chartæ & membranarum vſum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutuo epiſtolarum alloquia miſſitabant, vnde & portitores earum tabellarios, & ſcriptores à libris arborum librarios vocauere.]

Poſtea verò, monumenta publica, voluminibus plumbeis commiſſa, qualia non ante annos ita multos Granatæ reperta: Reliqua vt apud Pinedam videre eſt ad illud Iobi 19. *& plumbi lamina* & in Opere de ſcriptura Hermanni Hugonis, linteis & ceris indita, hoc eſt ceratis tabulis, quas generali appellatione *pugillares* vocabant; quod graphio, id eſt ſtylo è ferro vel aurichalco pungerentur & exararentur, iuxta illud. *a*

a Ouid. 9. met.

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.

XXXIX. *Cera pro libro, & vſus ceræ ad ſcriptionē.*

Itaque ceræ ſæpè pro libro & ſcriptura vſurpatæ apud probatos autores. Plinius *b* ſtudium ſuum & ſcriptionem inter venandum deſcribens, cauſam reddit, [vt ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportaret.] Hac ſibi de cauſa, fuiſſe in proximo non venabulum aut lanceam, ſed ſtylum & pugillares profitetur. Nihil verò frequentius occurrit inter legendum; quàm prima & ſecunda, vel ima & extrema cera, pro prima & ſecunda, vel ima & extrema tabella. Vltimam ceram dixit Martialis *c* ſcripturam Teſtamenti, quod expreſſionem continet vltimæ voluntatis teſtatoris, etiam ſi aliter eum locum accipiunt nuperi interpretes. Autores huius inuenti Grœcos, laudat S. Iſidorus, *d* notans eorum tabellas dictas fuiſſe κηρώματα. Sed vſos quoque hiſce tabellis Hebræos, docet factum Zachariæ, qui ad efferendum per chartas quod ore nequibat, poſtulaſſe legitur pugillares. Nec diffiteor quin è multiplicj materia conficerentur pugillares. Eos tamen quibus Zacharias eſt vſus, ceratas tabulas fuiſſe, Tertullianus eſt arbitratus. *e* Sic enim

b L. 1. ep.

c Lib. 4. epigr. 70.

d Lib. 6. orig.

e Lib. de idol.

Digitized by Google

enim de eo ſcripſit. [Zacharias temporali vocis oratione multatus, cum animo conlocutus, linguam in ritam tranſit, manibus ſuis à corde diſtat, & nomen filij ſine ore pronunciat, loquitur in ſtylo, auditur in cera, manu omni ſono conclarior, litera omni ore vocalior.] Viguiſſe adhuc vſum illum S. Hieronimi ætate, inde perſpicuum redditur, quod Paulæ iunioris inſtitutionem præſcribens ait, *a* [Cum cœperit trementi manu ſtylum in cera ducere, vel alterius ſuperpoſita manu, teneri regantur articuli, vel in tabula ſculpantur elementa, vt per eoſdem ſulcos incluſa marginibus trahantur veſtigia.] Deinceps quoque vſum fuiſſe ceratarum tabularum, non ad memoriam duntaxat vti nunc aſſolet, ſed ad ſenſa mentis tranſmittenda ad alios, docemur reſponſo illo S. Eucherij ad S. Honoratum, cuius Hilarius Arelatenſis meminit. *b* Mellitas enim & perdulces S. Honorati literas vt ſignificaret S. Eucherius, reſpondit S. Honorato, [Mel ſuum ceris reddidiſti.] Quo reſpexit Goffridus, *c* cum dixit S. Bernardum ſcripſiſſe nonnunquam in tabulis cereis, mella ceris reſtituentem, & quidem gratiora prioribus. Nobis quidem quæ vis eſt aſſuetudinis contrariæ, incommodum fuiſſe videtur ceratis vti tabulis, præſertim ad longam & multam ſcriptionem, cuiuſmodi eſt plenorum librorum. At Fabius, *d* expeditiorem & commodiorem ea ratione fuiſſe ſcriptionem teſtatur, quàm illito chartis attramento, ob crebram inter intingendum intercisionem attentionis; quo incommodo libera eſt ceratarum tabularum per graphium exaratio.

a Epiſt. ad lætam.

b In panegyr. S. Hono.

c L. 2. vitæ c. 8.

d L. 13. c. 3.

XL. *Quam pura hac S. Bernardi cera: librorum vitia ex argumento.*

Liquet ceram apis noſtræ, meritò ſcripta eius cenſeri. Quàm pura verò & nitens, quàm probata & initium dulcoris habens hæc cera fuerit, non eſt expoſitu operoſum. Dicamus abſque inuolucris. Quàm inſignis S. Bernardo fuerit ſcribendi facultas, quàm

egregios & vndecunque perfectos conſcripſerit libros, nemo ægrè perſpiciat. Commendatur liber à ſubiecta ſcriptionis materia, & à ſcriptionis forma ac modo. Peccant in libri argumento, qui impietatem ſiue atheiſmum, & his conterminas hæreſes, magiam, obſcœnitatem, & alios huiuſmodi nequitiæ partus docent, quas fucorum & veſparum, non apum ceras, meritò dixeris. Nec illi probandi libri, quorum futile & vanum eſt argumentum quale apud aliquos laudatores podagra, & ſurditas; apud nonnullos quartana febris, apud alios aſinus, quibuſdam muſca, vmbra, ſtultitia, ebrietas; ſtercus etiam Auguſtino teſte, *a* qui pleroſque veriſſimè atque vberrimè in eo argumento verſatos confirmat. Quominus caluitij encomio quod panxit Syneſius, eandem inanitatis dicam impingam, facit ſummum ingenium in ea ſcriptione ab autore proditum, quod materiæ ſubiectæ exilitatem compenſat. Scriptionis modus approbationem conciliare libro idoneus, partim ratione ſcribendi plana & dilucida, nec nimium prolixa continetur; partim eruditione, & robore argumentorum quæ ad aliquid confirmandum, vel refellendum adhibentur; amoenitate item, quam rerum varietas, & ſtyli venuſtas ac lepos conciliat.

a L. de vera relig. c 41.

XLI. *Item ex modo & forma ſcribendi.*

Ex his capitibus non pauci, æquè ac alij ex argumenti dignitate aut tenuitate, laudem ſcriptionibus ſuis conciliant; auertunt alij. Intelligere hoc licet ex iudicio quod S. Hieronimus *b* de variis ſacris ſcriptoribus tulit, hos probans, improbans illos. Quæcunque enim laudat aut carpit, cum conſtet non eſſe ab illis ſcriptoribus in argumento offenſatum, ad ſcriptionis formam pertinent. [Tertullianus (inquit) creber eſt in ſententiis, ſed difficilis in loquendo. Beatus Cyprianus inſtar fontis puriſſimi, dulcis incedit, & placidus, & cum totus ſit, in exercitatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtiis, de ſcripturis diuinis nequa

b Epiſt. ad Paulinum.

Digitized by Google

nequaquam diſſeruit. Inclito Victorinus, martyrio coronatus, quod intelligit eloqui non poteſt. Lactantius quaſi quidam fluuius eloquentiæ Tullianæ, vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quàm facile aliena deſtruxit. Arnobius, inæqualis & nimius, & abſque operis ſui partitione confuſus. Sanctus Hilarius Gallico cothurno attollitur, & cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur, & à lectione ſimpliciorum fratrum, procul eſt.] Idem Hieronimus *a* alio loco, varios Patres, ab eruditione non modò ſacra ſed etiam ſeculari, & à ſpoliata Ægypto celebrans, Victorino martyri eruditionem inter ſcribendum defuiſſe profitetur, non eruditionis voluntatem. In quibuſdam libris, laciniosa & immensùm diffuſa ſcriptio faſtiditur. Alios, iuſto arctior breuitas grauat, nam offundit caligine tractationem, iuxta illud Iſidori Peluſiotæ *b* [Breuiter dicere volo, quod perſpicuè eloqui nolo.] Non pauci, neſcio qua genij malignitàte, cum peſſimè ſenſa mentis ſuæ obſtetricante lingua educant, ſcriptione tamen id præſtant feliciter. Et è contrario, quibuſdam magna eſt dicendi gratia, nulla ſcribendi. S. Ambroſij ſcriptionibus nihil vernantius, quas veluti latini eloquij florem ſpecioſum enituiſſe, vir malus ſed dicendi non imperitus, (Pelagium intelligo,) approbante S. Auguſtino *c* pronunciauit. Fauſti verò Manichæi ſcripta, quæ apud B. Auguſtinum eorum impugnatorem ſuperſunt non pauca, præ ſiligineis B. Ambroſij panibus, furfuracei ſunt, vel etiam glandarium pabulum, porcis potiùs quàm hominibus edule. Et tamen dicendo, (quis credat? ſed D. Auguſtinum, oculatum & auritum teſtem habemus;) ſuperior videbatur Fauſtus, quia in B. Ambroſio, etiamſi [delectabat ſuauitas ſermonis longè eruditioris, minus tamē hilareſcentis atque mulcentis, quàm Fauſti erat, quod attinet ad dicendi modum. *d*] Geminæ

a Epiſt. ad Magnum.

b L. 2. ep. 226.

c L. de gratia Chriſti c. 43.

d L. 5. confeſſi. c. 13.

næ ſuperioris ſeculi peſtes,& duo Diabolicæ informationis oſtenta,(aptè enim ad Lutherũ & Caluinũ tranſferã, quod Ennodius *b* de Neſtorio & Euthychete pronũciauit:)Lutherus inquam & Caluinus, ita impietate & malignitate pares fuerunt,vt Lutherus tamẽ dicẽdo è ſuggeſtu eſſet ſuperior, quod potenter & eleganter verba plebeculæ daret. Caluinus è contrario, cum in concionali pulpito cacaturientis ſpeciem præferret, quod Genebrardum referre memini, *c* ideóque Luthero longè inferior dicendo haberetur; ſcribendo tamen palmam iniquitatis præripiebat collegæ; & quia non inuenuſtè ſenſa ſua committebat chartis, & quia non ſicut Lutherus impotenter vbique effundebat ſenſum,præ ſordibus quas vbique chartis illinit, & iugi petulantia, ad nocendum minus idoneus; faſtidiente honeſto lectore eam illuuiem,& cum nauſea mox abſcedente: ſed vafrè, & ad ineſcandum ac perdendum aptè,improuidis propinans venenum multo melle circumlitum. In ſumma rariſſimus eſt, cui & dicere & ſcribere contingat perfectè. Rarus cui alterum exquiſitè conueniat, S. Bernardus quantum dicendo valuerit, infra perſequar. Nunc eius ſcriptiones conſidero.

b Orat.15.

c In Chronol.

XLII. *Vtrumque illud caput vitiorum, à S. Bernardi libris remotum.*

Eas ego, ſiue argumentum, ſiue ſcribendi formam ſpectes, vndecunque perfectas & numeris omnibus abſolutas præſto. Argumentum vbiuis eſt eximium. Tractant de Deo & diuinis perfectionibus; De Deo corporato,de fidei Sacramẽtis,de diuina gratia,de cultu & amore virtutum,de vitiorum odio & deteſtatione, de vita ſanctè & Chriſtiano dignè, per Pontifices, Clericos,Monachos,milites,cuiuſvis gradus & ordinis homines, componenda. Eam verò ingenij vim & doctrinæ profunditatem,ac dexteritatem in explicandis rebus abditiſſimis prodit vbiuis S. Bernardus,etiam in argumentis ſpinoſiſſimis & intricatiſſimis, vt non in

Digitized by Google

in eo ſcholaſtici minutiloquij ſubtilitatem,nõ ſoliditatem probatiſſimorum quorumvis Doctorum iure deſideres. Quid inter vniuerſas Theologicas tractationes implexum magis & abditum, quàm diſputatio de Deo & diuinis perfectionibus,ac perſonalibus proprietatibus? Diſſeruit de eis adeò acutè ac ſplendidè S. Bernardus,cum alibi,tum in gemmeo opere de conſideratione ad Eugenium Papam, *a* vt nihil vſpiam alibi ſit reperire,in ſumma breuitate vel dilucidius,vel accuratius. Secundùm Deum,gratia Dei,eiúſque cum libertate creata fœderatio, periculoſæ plenum opus aleæ, omnibus Theologis habetur. Præter ſcabritiem ſcholaſticam quæ ab eo procul abeſt,vix quicquam de eo argumento in ſcholis doctè & acutè traditur,quod non attigerit expreſſerítque. Vixit ſanè æuo viris eruditiſſimis abundante S. Bernardus.Florebant quippe ea ætate,Hugo & Richardus Victorini, Hildebertus,Lantfrancus,Rupertus, S. Anſelmus, Goffridus Vindocinenſis, Arnoldus bonæ vallis, Philippus bonæ ſpei,Gulielmus S. Theodorici,illuſtres eruditione Abbates, Algerus Monachus, Amedeus Lauſanenſium Antiſtes, Petrus Cluniacenſis: qui viri? quæ ſapientiæ & doctrinæ ſacræ promptuaria? Fuiſſe tamen apud omnes indubitatum,neminem eo ſeculo fuiſſe B. Bernado ſcientia ſuperiorem,refert Goffridus, narrans viſum quoddam,Gulielmo ex præpotenti Montis peſſulani Dynaſta,humili Monacho exhibitum,confeſtim à morte ſancti viri cuius erat amantiſſimus. Nimirum apes in Sirio & ſiccitate cerificant mellificántq; & puriùs & vberiùs, vt Mercurialis *c* benè admonuit: At ſiccitatem aridam abſtinentiæ & ardorem charitatis S. Bernardi,infra exhibebimus adeò inſignem, vt non debeat mirum videri ſapientia abundaſſe.

a Lib. 5.

b Lib. 4. *in fine.*

c 2. var. c. 24.

XLIII. *Certamina doctrinæ à*

Nullibi verò magis certis & perſpicuis argumentis prodita eſt ſancti viri exundans eruditio atque doctrina.

S. Bernardo ape argumentoſa.

na quàm in Conciliis pleriſque, Senonenſi præſertim ac Rhemenſi, cum de hæreticis & erronibus confutandis ageretur. Quo in genere, verè ſe apem præſtitit argumentoſam; ideſt (iuxta notionem vocis non nemini probatam,) certatricem atque pugnacem. Et eſt ſanè apum genus bellicoſum, & pugnax ad tutelam bonorum quæ habent aſſeruata, iuxta illud Papinij. a

a 10 Thebaid.

Sic vbi puniceo Paſtor rapturus ab Antro
Armatas exegit Apes, fremit aſpera pubes,
Inque vicem ſeſe ſtridore hortantur, vt omnes
Hoſtis in ora volant, mox deficientibus alis
Amplexa, flauámque domum, captiuáque plangunt
Mella, laborantéſque premunt ad pectora ceras.

Nec diſſimiliter Claudianus.

b Lib. 2. in Ruf.

---Veluti paſtoris in ora
Comota glomerantur Apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennáſque cient, & ſpicula tendunt:
Et tenuis ſaxi per propugnacula cincta
Rimoſam Patriam, dilectáque pumicis Antra
Defendunt, pronóſque fauos examine velant.

b Lib. 1. de clem. c. 19.
c L. 5. hexa. 21. 22.
d Georg.
e Lib. 8. de geſtis Emman.
f Lib. 1.
g L. 4. dec. 3.
h L. 5. ep. 20. aliàs 21.

Seneca b quoque Apum genus exhibet pugnaciſſimum, & aculeos in vulnere relinquens. Scitè S. Ambroſius, examen apum ſpecie caſtrorum deſcribit. c deque apum bombo, tanquam de tubæ ſonitu philoſophatur, Maronem d exprimens. Quid quod apes irritatas terrori fuiſſe inſtructiſſimis exercitibus, produnt hiſtoriæ? Rem eo in genere planè ſingularem, deſcribit Hieronimus Oſorius, e narrans oppidi Xiamantienſis obſidionem à Lupo Barriga. Apud Vitichindum, f Giſelberti Auſtraſij equitatus, ſimiliter repreſſus refertur. Nec diſſimilia ad Albam Græcam accidiſſe, cum ab Amurathe Turca cingeretur, ſcribit Bonfinius. g Eſt itaque apis, animal bellicoſum & pugnax. Nec abs re Delbora, belli apud Iſraelitas ductrix, *Apem* latinè

Digitized by Google

latinè ſonat,vt propterea Petrus Cluniacenſis, Eloiſam ad internum bellum ſacrum inſtruens , apem effici & Delboram exprimere hortetur. Deus ipſe, pugnaciſſimam Aſſyriorum gentem contulit cum apibus, quod Iſaiæ VII. pulchrè expendit S.Chryſoſtomus. Tametſi autem Syrum & Hebræum,veſpas potiùs & crabrones exprimere eo loco dicit, quàm apes, tamen 70. habent *μελίσσας*.

Tanquam apis itaque argumentoſa,& bellaturiens,S. Bernardus,turgidos quoſdã illius æui quâ Philoſophos, quâ Theologos, (Philoſophaſtros veriùs ac Theologaſtros,)argumentorũ & rationũ vi,ad ſalubrem deditionem adegit.Gilbertus Pictauorũ Epiſcopus,à multiplicis ſcientiæ varietate dictus *Porretanus*,id eſt interprete Ptolomæo Lucẽſi anno 1134.*vniuerſalis,quia in qualibet ſcientia videbatur doctus* ; de Chriſtianorum myſteriorum vertice , ſancta inquam Trinitate , diuinitatis ſimplicitate, ſapiebat & loquebatur non ſatis ſobriè, nec ad Eccleſiaſticæ doctrinæ amuſſim , congruenter. Aggreſſus illum S. Bernardus, coram Pontifice Eugenio,ac ſynodo quam Rhemis indixerat Pontifex , prorogata per biduum concertatione, adeò fregit , vt retractare & damnare errorem ſuum Præſul , quod in concertationis exordio receperat, ſi ſuccumberet, ſit adactus : non exigua virtutis Gilberti, ſed multo maiore eruditionis ac ſapientiæ S. Bernardi , teſtificatione. XLIV. *Cum Gilberto Pictauieſi Theologaſtro.*

Neminem niſi in æui illius hiſtoria prorſus hoſpitem latet, quantum Petrus Abelardus, & ingenij viribus, & diuturni magiſterij , non ſine plauſu & frequentia ſupra vulgarem modum celebrati , gloria tumeret. Sed nihil procliuius,quàm inflatos & tumidos mundano typho Philoſophos, ſi ad fidei adyta appellant ingenium,fœdè impingere, & ſibi aliiſque malè credulis perniciem creare.Quare improuidus & malè XLV. *Et Petro Abelardo, Philoſophaſtro , gloriæ animali.*

Digitized by Google

conſultus Abelardus, vir non vir,dum Theologica myſteria verſat philoſophicè, & Chriſtianam maieſtatem ſpiculo naturæ lumine longè ſuperiorem ad modulum ingenij ſui, & rationis naturalis metrum demittit; incredibile eſt, quantam cladem intuliſſet doctrinæ ſacræ, niſi à ſancto viro multiplici diſputatione coercitus furor eius, & compreſſa audacia fuiſſet;móxque interpoſito ſummi Antiſtitis edicto,camarinæ illius errorum iniectis flammis purgatio; librorum inquam eius exuſtio,eſſet conſecuta. Reodderunt non ita pridem Abelardi operum partem, nonnulli antiquitatis ſtudioſi: quorum magis probandus viſus eſſet labor, *ſi* locis morboſis, imo carcinomatis, quando *medicam* manũ admouere non licebat, indicationem *ſaltem* adhibuiſſent, qua lector minùs peritus edoceretur, vbi virus doctrinæ quod quandóque non ſatis apertum eſt, abderetur. Nec illud in eis probari vlla ratione poteſt,quod adeò fauerunt ſcriptionibus quas è tenebris educebant tanto poſt tempore in lucem, vt hominis euirati fidem & autoritatem, cum Bern*ardi* viri ſanctiſſimi teſtificatione commiti poſſe cenſuerint ambigentes,verè ne pleráque S. Bernardus de Abelardo retulerit; quod in iis ſcriptis quæ edebant, ſecus tradita inueniantur varia Abelardi dogmata, quàm ſint à ſancto viro adducta & confutata. Quæ mihi non tam in ſanctum virum irreuerentia,quàm genij hæreticorum omnium,inexperientia videtur. Nam S. Bernardum (vt is non fuiſſet quem omnes norunt; ſanctiſſimus inquam, atque adeò à calumniando & mendaciter criminando alieniſſimus;) in Senonenſi primùm Concilio coram numeroſo Antiſtitum & eruditorum virorum cœtu, poſtea verò apud Pontificem Innocentium qui cauſa recognita iteratò Abelardum cõfodit, & eius libros igni addixit,tam effronti fuiſſe impudentia, vt vellet;tanta in exoculandis omnibus

bus facultate, vt valeret, falſa nec leuia de Abelardo præſente & cauſam ſuam agente comminiſci, mihi quidem commentum videtur, iſtis ipſis quorum clanculum inſimulatur commentis, longè portentoſius ac indignius. Hæreticis verò omnibus ſolemne eſſe, mutare, interpolare, truncare, addere, in ſuis (atque vtinam in ſuis tantùm) ſcriptis ac libris, quæ temporum & famæ ratio mutanda vel addenda tulerit, notius eſt quàm vt monere oporteat.

Certamen quod ſubiungo, viro ſancto fuit, non iam cum ingenio docili & ad Eccleſiæ iuſſa flexili, quale Gilberti Pictauienſis Præſulis; non cum milite glorioſo ad externa caſtra nondum tranſgreſſo, externa ſaltem ſpecie & palam, cuiuſmodi erat Abelardus; ſed cum homine ex monacho, Apoſtata, viro verè inutili, qui tanquam ſingularis ferus Toloſanam regionem vniuerſam depaſcebatur. Nihil ab eius furore & impietate tutum, non ſacri homines, non ſacramenta, non dogmata. Statum planè miſerandum oræ illius, vir ſanctus datis ad Toloſanum Principem literis ex parte expreſſit in hunc modum. *a* [Paſſim inueniebantur iam Eccleſiæ ſine plebibus, & plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia, ſine Chriſto denique Chriſtiani. Paruulis Chriſtianorum Chriſti vita intercludebatur, dum baptiſmi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationéſque pro mortuis, ſanctorum inuocationes, ſacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, Chriſmatis & olei conſecrationes, & omnes denique inſtitutiones Eccleſiaſticæ ſpernebantur.] Nec minus flebiliter oræ Toloſanæ miſerrimum ſtatum expreſſit idem ſanctus ſcribens ad Hildefonſum S. Ægidij Comitem Henrici fautorem. *b* [Baſilicæ ſunt ſine plebibus, plebes ſine Sacerdotibus, & ſine Chriſto Chriſtiani. Eccleſiæ, ſynagogæ reputantur, ſanctuarium Dei; ſanctum eſſe negatur,

XLVI. *Itémque contra Henricum Apoſtatam*

a Refert. Goffrid. l. 3. vitæ S. Bern. c. 5.

b Eſt epiſt. 240.

tur, non ſacra,Sacramenta cenſentur, Dies feſti feſtiuis fruſtrantur ſolemniis: Moriuntur homines in peccatis ſuis, non ſacra communione muniti; paruulis Chriſtianorum,Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia. Ad vocem vnius hæretici, ſiluerunt omnes Propheticæ & Apoſtolicæ voces. Homo Apoſtata eſt qui relicto religionis habitu, (nam monachus extitit) ad ſpurcitias carnis & ſeculi, tanquam canis ad ſuum vomitum eſt reuerſus.] Addit de eius meretricationibus,& Euangelij venalitate, premenda potiùs quàm referenda. Quid ea ſpecie agri Eccleſiaſtici horridius? Gaudium onagrorum paſcua *gregum.* Paradiſus Domini in dumetum, & *ferarum* luſtra deſciuerat. Vaſtitas vbique, & deformatio religionis. Accurrit vir ſanctus vrgente Alberico Cardinali Oſtiēſi, Apoſtolicę ſedis legato; pręſulibus quoque illius oræ poſcentibus, ſi fortè medela tantis malis in dies gliſcentibus per virum ſanctum fieret. Et votis ac conceptæ ſpei, reſpondit euentus. Paucis ad populum Bernardi concionibus, & ſcilicet vitæ *ſanctiſſimæ* exemplis,potentiſſima aduerſùs hæreſes machina; domino inſuper cooperante & ſermonem confirmanſequentibus ſignis, tenebrio Henricus in fugam actus, miſeri quos ille dementauerat, & de ſalutis via in errorum teſqua abegerat, reuocati ſunt; pax Eccleſiis, honor ſacerdotio,templis frequentia,cultus Sacramentis, religioni ſplendor ac nitor,perbreui reuênit.

XLVII. *Et contra Apoſtolicos Caluiniſtarũ proauos.*

Nec illa minus tetra ſpecies, quam variis locis Dei Eccleſiæ intulerãt, hæretici falſo cognomine Apoſtolici; non illi antiquiores à S. Auguſtino ad Quodvult Deum recenſiti, ſed alij longè poſteriores, æquè tamen ab ementita Apoſtolicæ vitæ expreſſione nomen mutuati,ipſo S. Bernardi æuo excitati,à ſatana, ad redaccendẽdas Manichæiſmi pridẽ extincti fauillas. Vulpinum eorũm genium, & ſacrilegam ſimulationem,

deſcri

Digitized by Google

deſcribit fusè S. Bernardus. Nam cum eſſent ſpurciſſimi, omníque ſe illuuie fœdorum operum contaminarent, tamen præ ſe ferebant obſtrictæ Deo continentiæ ſpeciem. Periurium, tegendis arcanis ſuis habebant innoxium. Inſtrumento veteri, fidem abrogabant. Alia ad Maneticam maniam pertinentia, effutiebant. Vt verò atauos noſtratium ſectariorum agnoſcas, iidem bonam partem dogmatum quibus Caluiniana profanitas Eccleſiam polluere laborauit, priores tradiderant. En namque quid de eis præter cœtera prodat S. Bernardus, viſa ſibi & audita referens. *a* [Videte detractores,& videte Canes: Irrident nos, quod baptizamus Infantes, quod oramus pro mortuis, quod ſanctorum ſuffragia poſtulamus. In omni genere hominum, atque in vtroque ſexu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis & paruulis, in viuis & mortuis.Hinc quidem infantibus, ex impoſſibilitate naturæ, inde verò adultis,ex difficultate continentiæ præſcribentes.Porrò mortuos viuentium fraudantes auxiliis: viuentes nihilominus ſanctorum qui deceſſerunt ſuffragiis,ſpoliantes.]Habent Sectarij noſtrates, quibus ducibus glorientur;hominum propudia ſolis fraudibus ac dolis, ſola malignitate, & audacia proiectiſſima,totiúſque honeſti conculcatione,illuſtria. Cæcidit ea S. Bernardus, atque contriuit gladio oris ſui; vnáque renaſcentia per Caluinum eiuſdem impietatis nouella germina, ſuccidiſſe cenſendus eſt.

a Serm.66. in Cant.

XLVIII. *Conſideratio certaminum S. Bernardi, nexa cum conſideratione librorum.*

Vſurpabo hic opportunè illud Hieronimi. *b* [Penè lapſus ſum ad aliam materiam; & currente rota dum vrceum facere cogito,amphoram finxit manus.] Propoſitum enim mihi erat de S. Bernardi ſcriptionibus dicere,& quàm probatam purámque ceram eo in genere finxiſſet,aperire. Video autem me ad ſancti viri certamina & diſputationes abreptum, vix cogitantem. Quanquam non puto eſſe, quod operæ poſitæ pœniteat;

b Ad Lætam.

teat; vel quod à ſcopo aberraſſe me cenſeam; quando certamina cum Gilberto & Abelardo, ex parte etiam quæ contra excucullatū illum Henricum, & Apoſtolicos commiſit prælia, ſcriptis à ſancto viro conſignata habemus; & vtrorumque certaminum, ſiue voce tenus edantur, ſiue ſcriptis committantur, eadem prorſus ſit ratio; vt qui vnum celebrat, ab alio diſcedere nequaquam videatur. Itaque decora S. Bernardi in ſcriptione, non tam reſumo, quàm porrò pergo exponere; demirans præſertim illam amœnitatem & concinnitatem, ſenſuum granditati nihil obſtrepentem; *illud* ſcriptionis ver, cui nulla vnquam cuiuſvis *quantumcumque* connitentis imitatio par fuit. *Repeto* ab iniuſtis poſſeſſoribus iniuria eis collatum titulum. Vocantur ab Eunapio *a* Plutarchus & à Iuliano Iamblichus *b Totius ſapientiæ venus ac lyra.* Hoc decus B. Bernardo vendico. Nihil enim eius ſcriptionibus omni ſapientia refertis amœnius, nihil florulentius atque vernantius.

a In prooemio.
b Ep. ad ipſū Iambl.

XLIX. *Eruditio librorum S. Bernardi, mirabilier, ex defectu ſubſidiorū ad eam parandam.*

Sed quod me defixum admiratione tenet, ac *propè* agit in ſtuporem, illud eſt. Scribimus indocti doctíque volumina paſſim. A prima ætate ad æui vſque fœces, chartis impalleſcimus. Magiſtros nanciſcimur inſignes ac pereruditos. Libris abundamus, nec iis euoluendis tempori vel oculis parcimus, non ignari rectè tradidiſſe Caſſiodorum, *b* peritiæ matrem eſſe, curam lectionis indeficientem. Cum tot tantáque ad rectè ſcribendum ſubſidia affluant, ægrè aliquid luce dignū diúque victurum edere poſſumus. S. Bernardus, vt ea ſcriptis committeret quæ commiſit, libróſque ederet quales dixi, quibus ad ſcribendum ſubſidiis vſus eſt? Codices quos euolueret, præter ſacros libros, & paucorum Patrum labores, habuit nullos. Magiſtris vſus eſt quercubus ac fagis, vt ipſum iocari de ſe ſolitum prodit Gulielmus Abbas. *c* Verè ſi Deiparæ in eum ſpe-

b In præf. varia.
c L. 1. vitæ c. 4.

ctemus

ctemus affectũ, μητροδίδακτος, quod de Ariſtippo philoſophiam à matre ſola edocto, iactatum refert Theodoretus: *d* vel quod de D. Antonio aliiſque nonnullis, diuinitus indita ſcientia claris legimus, θεοδίδακτος. Tẽpus illi ad formandos lambendóſque ingenij fœtus, in iugi ſemper mole negotiorum, nunquam vacuum & ſemper anguſtum. Tam denſis felicis ſcriptionis impedimentis nunquam deficientibus, ea ſcripſit B. Bernardus, quæ poſteriores longo poſt interuallo imitatione aſſequi deſperent. [Verè beatus homo, (transferam enim ad hanc rem verba Philippi Abbatis, *a*) non qui Magiſtrum Anſellum audiuit, non qui Laudunum vel Pariſios requiſiuit, ſed quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.] Scripſit verò tam multa, vt videri poſſit, cogitaſſe vel molitus eſſe præterea nihil.

d Lib. 11. contra Græc. init.

a Ep. 7.

L.
Pleráque ſcripta S. Bernardo ſuppoſita.

Neque tamen ita à ſcriptorum multitudine laudatum volo S. Bernardum, vt quæcunque eius nomen præferunt opera, genuinos tanti ingenij partus eſſe profitear. Scio multa aliena pro Bernardi operibus diu venditata, à ſagacibus pleriſque exploratoribus expuncta ex eo albo iampridem: multa etiam ſupereſſe, quæ ſeponi & expungi debeant. Sunt Petri Damiani nonnulla, ſunt Anſelmi, ſunt Ahelredi, quæ Bernardi nomen adhuc præferunt. Petrum Damiani parentem habet, ſermo de riuis fluminis in vigilia Natiuitatis Domini: qui tamen apud Bernardum habetur hoc principio, *Tandem de mari ad portum*: Nec non qui continenter ibi ſubiicitur, ſermo de S. Stephano, cuius eſt initium, *Adhuc filium Virginis*: Item ſermo de S. Nicolao, & qui apud Bernardum eſt tertius de S. Andrea. Anſelmo vendicanda eſt piiſſima ſimul & elegantiſſima commentatio de ſingulis Chriſti patientis myſteriis. Exordium eſt, IESVM *Nazarenum*. M. M. SS. C.C. quibus nuper multa Anſelmo reddidimus, hanc

ei

ei lucubrationem conſtanter tribuunt. Prolixa oratio ad Deiparam, hoc initio, *Mentem & oculos*, eſſe Ekeberti Abbatis, frequenter teſtatur Richardus à S. Laurentio, qui ante annos quadringentos ſcripſit, & plagulas ex ea oratione decerpens, Ekeberto tribuit. Gulielmo S. Theodorici Abbati S. Bernardi peramico, vendicandus eſt liber de natura & dignitate diuini amoris, & liber ad fratres de monte Dei, cui in MS.C.Dunenſi, aliíſque tribuitur. Formula honeſtæ vitæ, eſt Bernardi Syluestri. Scala Clauſtralium eſt Guigonis Cartuſiani. Opuſculum *ad quid veniſti* reperitur inter Opuſcula S. Bonauenturæ, & ad eum potiùs pertinet. Sermones quinque ſuper *Salue Regina*, ſunt S. Bernardi ex Benedictino, Archiepiſcopi Toletani. Sermones de Cœna Domini ſunt Ogerij, Abbatis Cuſedij ex Ordine Ciſtercienſi, præ S.Bernardo fungi aut ſtipiti? Aëreldi Ciſtercienſis eſt tractatus de puero duodenni reperto in medio Doctorum, & ſermones de oneribus Iſaiæ. Quos vt obiter hoc moneam, miratus ſum virum eruditum in ſuo Indice vniuerſali, Rieuallenſi quidem Abbati Aëlredo tribuere, ſed inſcribere *de oneribus Iſaac*. Nec eſſe librarij mendum, inde deprehenditur, quod non ad illud Iſaiæ caput quo continentur ea onera, ſed ad capita illa Geneſeos quibus de Iſaaco diſſeritur, appictus eſt in indice illo vniuerſali, hic tractatus de oneribus. Vt proinde veriſimile ſit, Indicis autorem, dum amanuenſi vel collectori luſcioſo nimium fidit, Iſaacum ſcripſiſſe pro Iſaia: nec aliter hîc ſibi paſſum imponi, quàm cum S.Bonauenturam, tanquam alium à Bonauentura Fidanza numerauit; vel cum Gregorium Neocæſarienſem, ſeiunxit à Gregorio Thaumaturgo, & in duos diſtraxit; cum tamen *Fidanzam*, cognomen fuiſſe S. Bonauenturæ, ſit extra dubium: Gregorium verò Neocæſarienſem, à Gregorio Thaumaturgo aliũ non eſſe, norint vel qui nondum ære lauantur. Sed

ad

ad rem. Aëlredi & multorum aliorum ſcriptiones, S. Bernardi operibus temerè commiſſas eſſe, non eo inficias. Quinetiam non inſignium modò virorum, cuiuſmodi fuerunt Aëlreldus, Ekebertus, Anſelmus, Petrus Damiani; ſed aliorum prætereà quorundam inſulſiſſimas lucubrationes, veréque abortiones infeliciū ingeniorum, inter S. Bernardi opera, lolium tritico fuiſſe permixtas, (id quod æquè Ambroſio Auguſtino, Hieronimo, Bedæ, & omnibus ferè Patribus per nonnullorum oſcitantiam accidit,) monſtratur tractatione de multiplici ſuppoſitione librorum, quæ operi de iuſta confixione librorum, conſerta habetur. Verùm ſegregatis illegitimis fœtibus, & iis duntaxat retentis quos eruditio ac pietas, & ſcilicet optimus Bernardi index ſtylus, quem habet planè peculiarem, adiudicandos illi eſſe ſuaſerit, abundè erit, vnde S. Bernardum à multiplici ingenij fœtura & ſcriptorum multitudine, commendari iure potuiſſe, ſit certum. Eam verò prouinciam, cribrandi S. Bernardo iure aut iniuria tributas ſcriptiones, mihi alibi parciùs ſuſceptam, breui (vt ſpero) plenè ac cum laude obibit, qui ad eam feliciter aggreſſus eſt, ſapientiſſimus Pater Ioannes Bona, è ſtrictiore S. Bernardi inſtituto. Qua enim valet ingenij ſagacitate ac iudicij acrimonia, ſecernet pretioſum, à vili, magno lectorum commodo, nec minore tanti ſcriptoris gloria, gerris quibus oneratus eſt degrauandi.

LI. *Scriptores docti ex S. Bern. inſtituto.*

Habuerunt quam æmularentur in hac cerificatione apem primariam, populoſa examina Eccleſiaſticorum ſcriptorum S. Bernardum ſecuta anteſignanum. Ab ipſis ſanè ſancti viri in ſacro regimine exordiis, frequentes ad eum vndecunque confluxiſſe viros eruditiſſimos, audituros ſapientiam eius, referunt qui iſta vſurparunt oculis. Sed ſingulare eſt quod Sigeberti continuator Robertus à Monte, annotauit, nimi-

Hh rum

rum [Magiſtros ſcholarum, cum magno Clericorum (id eſt literis operam dantium) comitatu , etiam de longinquis regionibus ad eius optabile magiſterium confluentes,centenario vel ampliori numero nouitiorũ,domum probationis impleuiſſe, & vno die,quadraginta,monachos effectos eſſe.]In tanta doctorũ confluge quæ poſterioribus ſeculis non decreuit,extitiſſe ex eodem ſancti viri inſtituto probatorum ſcriptorum copiam quæ complendis bibliothecis par fuerit,adeò incredibile viſum iri non cenſeo , vt potiùs periclitentur inſimulari negligentiæ, Philippus Seguinus,Laurentius Zamora,Angelus Manrique,& alij qui vix vltra millenarium ſcriptores Eccleſiaſticos ex S.Bernardi *diſciplina* diffundunt. Superuacuum fuerit ſignatim paucos de nomine producere,in tanta cum veterum, tum recentiorum vbertate.

Nec tamen te præterire poſſum , charum mihi & venerabile caput , PETRE A S. IOSEPH , cuius in Theologica doctrina ſoliditas, cum ſcriptionis perſpicuitate exquiſitiſſima certans ; acumen ingenij abſtruſiſſima quæque peruadentis,æquans diligentiam accuratiſſimè circunſpicientem & luſtrantem omnia , fauentiam obtinebunt,vel etiam extorquebunt,ab eo qui in ſcriptiones tuas inciderit. Parco verecundiæ tuæ. Sed caue ſodes,famem noſtram diutiùs acuere .Intelligis quod dico. Exactionem Summellæ tuæ Theologicæ, *a* tamdiu expetitæ,toties deſponſæ, vrgeo. Quid inuidere publico tanti boni vſuram pergis ? Sapientia abſcondita , & theſaurus inuiſus quæ vtilitas in vtriſque. Habe me donec debitum perſoluas,importunum quietis interpellatorem : habebis liberata fide miratorem operis , autoris laudatorem. Sileo de tuis in fidei conuulſores laboribus. Nam Ianſenium Batauum qua ſcriptionum claua contuderis,quibus piemolcarum lucubrationum ſecuribus , Caluinum Auguſtini perſona obdu-

a Ea Lucubratio his pridẽ exaratis prodiit; magna omnium approbatione; ita vt etiam ſordidus plagiarius fœdo flagi-

obductum concideris, narrabitur in ſcripturis populorum,& Principua horum qui fuerunt in ea. Eccleſiaſtica inquam pandet hiſtoria, cum ad Innocentij X. Pontificium deueniet; prodent Gallicani Annales; quanto niſu ac ſtudio,digna Tu Bernardi proles,æmulata ſis parentem,hoſtem erronum indefeſſum, & potentem Abelardi,Arnaldi, Petri de Bruis, Henrici,debellatorem. Te illius propago quem Apem de Italia ſibilantem Api quæ erat in Francia, Goliathi armigerum,nominabat,vtriuſque exitium, imo ſalus, (ſi mens non læua fuiſſet,) Beatiſſimus Pater tuus,ſenſit genuinam tanti Patris ſobolem,non minùs imitatione ſanctimoniæ, quàm ſtudio doctrinæ ſanæ, & felici in exitialibus verſutiis retegendis, & ſedis Apoſtolicæ iudiciis firmandis, contentione. Ne pars altera Chriſtianæ literaturæ abeat intacta, in conſcientiæ nodis expediēdis,quid poſſis,ſpecimen abs te datum, ſplendidè manifeſtat. Aduersùs prædefi nitiones ineluctabiles, & adamantinas libertatis creatæ deuinctiones, eo impeditiores,quo per fortiorem manum iniectæ à voluntatis illigatoribus iactabantur, quàm dextrè quàm validè egeris, nullæ ſcholæ ignorant, nulla ætas doctis ſuperantibus conticeſcet. Abſtineo pluribus ne meo in te indulſiſſe affectui videar,& quod dedi meritis, repenſum alio nomine cenſeatur. Satis de cera priore apis noſtræ.

tio, de ea Autori ſubducenda, auſus ſit cogitationē admittere.

LII. *S.Bernardi apis myſtica cera altera cella cœnobiorū ſtructa & directa prudentiſſimè.*

Alteram proponebam myſticæ huius apis ceram, cellas monaſteriorum quas ædificauit. Nam cellarum monaſticarum conſenſionem cum iis quas apes fingunt melli condendo, vel ipſum vtriſque commune cellæ nomen demonſtrat: acceditque aluearium & monaſteriorum germanitas, notata ſuperiùs. Multitudo quippè cellarum in vno fauo,perbellè reſpondet religioſæ domui,quandoquidem fauus è cera multicauatus,plures cellas & loculamenta continet, æquè ac cœnobitica domus.

LIII. *Apum prudentia.*

Inſignem porrò apum ſapientjam, & artem in hu-
iuſmodi cellarum ſtructura & impletione,ei ſapientiæ
ac prudentiæ perſimilem quam religioſarum domum
fabrica & mutiplicatio prodit, obſeruarunt Nazianze-
nus,*a* & Ambroſius *b* exprimens S. Baſiliū *c* cuius hæc
eſt oratio.[Imitare mores apis peculiares, quæ nemini
prorſus officiens,nec alienos vllos fructus demoliens,
fauos extruit & compingit ſuos.Etenim ceram quidem
à floribus apertè colligit. Mel autem humorem, qui
ſpeciem præfert roris inſperſum floribus, ore libatum
atque attactum,in cauos fauorum ſinus immittit. Vnde
& humidum primùm eſt, deinde tempore concoctum
ad ſuam propriam craſſitudinem ſuauitatémque redit
Pulchra decoráque laude à prouerbiorum autore præ-
dicata eſt Apis,ſapiens,operatrixque nuncupata· Adeò
pabulum diligenter elaboratéque congerens: *Cuius la-*
bores(inquit) *tam Reges quàm priuati homines, ad tuen-*
dam ſanitatem edunt. Adeò ſapienter, adeò exacta mi-
ráque arte apothecas mellis extruens atque fingens. In
tenuem enim extenſa cera membranam frequentes
cellulas,denſas ſibique continuas, alias ſuper alias ex-
truit, vt ipſarum adeò minutarum inter ſeſe vinculi
denſitas vniuerſo ſit operi munimentum ac firmitudo.
Quæque enim adhęret alteri cellula,pertenui ſe iuncta
ſimul copulatáque ſepto. Deinde alias ſuper alias ac-
cumulantur hæ fiſtulæ;in altúmque editur opus, perin-
de vt ædes præcelſæ,ſecunda tertiáque præditæ conti-
gnatione. Namque cauetur ipſi continuum vnum ef-
ficere ſinum, ne foras humor ſuo præ pondere dilaba-
tur. Diſce interim quantum obtineant geometricæ in-
uentionis vel ea quæ parerga ſunt ſapientiſſimæ iſtius
apiculæ.Fauorum enim fiſtulæ omnes cera compactæ,
ſenis angulis,æqualibus vt lateribus præditæ ſunt.Non
in directum ſuper alias aliæ iacent,ne fundi vacuis in-
teruallis accommodati defatigentur:ſed ſexangulorum
inferio

a Orat. 34. n.53.
b Lib. 5. Hexaëm c. 21.
c Hom. 8. exaëm.

Digitized by Google

inferiorum anguli, ſedes ſuperiorum fundamentáque ſunt, vt tutò eleuent ac ſuſtineant pondera, & ſeorſum humor in vnumquemque ſinum ſuſcipiatur, & contineri queat.

Piſidæ *a* mel ad mellitam S. Baſilij orationem ſi adiunxero, non erit quod faſtidio lectoris vel nauſeæ timeam. Dædalam apem, vt Maro *b* & Calpurnius *c* à tanta arte vocauerunt, his exhibet verſibus.

a Carm. de mundi opif.
b Lib 4. Georg.
c ecloga.

Quis mellis opifici liquentis optimæ,
Geometriam exercere ſuaſit, ac domos
Tectis tribus, ſexangulares condere?
Et fiſtulis non lineis dirigere
Rectis? at obliqua via, flexo ordine,
Ne forte labantur pedes vſquam infimi
Ex ſarcinis ſuperis, quibus graue eſt.
Sed paribus vt ſpatiis locati limites,
Sint fornicatarum ædium ſtabilimina,
Quo Cella ſtet formata rectis arcubus
Et nectaris nil dulce excidat foras.
Geometriam tractans vide Euclide hoc opus;
Nullam at figuram linearem detrahas,
Ne aculeus Magiſtræ Apis doctiſſimæ
Te pungat; addiſcas, vt inuitus licet.]

Tanta Lactantio *a* viſa eſt hæc apum in cerificatione ſolertia, vt non dubitauerit affirmare, [apes domicilia inenarrabili arte componere.] Auctiùs etiam S. Ephrem, *b* qui eò progreſſus eſt vt diceret, [ſi omnes ſapientes terræ, cunctique orbis Philoſophi congregati fuerint, ſapientiam apis ediſſerere haudquaquam valebunt.] Maphæus Veggius ea diſputatione quam ſolem inter ac terram & aurum conſcripſit, *c* cum terram loquentem induceret, apum artem & ſolertiam mirificè extulit. Nec humiliùs de ea ſenſere qui eſſe apibus partem diuinæ mentis, & hauſtus æthereos, cenſuere, Marone referente, *d* ad cuius opus Traianum

a L. 3. inſtit c. 10.
b Serm. de vita religioſa.
c Puncto. 1.

Digitized by Google

d 4. Georg. ſuum amandabat Plinius, vt ciuilem prudentiam ab deſcriptis ibi apibus addiſceret. Ex eodem libro exe L. 6. po- ſcribit quàm plurima Ioannes Sariſberienſis, *e* vt ciuilis licr. c. 21. prudentiæ Ideam quandam effigiet. Tum ſubdit. [Reipublicæ omnes autores percurre, rerum publicarum reuolue hiſtorias, vita ciuilis tibi rectiùs & elegãf In Phæ- tiùs nuſquam occurret.] Fabula Platonica *f* de viris done. prudentibus & cordatis in apes aliquando tranſmutandis iuxta Pythagoricum de tranſanimatione commentum, in hac tanta apum prudentia habuit fundameng Lib. 4. tum. Celſus ſanè apud Origenem, *d* vſque adeò eam extollit, vt non minùs Deo cordi eſſe apes quàm homines confirmet, [quod conſtet apibus ſuos Reges eſſe, regiis cultos obſequiis, quorum ductu prælientur, vincant, & profligatos eiiciant. Eſſe etiam ciuitates, & pomœria, vicéſque operum, iudicia denique ac pœnas ignauiæ: Nam fucos ab apibus trucidari, abigíve liquet.] Hæc contendentem cum homine de ſapientia & prudentia apem ſtatuĩt. Quid verò Ariſtotele facias, a Lib. 8. qui referente Athenæo, *a* humanam ſapientiam & b L. 15. c. prudentiam, ei quæ in apibus micat, poſtponi cenſuit 23. oportere, ſubſcribente Conſtantino Cæſare in Geopoc Serm. 5. nicis? Querelas item Ethnicorum variorum, ob diuinide prou. tus prælatas homini apes quoad ſapientiam & pruden-initio. tiam, Theodoretus *c* deſcripſit. Cœterum non eſt quid L. 4. dem apum ſapientia & prudentia niſi ſimilitudinaria tantùm, vt Origenes Celſum confutans *d* cruditè monſtrauit. Sita enim duntaxat eſt, in apum inſtinctu naturali. Eſt tamen eo admirabilior, quo plus eſt abſque rationis vſu gerere, quæ ægrè homines adhibita qua pollent ratione perficiunt. Sit igitur planè inſignis, apum prudentia.

LIV. *Quam præcellenter in S. Bernardo*

Verùm myſticæ apis noſtræ ſapientia & prudentia qua tam multa ſtruxit, auxit, rexit aluearia, & cellas rationalium apum, non ſecus ad analogicam

quale

Digitized by Google

qualemcunque apum prudentiam ſe habet,quàm corpus ad vmbrã.Finxit,(mirabile dictu,) intra tẽpus perbreue,certè nõ admodùm longũ,in variis terrarũ oris, monaſteria ſexaginta ſupra cẽtum in ſingulis examina populoſiſſima ſeruorum Dei, ſanctum virum tanquam ſpiritualium apum Regem ſtipantia,recondit. Et quãquam Ciſtercienſis ordo,autorem primum non agnoſcat S. Bernardum,ſed B.Robertum ex Moliſmenſi Abbate noualis Ciſtercienſis colonum primum; Roberto autem Moliſmam ad anteriores ſocios regreſſo, Albericus ac Stephanus Ciſtercienſem præfecturam obiuerint: Tamen tanta fuit Ciſtercienſis familiæ ſub Roberto, Alberico, ac Stephano plantatoribus , per annos quindecim, tenuitas & exilitas; à Bernardi autem aduentu,adeò diffuſæ ſunt illius propagines , vt non immeritò inter Ciſtercij plantatores, locum & quidem præcipuum, B.Bernardus ſortiri præ Roberto,& Alberico ac Stephano debeat. Subiit eremum illam,comitantibus & idem inſtitutum amplexantibus ſociis ad triginta,quos inter germani eius quatuor , & cognati ſecundùm carnem alij complures; omnes à Bernardo geniti Chriſto, cum non amplius quàm duos ſupra viginti annos natus eo tempore eſſet. Benedixit autem Dominus Stephano, eiúſque familiæ ad Bernardi appulſum. Immenſa quippè multitudo, mundum & eius caducitatem deſpuens,tangente corda Deo, auctior in dies,Abbatem Stephanum vt tam ſancto coetui adſcribi liceret, enixiſſimè interpellabat. Nec ita multo poſt Stephanus,quâ leuandæ Ciſtercienſi familiæ quam numeroſitas grauabat , quâ amplificandi Ordinis ſtudio, lectum manipulum, præfecto ei Bernardo tametſi iuniore, deſtinauit ad Vallem Abſinthialem,latronum eo tempore ſpelæum,cui *Claræ vallis* ad ſanctorum aduentum indita appellatio, omine fœlici.

certificandi prudentia.

Hæc

LV. *Claræ vallis, S. Bernardi cellæ primariæ, eximia decora.*

Hæc eſt illa Clarauallis, prima S. Bernardi cella. De eximia inibi apis noſtræ cerificatione ſuſpicionem mouere in cauſa propria haud immeritò poſſit Gulielmus Abbas *a* Quare Philippum potius bonæ ſpei Abbatem ex Ordine Præmonſtratenſi, illuſtrem pietate ac doctrina illius temporis ſcriptorem audiamus, ſummum decus vallis illius his paucis perſtringentem. *b* [De hoc cœnobio quod Ciſtercium nominatur, In quo noſtris temporibus Regula Benedicti ad veritatem litteræ reuocatur, inſignis illa fœlici partu Clarauallis procedit, quæ cætera eiuſdem ordinis cœnobia claritate famæ, & nominis antecedit. Quæ nimirum ſatis congruè Clara Vallis meruit nominari; in qua cõſtat humilitatem Monachicam in priſtinum noua incude & malleo reformari, & ex ea eiuſdem humilitatis bonum odorem longè latéque ſcatẽs diuulgari; Vt eam viuẽdi humilitas reddat vallem, & glorioſa humilitas Claram Vallem. Huius enim humilitas tanto lumine, vel gloria declaratur, vt iam vſque ad extremas mundi partes, eius opinio diffundatur, & largiente ſpiritu, qui vbi & quantum vult operatur, multus huic ordini de die in diem numerus adiungatur.]

a L. 1. vitæ c. 13.

b Lib. de contin. cleric. cap. 125.

Lib. 3. ep. 12.

Petrus item Cellenſis S. Remigij Abbas, ac demum Carnotẽſis Epiſcopus, quàm luculentum Claræuallenſium eximiæ ſanctitati præbeat teſtimonium, ex eius Epiſtola ad quẽdam Claræuallenſem, videre eſt: qua rogatus tradere aliquod ad religioſam vitã cõmonitoriũ, ſic reſpõdet. [O quam præclara Clarauallenſium commonitoria? Quid enim lachrymæ huius niſi compunctionis ſunt incentiuum? Quid alterius orationes, niſi ſupernæ contemplationis adiumentum? Huius humilitas ſuperbiam confundit apoſtatæ Angeli & hominis: obedientia illius, pendentis in cruce Chriſti æmulatur obedientiam. Iſte Iacob aſſimilatur in laboribus: ſimplicitas Ioſeph, hunc exornat. Zelus ordinis in iſto

Moyſem

Digitized by Google

Moyſem reddit. O Dauidis manſuetudo ! O feruor Eliæ ! O Danielis abſtinentia ! O caſtitas Samuelis, & quod maius eſt, O Chriſti charitas ? O Mariæ virginitas : Caſtra Dei ſunt hæc. Quid videbis in Sunamite tua, in coccinea tua, niſi choros caſtrorũ? Chorum aliũ video procedentem aduersùs phalangas vitiorum innumerabilium ; dum iſte non quærens quæ ſua ſunt ſpiritum auaritiæ ſtrangulat, iſte mundi gloriam calcãs principem ſuperbiæ ſuffocat, iſte carnem macerans luxuriæ caput detruncat, & cuicunque obuiauerit quiſque de aduerſariis, ſine miſericordia fortiter in ore gladij enecat. Pluunt denique inſtanter poſt terga hoſtium ſagittæ, vibrant haſtas, frameam effundunt, & ſiue leones, ſiue vnicornes cum omni beſtia ſaltus exterminant. Non eſt in eis deficiens neque laborans. In dextro cornu, iterum conſidero alium in equis albis chorum certantem non jam pro victoria, ſed ad coaceruanda pretioſiorum ſpolia. Et iam præguſtat alius mercedem laborum ſuorum, alius gratiam labiorum conſequitur, alius de ligno quod eſt in medio paradiſi ſuperextenſus in vlteriora velaminis, per obliuionem terrenorum, & contemplationem cœleſtium edit. Iſti ſunt qui ſtolas ſuas dealbauerunt in ſanguine Agni, reſiſtẽdo vſque ad ſanguinẽ vitiis, & pertingendo vſque ad patientiam Agni immaculati. Hi docent te, arcum & ſagittam: Hi ſanguinem vuæ & mori propinant. Arcum prauum iſti non intendunt, ſed ſpirituali ſubtilitate, etiam capillum minimæ cogitationis in arcu propriæ reprehenſionis citiſſimè feriunt. Prorſus conuerſi non ſunt in die belli, quia neque in incerto currunt, neque ſegniter viuũt. Ad hoc te mitto commonitorium. Omnia enim eorum commonent, ſiue conſeſſus, ſiue inceſſus, ſiue ſermo, ſiue ſilentium, ſiue ieiunium, ſiue prandium. Ecce mille clypei pendent, non ſolùm ad te

commonendum,ſed etiam ad muniendum. Et tibi poſt hæc fili mi vltra quid faciam?

Idem Epiſtola 58. agens cum Nicolao tunc Claræuallenſi Monacho, amãdos, ſibi præfatus illos qui non quæ ſua ſunt quærunt, ſed quæ IESV CHRISTI, qui pleni charitate & dilectione in cubilibus & in hortis aromatum in meridie cubant, & paſcunt. Iſti ſunt tui, imo mei Claræuallenſes. Hi ſunt qui non ſicut ille negaturus, Ieſum à longè ſequuntur; non ſicut alij appropinquantes ſtant, vel ab eo recedentes poſt Satanã redeunt: ſed ſindone reiecta, nudi poſt nudum ambulant, agni veſtigiis inhærentes ad cœlum tranſuolant, & donec ad ſedentem in throno accedant & Regi opera ſua dicant, ſuper montes aromatum tranſilire properant. Hi ſunt cerui montium, capreæ camporum, hinnuli ſyluarum. Denique ipſi ſunt lilium conuallium, cedri Libani, oliuæ vberes in domo Dei. Pulchræ ſunt genæ eorum abſque eo quod intrinſecùs latet. Amplior virtus quàm fama; flamma non tanta, quantus ardor, laus eorum confortata eſt, nec poſſum ad eam. Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua & opera manifeſtum te faciunt.]

Erat Nicolaus vnus ex illis, cum iſta ſcriberet Petrus. Sed poſtea mutata mente auerſus tranſiit ad Monachos nigros, & in ordinem Ciſtercienſem, ipſúmque S. Bernardum, viſus eſt durior. Veruntamen ea ſcribit de Claræuallenſibus quibus non poſſet illuſtriora. Sic enim habet epiſto. 7. [ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam, cum ſuſcepimus ſocietatem illam, ſocij facti ſupremarum virtutum quæ in Claræuallis locis cumulatiùs immittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt, &c. Diſceſſi à vobis in gaudio; ſed nolite credere quod gaudium meum plenum ſit. Quale enim gaudium mihi erit qui in tenebris ſedeo, qui lumen cœli, lumen Claræuallis non video? O lumen deſcendens

dens à Patre luminum vbi lucent luminaria in firmamento cœli, inde aſſumptus eſt Eugenius Papa luminare maius quod illuminet terram. O felix regio vbi vidi filios Iſrael per ordines & turmas incedere, omnes negotioſos, otioſum nullum, omnes gladios tenentes & ad bella doctiſſimos in ſpiritu fortitudinis terram promiſſionis intrare. Ibi vidi ſponſam Chriſti quæ ferè vbique rugata eſt, ſine ruga & macula. Illam quæ verè vulnerauit cor ſponſi ſui : illam quæ in vno capillulo & ocelluli ſcintillatione, ſollicitat cœlorum Regem, Angelorum Dominum, Filium Dei Patris ; & dixi *Caſtra Dei ſunt hæc, non eſt hìc aliud niſi domus Dei & porta cæli*, quam circumuolat & circundat legionum cœleſtium multitudo in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluuia, &c. Locus ille locus ſanctus eſt, vallis nemoroſa, vallis abundãs, paradiſus deliciarum, gratiarum hortus, in quo ſi non fuero & vixero, moriar. Fraudatus grauiter deſiderio meo, coram Deo loquor, quia ſi conferrentur in me omnia regna mundi & gloria eorum, nihil eſſet ſi vobiſcum & in loco illo non adeſſe contingeret. Claræuallis in affectu, Claræuallis in ſenſu, Claræuallis in præſentia, Claræuallis in memoria, Claræuallis in ore, Claræuallis in corde eſt, & teneram animam tenerrima meditatione ſuccendit.]

Item Epiſtola 45. [Effudi in me animam, quoniã trãſibo in locũ tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei. Tabernaculum, Claræuallis domum non manufactam intelligo. Ex hoc tabernaculo facilis eſt trãſitus ad illam domum : hîc qui ſteterit, illic ſedebit. Felix tabernaculum vbi vidi homines non homines, imo verè homines, & quod verius eſt, ſupra hominem ambulantes. Vidi milites Chriſti armatos ſtare & ambire lectulũ Salomonis, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos. Vidi ſtare ſuper cuſtodias Domini

totis noctibus & totis noctibus, indutos lorica iuſtitiæ & galea ſalutis, habentes ſcutum fidei & gladium ſpiritus quod eſt Verbum Dei. Conſpexi oculata fide habitare homines vnius moris in domo, nocte conſurgere ad confitendum nomini Domini, veſpere & mane & meridie narrare & annunciare laudem eius, & omnem illorum ſedulitatem in orbem diuini obſequij complicari. Vidi manducare labores manuum ſuarum, non viduarum lachrymas, non pauperum ſanguinem, nec ſub obtentu pietatis canificinam crudelitatis intrudere. Plena erant ſubſellia concinentibus; concentu & parili voce in ſublimibus reſultabāt, vt felici inuidia iuraſſe eos crederem iubilare Deo in voce exultationis. Vellem, nollem, eorum deuotione tractus ſum, & dicebam; Caſtra Dei ſunt hæc, non eſt hìc aliud niſi domus Dei & porta cœli.]

Illuſtrata ſatis ſupérque videri debet idoneis teſtimoniis Claræuallis gloria, quæ prima ac præcipua fuit S. Bernardi certificatio: Et quanto iure, exuta nomine *Vallis abſinthialis*, honeſtata ſit appellatione Claræ vallis, abundè eſt demonſtratum. Nullus enim in orbe per ea tempora ſanctior erat locus, & in quo regularis diſciplina, ac conſiliorum Euangelicorum accurata obſeruatio, & ſacrorum inſtitutorum tenacitas magis vigeret; vt mirum non ſit iam à S. Bernardi æuo aluearium illud, apes myſticas ſancto inſtitutori api primariæ conſimillimas fouiſſe ac emiſiſſe, & omnis ſanctimoniæ melle, impluente cœlo redundaſſe: magnis inquam & in omni genere ſublimibus hominibus abundaſſe, & fructus copioſos Eccleſiæ Dei, magna S. Bernardi cultoris ſui gloria intuliſſe. Quos porrò ac quantos ſub B. Bernardo, ac poſt eum, ex eius informatione vallis illa extulerit montes, diuinorum radiorum vbertate clariſſimos, (vt Ennodium de plana Lerino loquentem [a] huc accommodem,) quæ exæquet ſubductio?

[a] In vita S. Anto.

Sanctos

Sanctos Antiſtites ad regimen variarum Chriſtiani orbis Eccleſiarum inde eductos viuente etiamnum S. Bernardo,conſtipauit intra pauca hæc verba non paucos, Bernardus bonæ vallis Abbas. *b* [Diuerſarum regionũ Ciuitates ex hoc Collegio meruere Epiſcopos. In primis Roma ſummo ornatur Pontifice , Prænefte Stephanum habuit totius gloriæ virum. Oſtia virum magnum, Hugonem. In ipſa quoque Romana Curia Henricus,Bernardus,alter Presbiter, alter Diaconus, ordinati ſunt Cardinales. Propè vrbem Romam, Nepa ſub Hoberto refloruit. In Tuſcia Piſis natalis ſoli gloria, & magnum Eccleſiæ lumen Balduinus effulſit. Citra Alpes,Lauſannæ datus Amedeus, Seduno Garinus,Lingonis Godefridus,Antiſiodoro Alanus,Nãnetis Bernardus , Beluaco Henricus , Tornaco Giraldus, Eboraco Henricus. In Hibernia duo Epiſcopi , re & nomine Chriſtiani. Alemania ciuitate Curia Algorus,ſapientia,ætate , & gratia reuerendus. Hæc luminaria de Claræualle aſſumpta fulgore puro , prædictas vrbes ſua illuſtrauere præſentia , & paſtoralis officij elucidantes gloriam , exemplum cæteris epiſcopis facti ſunt,& in altitudine ſua humiles conſtiterunt.] Miſſos faciamus cæteros,è Claræualle, aliiſve cœnobiis per S. Bernardum inſtitutis eductos,atque adeò ſpirituales S. Bernardi filios:de vno aut altero è proximè recenſitis, ſilere quî liceat? LVI. *Inſignes Antiſtites ex cœnobio Claræuallenſi.* *b* L. 2. vitæ S. Bern. c. 8.

Summus Pontifex,quem Abbas bonæ vallis in ſyllabi ſui apice locauit , eſt Bernardus Abbas S. Anaſtaſij,dictus in Pontificatũ Eugenius,ad quem extat viri ſancti aureum planè opus de conſideratione, quo illum ad ſummam ſanctimoniam cum illa dignitatum ſummitate fœderandam informat. Et reſpondiſſe fructum labori viri ſancti in eo excolendo, docent quæ de Eugenij in tanto honore vita ſanctiſſima, produnt rerum illius temporis ſcriptores. Theobaldus Epiſcopus LVII. *Eugenius III.quantus Pontifex.*

a In vita S. Gulielmi c. 12.

b Anno 1148.

a vocat [Pontificem religioſum,& multùm ſcrupuloſæ conſcientiæ.] Ptolomæus Lucenſis, *b* omnibus in admirationem factum ſcribit,quod cum in cœnobio magnæ ſimplicitatis appareret,copioſa gratia & dicendi facultate ſummo illi muneri accommodata, ſubitò ornatus, ſupra ſpem micuerit in templo Dei. Quando Abbatem bonæ Vallis teſtem laudaui, non mihi tempero quominus hominem iterum teſtem producam Eugenij virtutum, adſcripta plagula ex ea oratione, qua ſeceſſionem illius in Galliam ob Romanas factiones, & peregrinationem ad chariſſimam Claram vallem deſcripſit.[Celebrato (inquit) Remis concilio,Claram vallem humiliter viſitat,& gloriam Pontificatus Romani,pauperum præſentat aſpectibus.Mirantur omnes in tanta altitudine, humilitatem immobilem ; & in tam excellenti culmine,propoſiti ſancti permanere virtutem : vt altitudini ſociata humilitas pro officio exteriùs ſplendeat, & pro virtute nequaquam interiùs inaneſcat. Adhærebat eius carni lanea tunica,& diebus & noctibus cuculla veſtitus ſic ibat, ſic cubabat. Intus monachi habitum retinens;extra, ſe Pontificem & moribus, & veſtibus exhibebat:Rem difficilem agens, diuerſarum in vno homine proprietatem exprimens perſonarum. Segmentata ei circumferebantur puluinaria, lectus ei palliis opertus,cortina ambiebatur purpurea; ſed ſi reſolueres operimenta,inuenires ſuperiniectis laneis comploſa ſtramina,& paleas conglobatas. Homo in facie, Deus videt in corde ; Ipſe verò bona coram Deo & hominibus prouidebat.Alloquitur fratres non ſine lachrymis,miſcens ſermonibus auulſa à corde ſuſpiria ; hortatur,& conſolatur, & ſe inter eos fratrem, & ſocium, non dominum exhibet vel Magiſtrum.] Miſſa facio alia Eugenij decora, quæ S. Bernardus ab omni aſſentatione alieniſſimus ſplendidè exhibuit: *a* & quæ vir grauis, Ioannes Sariſberienſis Carnotenſium

a Lib. 3. de conſider.

Præ

Præſul, *b* in eo celebrauit: etiam cœleſtes ignes in celebrantis capite coruſcantes, diuinum incenſiſſimæ pietatis ſuffragium, dimiſſos in præſentia volo. Quæ de eo Abbas bonæ vallis narrauit, ad elogium vndecunque plenum, ſunt ſatis ſupérque. Cedo quempiam non iam ex monacho Romanum Pontificem ſoli Deo innocentiam debentem, non ad purpuram vel infulas pinguis alicuius Epiſcopatus è religioſa humilitate euectum, ſed intra ipſa monaſteria & cœnobiorum ſepta Abbatem, religioſæ ſeueritatis ac modeſtiæ retinentiorem: vt mirum nequaquam eſſe poſſit ſanctam vitam ſancto concluſam exitu non paucis miraculis illuſtrem à Deo factam, quæ illius æui ſcriptor repræſentauit. *c*

b L. 3 plyct. c. 15.

c L. 5. vitæ S. Bern. c. 2.

LVIII. *Quantus item Amedeus Lauſanenſis.*

Amedei Lauſanenſis Antiſtitis quem inter cœteros bonæ vallis Abbas recẽſuit, eo iuſtiùs hìc meminero, quod viciniam noſtram multipliciter illuſtrauit. Coſtæ apud Allobrogas haud ita procul Vienna, Amedeo patre Albæ ripæ Toparcha natus eſt, die S. Agneti ſacro: quo item apud Claram vallẽ ſub B. Bernardi diſciplina, monaſticen profeſſus eſt: poſteáque eadem die, cœnobio Altæcumbæ præfectus Abbas. Vnde ad Epiſcopatum aliquo poſt tempore eſt abductus. Inde illi ſenſus magnus pietatis erga nitentiſſimum illum inter ſacras virgines florem; S. Agnetem dico, cui per vniuerſam Diœceſim Lauſanenſem, feſtam diem ritu duplici exigendam primus indixit, more deinceps ad alias Eccleſias, ipſámque matricem Romanam propagato. Fuit Amedeus, Eugenio Pontifici, itémque Cõrado 2. & Federico 1. Auguſtis acceptiſſimus: nec pauca ab iiſdem in Lauſanenſis Eccleſiæ decus & commodum exorauit diplomata. Amedei verò Gebennenſium Comitis rebus Lauſanenſis Eccleſiæ infeſti, potentiam & quilibet audendi licentiam, prudentia ſua, & mellea facundia inflexit, ac vt cœptis abſiſteret, perſua

perſuaſit. Quo erga Deiparam affectu flagraret, docent octo florulentiſſimæ de ea homiliæ, nuper cuſæ ſemel ac iterum, vt ſatis appareat, illud pietatis lac è B. Bernardi erga Deiparam ſtudioſiſſimi, velut vberibus fuiſſe inſtillatum; móxque ita transfuſum in Lauſanenſes, vt etiam nunc poſt iam centenariam in ea ora Catholicæ fidei cladem, imago nonnulla priſcæ pietatis in Deiparam, & cultus adumbratio aliqua, qualem ſpuria fides & veritas exulans ferre poteſt, raro inter Sectarios exemplo perſeueret. Obiit Amedeus ſanctiſſimè, poſt exactos in Epiſcopalibus excubiis annos quatuordecim. Relatum in album ſanctorum legere memini? a

a Mantiq. in Laur. Euang l. 3.

LIX. *Godofredus à Perona Præſul deſignatus, vir ſanctiſſimus.*

Poſſim æquè cœterorum omnium quos bonæ vallis Abbas produxit, eximia decora, labores pro Eccleſia, plerorumque miracula, omniũ poſt piam vitam piiſſimum obitum percenſere. Sed quod ſcateant huiuſmodi narrationibus denſa volumina, & nuperrimè editum Ciſtercienſe Menologium, neminem illorum ſua laude fraudarit, abſiſto pluribus. Præterire tamen nec poſſum nec debeo, Præſulibus è Clara valle aſſumptis, annumerari iure poſſe eximium B. Bernardi diſcipulum, Godofredum à Perona: qui è Claræ vallis Priore, electus in Tornacenſem Antiſtitem, conſtanter infulas repudiauit: cúmque non ita multo poſt vita functus, ab amico cui diuino permiſſu ſe viſendum obiecit, interrogaretur; fraudíne apud Deum illi fuiſſet inobedientiæ ſpecies in detrectando Epiſcopatu, reſpondit imo optimè ceſſiſſe eam fugam præfecturæ animarum: ſubiunxítque illud pronunciatum; *Si fuiſſem de numero Epiſcoporum, fuiſſem de numero reproborum.* Non ſignificabat, de Epiſcopali ſolio neminem, in cœlum ſuſtolli. Apage tam à vero auerſum ſenſum. Quis verò in diuerſis domus Dei ordinibus, & cœleſtis Hieruſalem glorioſis cœtibus numeroſior, cœtu ac ordine Epiſco-

porum?

porum? Nimirum vt innumeris laboribus obnoxium eſt Epiſcopi munus, ita feraciſſimum eſt meritorum ac gloriæ apud Deum, quod S. Gregorius, & S. Chryſoſtomus præter *b* cæteros diffusè confirmant & illuſtrant. Sed vt eſt Epiſcopatus dignitas altior, & pericula cadendi è tam ſublimi ſtatu propè innumera, nec omnibus in eo lubrico & vertiginis diſcrimine idem animus eadémque conſtantia, vnde multo plures eſſe Epiſcopos qui pereant diſertè tradit S. Chryſoſtomus: *c* potuit ſancta Godofredi demortui anima, diuinitùs edocta futurum fuiſſe vt deiiceretur ſi fuiſſet in ſublime elata, pronunciare, verè declinatum abs ſe exitium certum declinatione tam ardui muneris, & vt Apoſtolus pulchrè notauit, *boni* ideſt perdifficilis & operoſiſſimi *operis*. Narrat illud Godefridi demortui reſponſum, nomine tamen ſuppreſſo Cæſarius, *c* Nomen adiunxit Petrus Bleſenſis, *d* & Menologium Ciſterienſe. *e* Numerari inter Epiſcopos è valle clara euectos ad regimen ciuitatis ſupra montem poſitæ, iure poſſe Godefridum idcirco dixi, quia non ei Epiſcopatus, ſed ipſe delato & ingeſto Epiſcopatui volens defuit. Qua ratione B. Cyprianus, *f* martyribus eos annumerat, qui ſicca morte defuncti, obiecerant generosè diſcrimini animas ſuas, nec ipſi cruciatibus defuerant cadentes animis & mortem horrentes, ſed iiſdem potiùs cruenta mors, experita & quantum in ipſis erat oppetita, defuerat.

a In paſtor.
b De Sacerd.
c Homil. in Acta.
c Lib. 2. cap. 29.
d Epiſto. 102.
e 15. Ianu.
f Epiſt. 9. 9. 37.

LX. *Cœlites Carauallenſes.*

Verùm quid paucos Antiſtites è Claraualllæ & B. Bernardi diſciplina quaſi fauos ex eius cerificatione confectos, ad animarum mella dulceſque Dei cibos illic condendos, profero; cum liceat alios fauos nec numero paucos exhibere, quibus apis myſtica Bernardus, dulciſſimo cœlitibus labore, per Claram vallem cœlum compleuit? Fauos dici beatos ex his miſeriarum ſedibus euectos ad cœleſtem gloriam, vbi poſt fella guſtantur mella æterna, vulgatiſſimum eſt apud ſacros

 Doctores

Doctores, rationem inde repetentes, cur Chriſtus Dominus ab inferis rediuiuus, eámque in terris vitam viuens quæ beatitatis imaginem nonnullam præferret, oblatum mellis fauum, poſt fellis eſcam benignè manducarit. Huiuſmodi igitur fauos, ex D. Bernardi cerificatione quàm multos protulerit Clarauallis, haud facile ſit recenſere. Conſtat ſyllabum eorum quorum memoria in benedictione eſt, excreſcere vltra centuriam, etiam dimiſſis illis nongentis quorum veneranda oſſa in vnũ tumulum aceruata, variis diuinis operibus qua apud Deum ſint gratia ſanctæ animæ *quarum* ſunt exuuiæ, conteſtantur mortalibus. Memoriam eorum conſignat Menologium 12. Auguſti.

LXI. *Antiſtites ex aliis S. Bernardi cœnobiis. Magnates in iiſdem.*

Adducamus habenas, vt finem aliquando inuenire poſſit oratio. Quis enim ſubductioni figeretur terminus ſi alios eiuſmodi fauos è reliquis tam multis aluearibus opere B. Bernardi conſtructis cœlo illatos, enumerare conſilium eſſet? Ecquis verò alterius B. Bernardi cerificationis ex mortalium ſenſu lectiſſimæ & glorioſiſſimæ, plenam expreſſionem auſit recipere: quin excurrat propè in immenſum? Quis inquam Pontifices ſummos, purpuratos patres, præſules alios; etiam Reges ac principes, qui in variis à S. Bernardo ſtructis vel informatis cœnobiis claruerunt, vel ſi duntaxat appendere & capitatim enumerare aggrediatur, dicendi finem niſi admodum ſerus inueniat? Extant confertiſſimi huiuſmodi perſonarum indices, quibus adſcribũtur *a* ſummi Pontifices quatuor, Cardinales duodecim, quatuordecim Patriarchæ, Archiepiſcopi octingenti, mille ac quadringenti Epiſcopi. Tanta nomina adeò ieiunè præterire, vix dignum venia habetur. At manifeſtè reus teneat ſi ex his exoticis S. Bernardi alumnis vnum Claræuallẽſis diſciplinæ lacte extra Claram vallem egregiè educatum, ſilentij ſipario obduxero. Nomen illi *Iacobus Furnerij*, cognemento *Nouellus*. An

a Laurent. zamora in myſt. monar.

quia

quia creatus Romanus Pontifex Benedictus ea appellatione duodecimus, inſignem nouitatem nullo vnquam præconio exæquandam intulit in Dei Eccleſiã? M. S. Codex Fuxenſis de geſtis Principum Aquitanorum, ait iure appellatum *Benedictum*, quippè de quo omnes benè loquerentur, nemo ac ne peſſimus quidem, malè. Additúrque ibidem, fuiſſe ex optimis Pontificibus Eccleſiæ Dei rectoribus, hunc nõ poſtremum, & clarum miraculis, nec minus meritis quàm annis grauem exceſſiſſe è vita ſepultum Auenione in perilluſtri Eccleſia Metropolitana. Conſtantiam probauit cum à Philippo Francorum Rege interpellatus vt aliquid Pontificem dedecẽs concederet, reſpondit non habentem niſi vnam animam annuere non poſſe. Itaque petitiones ſuas ad eam rubricam dirigeret, nihil vt proponeret quo conceſſo Deus offendi poſſet: in his quippè certum ſibi ac fixũ eſſe nulli ac ne Regi quidem gratiam vllam facere. Itaque iam negata crederet quæcunque talia eſſet aliquando propoſiturus. Adeò non reſpexit carnem & ſanguinem, vt cognatos omnes laicos in humili ſorte anteriore perſtare voluerit: Cúmque eſſet ei vnica Neptis à multis magnatibus in coniugem expetita, feſtiuo ioco omnes eluſit, dicens *quod ea ephippia talem equum non decerent.* Itaque filio Toloſani mercatoris conſentaneè ad ſortem primam, deſpondit Neptem. Et venientes ad ipſum, Auenionem Nepotẽ nouum ac Neptẽ cõiugem, excepit precisè vt Iacobi Furneri nepotes, quod diceret Romanũ Pontificem, neque cognatos, neque affines vllos habere. Et quod æui illius Hiſtoricus Albertus Argentinenſis tradit, illud Dauidicum ad mentem ſuam aptatum, pro teſſera adhibuit; *Si mei, non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Quare illos quos dixi cognatos, non niſi expenſis itineris inſtructos, domum ſuam remiſit nefas ducens, bona Pauperum in ſuos effundere. Vir fuit

Digitized by Google

doctiſſimus, quod teſtantur pleraque ab eo ſcripta ſapienter,& deciſio queſtionis de viſione ſubita Dei per animas plenè purgatas, quæ diſputatio ancipitem diu habuerat Ioannẽ XXII. Nec ſanctitas & vitæ nitor, ſapientiæ impar fuit, vt mirum ſit, Sycophantam Squarciaficum in commentario de rebus geſtis Franciſci Petrarchæ, ſpurca quædam de ea lutulenta ſcrobe à Mornæo auidè hauſta, tanto Pontifici affingere auſum quæ ne referre quidem iuſtum eſt, adeò à viri ſanctiſſimi moribus,& omnium de eo ſcriptorum teſtim*oniis* ſunt aliena. Hanc vnam (vt ſic dixerim) ſpicam ex alio quàm Claraualleņſi agro lectam, ſed petito inde ſemine ſatam, pro Sanctorum Antiſtitum plena meſſe è S. Bernardi externis noualibus adunanda, inferre placuit, fraudatum nolens S. Bernardum ea gloria, quæ maxima in illum tanquam Patrem, è filij adeò ſapientis in tam ſublimi ſtatu micantiſſimis ſanctitatis radiis refunditur.

Nonnullius in hoc vno è ſacris extra Claram vallem Antiſtitibus remoræ, damnum penſabo tacitis de nomine omnibus è cœtu Magnorũ qui ſunt in terra in D. Bernardi aluearia illatis: Quanquam numerantur inter eos, Reges tres, Regum filij decem, principum minorum ac dynaſtarum ſeries populoſiſſima: quæ ego non modò amplificare dicendo nolo, ſed ne communi quidem diligentia adhibita percenſere dignum duco; ne ſancti Bernardi decora vel nimium diffundere adigar, vel ex iſtis maximè pendere quod apud mortales maximi fiant, exiſtimaſſe videar: cum tamen ratum ſit apud ſapientes,& B. Bernardi exemplo ac doctrina firmatum, æmulanda eſſe chariſmata meliora, nec præcipuum aut maximum religioſi cœtus ornamentum, honorum, vel ſacrorum admiſſis, vel ſecularium abiectis apicibus, definiri oportere. Itaque obiter iſta perſtrinxiſſe ſit ſatis, tantùm vt perſpicuum ſit (quod in

ſimili

ſimili cauſa dictum eſt à S. Paulino, *b*) [id quoque ad operis ſui gloriam Dominum contuliſſe, quo magis cõfunderetur iſte mundus qui talibus titulis gloriatur; vt quo vanitas hominum ad contemptum Dei vtitur, iſti potiùs ad contemptum mundi vterẽtur: ſimul vt maior ſalutaris exempli proderetur autoritas, humiliandis ſuperborum oculis, perſonæ celſiore gradu ad humilitatis cultum ob amorem Dei deiectæ ſublimiter, pauperatæ diuites, & nobiles humiliatæ confunderent.] *b* Epiſt. 10.

Dictum eſt de cellis ac cœnobiis virorum, & B. Bernardi circa illa labore, quantum ſatis. Quæ enim ad eandem cerificationem pertinere præterea poſſunt acceſſoriæ inſtitutorum S. Bernardi familiæ, quod adiunctæ duntaxat ac velut inſititiæ ſint, prętermittendæ in pręſentia videntur, tametſi nec paucæ numero, nec ignobiles in Dei Eccleſia, ſiue monaſticos ſiue militares ordines attendamus. Micuere inter monaſticos Gulielmitæ, Gilbertini, Grandimontẽſes, Montis Virginis, Vallis caulium. Militares ordines Ciſtercienſibus ſuccenturiati, numerantur complures; & in his Calatrauenſes, Auiſienſes, De Ala, De Monteſia, Alcantarenſes, Milites Chriſti, de Montfranc, S. Mauritij, de monte Gaudij, De Truxillo, De Alfama, Gladiferi. LXII. *Ordines varij è D. Bernardi inſtituto.*

Conſulto premo Templarios, ſiue milites templi. Interpoſita enim eorum per Eccleſiam ſuppreſſio, premendos ſilentio perſuadet. Et quanquam nec defuere iam olim, nec nunc etiam deſunt, *a* qui ſuppreſſionẽ illam, datam potentiæ ac gratiæ prædã captantium auſi ſint dicere, nos tamen qui ſumus, vt ponere in cœlum os, & retractare conſtituta per Eccleſiam, vel in cogitationem admittamus? Quare ſit ſanè Templariorum cauſa deplorata, nec cauſari aliquid aut mutire liceat aduerſus Iudices ſoli Deo innocentiam debentes. Quandiu tamen B. Bernardi inſtitutis inhæſere Templarij, vixere glorioſiſſimi. Nihil certè ad omnem virtutem LXIII. *Templarij initio quales.*

tutem deſiderari in eis potuiſſe tempore B. Bernardi, abundè docent quæ de eorum moribus & probatiſſima vita S. Pater tradit, *b* concludens his verbis. [Ita miro quodam modo cernuntur & Agnis mitiores, & leonibus ferociores, vt penè dubitem quid potiùs cenſeam appellandos, Monachos videlicet an milites: niſi quod vtrumque forſan congruentiùs nominarim, quibus neutrum deeſſe cognoſcitur, nec monachi manſuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum niſi quod à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Tales ſibi elegit Deus, & collegit à finibus terræ miniſtros ex fortiſſimis Iſraël, qui veri lectulum Salomonis, ſacrum ſcilicet ſepulchrum, *vigilanter* fidelitérque cuſtodiant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.] Nihil addi poteſt ad elogium quod ibi hiſce militibus contexit vir ſanctus. Nam ſiue belli ſiue pacis artes ſpectentur, eos exhibet planè dignos Chriſti milites: nec quales ſeculum duceret laudabiles ac probatos, ſed quales exquiſita diſciplina bonos & pios religioſos poteſt effingere. Et quaſi necdum ſatur laudum quas eis toto capite panxit, vir ſanctus, in eodem campo denuo excurrens, ſubiicit ſequenti capite non multo poſt de iiſdem. *a* [Deuotus exercitus, multo ſanè indignius lõgéque intolerabilius arbitrans ſancta pollui ab infidelibus, quàm à mercatoribus inceſtari: In domo ſancta cum equis & armis commoratur, tam ab ipſa quam à cæteris ſacris omni infidelitatis ſpurca & tyrannica rabie propulſata: Ipſi in ea die noctúque tam honeſtis quàm vtilibus officiis occupantur. Honorant certatim Dei templum, ſedulis & ſynceris obſequiis, iugi in eo deuotione immolantes, non quidem veterum ritu, pecudum carnes, ſed verè hoſtias pacificas, fraternam deuotionem, deuotam ſubiectionem voluntariam paupertatem.] Celebrat eoſdem Templarios & immenſis laudibus honeſtat Petrus

b Serm. ad milit. templi c. 4.

a Ibid. c. 5.

Clunia

Cluniacenſis illius æui ſcriptor, ſcribens ad Ebrardum, templi Magiſtrum. *b* Tempus edax rerum, tam lætam faciem rerum peruertit, nec deformauit modò, ſed etiam ſubruit funditus. Ab initio autem non fuit ſic. Quis enim B. Bernardum & Petrum Venerabilem in laudes cœtus illius tantoperè effuſos, vel deceptos effutiat, vel adulatos blaſphemet? ſed nimirum etiam vina optima aceſcunt, mundus ipſe tempore procedente conſenuit, vt S. Cyprianus diſputat. *c*

b L. 6. Ep. 26.

c Ad Demetr.

LXIV. *Fulienſium, & Barrerij autoris elogiolum meritis impar.*

Vt apud Deum vno auulſo non deficit alter (ſicut S. Gregorius piè æquè ac plenè diſſerit) ita eadem prouidentia quæ ramum aridum nec niſi inſititium abſcindi ſiuerat, ſuffecit cum opportunum factu duxit, germen radicum ſanctarum, lectum planè & eximium; Fulienſem dico familiam, tantæ in Eccleſia ſpecioſitatis, fragrantiæ, vbertatis ſanctorum fructuum, quâ piis exemplis, quâ verbo & doctrina, vt nihil ad omnium religioſæ familiæ laudum cumulum deſiderare liceat. Autor Ioannes la Barriere, S. Bernardi parelion; homo cui ſecundas peſt Pachomios, Macarios, & illa vetuſta monaſticæ ſeueritatis columina, ſolum tempus dedit; ac vt vno verbo religioſum perfectum cum Caſſiano *d* depingam, VIVVS MARTYR. Nihil mihi ſupra verum excidere, argumento eſſe poſſunt quæ ipſemet ſupra communem aſcetarum vſum, in ſeipſum piè ſæuiens ſibi intulit, & quæ inuidia malignitatem exacuens, incentore Satana in illum tentauit, ſorte nō noua ſanctorum omnium, à mundo, & Orco. Sed Deus ſignis multis ac viſis, ſuperſtitem, nec paucioribus ſupra naturam operibus ſeruum ſuum vita functum honeſtauit, *e* plenè illuſtraturus in tempore.

d collat. 18. c. 7.

e In menol. Ciſterc.

LXV. *Moniales ex D. Bernardi inſtituto.*

Non pauca de virorum cellis à S. Bernardo ſtructis prolocutus, de molliore ſexu ſilere prorſus non debeo. Nec enim eius occaſione, ſancto Bernardo laus ſua defuit. Sanctimonialium, Beati Patris ductu viuentium examî

examina,orbem complerunt. Quatuor in his Reginæ: Altero tanto plures Regum filiæ. Inferioris ordinis Principes, magno numero. Quid iſta vel commemoro,quaſi multum diſtet inter lutum & lutum; aut quaſi in Dei ancillarum laude ponendum ſit,quo conculcato laudantur? [a Apud Deum, genus probatum, virtutis proſapia eſt;quia ſicut hominum genus homines,ita animarum genus, virtutes ſunt.] Hærendum potiùs,ſi tempus ferret,in ſanctarum quæ huic inſtituto adhæſerunt,recenſione. Multas hac cœleſti virtutum nobilitate perilluſtres, proferre liceret. *Quanta* enim apud Deum gratia Humbelina ſancti Patris carne ac ſpiritu ſoror è coniugio cœlitùs auulſa ad Chriſti connubium? Item Agnes,Catharina, Aleys, Elizabetha, Mecthildis,Germanicæ; Chriſtina, Vda, Margareta,Ozilia,Belgicæ; Hemelina,Maria,Oïldis,Emergardis, Gallicæ;Margareta, Britanna; Mafalda, Maria, Gratia,Beatrix,Lucia,Hiſpanæ. Aleys Gertrudes,Heduuiges,Polonæ;Margareta Hetruſca; Franca Placentina,aliæ ex aliis oris complures?Deo gloria, cuius benignitas nec in his ſeculorum fœcibus,tales flores religioſæ ſanctitatis,deſiderari permiſit. Qui enim alicubi præ ſenio marcuiſſe videbantur horti virtutum, fœliciſſimè nuper reuiruerunt,colono primo,Franciſco de Sales,beatæ memoriæ Antiſtite; annitente & ſacrum opus vrgente Ludouica Tereſia de Balon; quæ mox in laudis partem vocauit,támque ſancti propoſiti participes & cooperarias habuit inter primas,Ludouicam Mariam de Paſquier,& Ludouicam Cæciliam de Ponçonas,illuſtres nobilitate & pietate virgines. Tempero laudibus vernantiſſimi cœtus, quod nec in communi omnium approbatioue ſint neceſſariæ,nec poſſint intra has anguſtias temporis, pares aut vtcunque conuenientes deferri. Habemus multiplices omnino cellas,ab ape myſtica,S.Bernardo,fabricatas.

a S.Ambr. l. de Noë cap. 4.

Non

Non in felici duntaxat cerificatione ac tot cellarum, imo aluearium ſtructura, eximiam prudentiam prodidit S. Bernardus, ſed & apum inibi operantium prouidentiſſima rectione, eum ſe exhibuit, qui Rex apum meritiſſimò audiret. Regi apum, vel aculeus nullus eſt ſicut cœteris apibus, quod viſum Columellæ, *a* ac Senecæ, *b* inde præpoſitos ad clementiam adhortanti: vel ſi aculeum reuera habet, quod tradunt Ariſtoteles, *c* Plinius, *d* Baſilius, *e* Ambroſius, *f* conſtat tamen apud omnes, eum maieſtate ſola armatum, aculeo non vti, quod æquè commodat ad clementiæ exemplar in eo ſtatuendum. Noſtro myſticarum apum rectori quanta in regendo vt prudentia ſic & lenitas fuerit, eſt profectò admiratione & imitatione digniſſimum. Non ille ferocire, & rapidi torrentis inſtar, omnia in quæ incurreret abripere, hoc demum eſſe regere & hominibus præeſſe exiſtimabat, quod faciunt petulantes quidam præfecti, longè alio ſpiritu quàm S. Bernardus; Non infractam ſemper & nunquam inflexam duritiem pro conſtantia rectionis adhibuit; Non muſcas defectuum in ſubditis, ad vaſtitatem elephantorum amplificauit vnquam; Etiam ipſæ obiurgationes queis indociles caſtigabat, plenæ lenitatis, plenæ ſuauitatis, omnino abſque aculeo erant. Quæ de ſenſu ſuo inter arguendos & corrigendos alios, ipſemet tradit ſermone in Cant. 42. eiuſmodi ſunt, vt ad eximium in hoc genere prudentiæ ſimul & charitatis ac benignitatis exemplum, poſſint ſufficere. Mihi præter cætera, valdè arriſit quod à Goffrido notatum eſt, *g* virum ſanctum ea diuina prudentia temperare correptiones ſolitum, vt ſi quando in rupem; in aliquod inquam durum pectus incurreret eius oratio, non obfirmaretur ipſe è contrario, ne ex attritu excitarentur ſcintillæ, ſed cederet in tempore capturus opportunitatem, qua per ſubditi animum non exaſperatum benè ac fructuosè poneretur

LXVI. *S. Bernardi rectio in tot à ſe structis aluearis prudentiſſima.*

a Lib. 9

b Lib. 1. de Clem c. 19.

c L. 5. hiſt. c. 21.

d L. 11. c. 17.

e Hom. 8. exaëm.

f v exaëm. c. 21.

g Lib. 1. vitæ c. 6.

tur opera. [Dicebat enim ; vbi reſonat vtrinque modeſtia, dulce eſſe colloquium ; vbi vel ex parte altera, vtile;vbi ex neutra,pernicioſum. Vbi enim hinc inde duritia ſonat,iurgium eſt non correctio ; nec diſciplina,ſed rixa ; vt deceat magis interim diſſimulare prælatum , & commotione amota vtilius caſtigare ſubiectos: aut certè ſi ita res exigit, obſeruare conſilium ſapientis,quia ſtultus non corrigitur verbis.] In ſingulorum morbis deprehendendis atque curandis,in proſpiciendis labendi diſcriminibus quoad ſingulos curæ ſuæ concreditos,in promouenda ſpiritus vbertate , *nemo* hoc ſacro præfecto ſollicitior , nemo perſpicacior, accuratior & diligentior nemo. Diuinam rectionem tanquam perfectam *veræ rectionis humanæ ideam*, imitatione quàm poſſet accurata exprimere in iuſſis ferendis,in capeſſendis conſiliis,in omnibus boni præfecti partibus obeundis,ſcopus illi vnicus fuit.Nihil ad hanc in religioſa familia regenda ſapientiam, planéque cœleſtem prudentiam,deſiderari poſſe video. Nam illam à Chriſto infatuatam carnis prudentiam , quam maleſani quidam adhibent,toti in re familiari amplificanda & cenſu domeſtico adaugendo , S. Bernardus *a* in religioſo præfecto deſpexit:nec abs re Ioannes Sarisberienſis,*b* tanquam ſpuriam exagitauit.

a In apol. ad Gul. *Abbat.*
b Lib. 8. polycr. c. 7.

Iam inſinuaui,S.Bernardum totius Ciſtercienſis familiæ rectionem neque vt fundatorem primum,neque vt generalem moderatorem eſſe ſortitum. Fuit tamen eius ex maxima parte plantator , & quâ monitis, quâ incenſis ad omnem virtutem adhortationibus , veluti curator vniuerſalis , ac ex voluntaria omnium ſubiectione totius illius ſacri cœtuſi communis rector haberi poteſt. Itaque attingamus perpaucis virtutum florulentiam & odoris in Chriſto fragrantiam in Ciſtercenſi familia per ea prima tempora ex S.Bernardi inſtitutione. Sic enim de fructu prudentiſſimæ re-

ctionis

ſtionis S.Bernardi,& diffuſa quaquauerſum ab eius informatione per Ordinem Ciſtercienſem ſanctimonia, apertiùs liquebit. Non tenui illa in hanc rem ex Petro Cellenſi *a* cum Nicolaus mutatus in virum alterum, neſcio quas nugas Ciſtercienſibus impingeret. *a* Ep. 112.
[Ciſtercienſes nugas neſcio quos præ aliis mortalibus, ſeriis & ſine fine manſuris intendere video. Hi ſunt qui monetam noſtri iam in agonia poſiti ordinis reformauerunt. Hi ſunt qui regulam B.Benedicti penè combuſtam, ſicut Eſdras veterem legem,reſtaurauerunt. Hi qui cum Apoſtolo Corinthiis, ideſt agricolis & ruſticis ſecularibus oneroſi non ſunt,ſed propriis manibus laborantes, ſe & alios pauperes pro poſſe exhibent. Caſtra illorum caſtra Dei ſunt, vbi nocte in pſalmis & orationibus parati ſunt ſuſcitare Leuiathan qui ſub vmbra dormit in locis humentibus: & in die in agro Iericho principi militiæ occurrunt, qui tenet gladium bis acutum vt ſuperflua reſecet cogitationum & operationum :] Non minùs parcè Ciſtercienſium decora executus eſt Petrus Bleſenſis.*b* [Vna *b* Ep. 82.
(inquit) omnium vox eſt, quia Ciſtercienſis Ordinis profeſſores,tanto differentiùs præ cæteris, triumphales ſanctitatis titulos referunt, quanto expreſſiùs religionis Apoſtolicæ veſtigiis inhæſerunt; cum in tenuitate ciborum, in aſperitate veſtium, in vigiliis,in confeſſionibus, in diſciplinis, in pſalmis, in humilitate, hoſpitalitate, obedientia, charitate, & cæteris quibus fructus vitæ ſeminatur in terris, deprimatis carnem, ſpiritum erigatis.] Et Epiſtola ad Alexandrum in Cartuſia vacillantem. *c* [Ferrem patientiùs ſi ad Ciſtercienſis ordinis obſeruantiam te transferres.Si enim in *c* Ep. 87.
propoſito religionem habes, ibi probatiſſima religionis ſchola eſt; ſummus ibi modeſtiæ vſus, morum regularitas,fraternitatis affectio,pax animi,omnium communicatio,mutua obſequela, diſciplinæ vigor, amor obe-

Digitized by Google

dientiæ, vinculum charitatis, carnis ſeruitus, hoſpitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, deuotio pſalmodiæ.] Et Epiſtola nomine Richardi apprecantis ſibi Ciſtercienſium apud Deum ſuffragationem, cum eſſet in Cantuarienſem Archiepiſcopum electus. [Inter deſiderabilia huius mundi, præcipuum apud me verſabatur in votis, veſtræ ſanctitatis conuentui præſentialiter intereſſe, ſed nouæ vocationis occupatio, & incumbens negotiorum prolixitas, fructum optatæ iucũditatis inuidet mihi, nec me caſtris felicibus ad tempus intereſſe permittit: O Caſtra optabilia & congregatio veneranda! O Ciſtertium, quàm magna eſt domus tua, quàm fœcunda in filiis, quàm magnifica in linguis, quàm glorioſa in populis.]

Sed nemo pleniùs, ſollicitiùs, accuratiùs Ciſtercienſium religioſa decora expreſſit quam Stephanus S. Genouefæ Abbas, poſtea Tornacenſis Epiſcopus, qui tunc ſcribebat cum paulo antè mortuo S. Bernardo, ſpiritus ab eo in Ciſtercienſem familiam vſquequaque diffuſus, vigeret mirificè. Rogatus ergo Stephanus à Priore Pontiniacenſi de Nouitiis quibuſdam è cœtu Grandimontenſi ad Ciſtercienſem tranſlatis quorum cauſa videbatur ambigua, inprimis reſpondet Grandimontenſes admodùm religioſam agere vitam, quam miris laudibus cumulat. Tum addit, eos tamen qui relicto Grandimonte Ciſtercienſem familiam Pontiniaci iniuerant, meliora & viciniora ſaluti quæſiſſe & de Silo in Hieruſalem aſcendentes tranſtuliſſe tabernaculum ſuum, imitatóſque columbam ſpiritus S. Symbolũ, inter bona grana elegiſſe quod melius: beatum autem eſſe non tantum qui iudicat inter diem & noctem, ſed qui iudicat inter omnem diem. Hinc expatiatur in Ciſtercienſium virtutibus & eximiis decoribus, vt anteferat Grandimontenſibus. [Ciſtercienſium

Ordi

Ordinem quaſi lucernam ſupra montem poſitam quis in Eccleſia Dei,maximum & præcipuum culmen non dicat attingere?Euangelium implentes,monaſticam regulam quam ſupererogauit Benedictus pater, fidelis, Samaritani ſtabularius, ſic obſeruant vt nec vnum ex eo iota præterire videantur. Beata paupertas eorum quæ licet eos fame premat & frigore , non tamen aut mendicare compellit aut diuitibus adulari. Suis ac ſuorum manibus victum exquirunt & veſtitum , non veriti ſequi Paulum qui cum licitè poſſet de Euangelio viuere,ac ſpiritualia ſeminans carnalia metere,maluit tamen manibus operari , ne quod offendiculum daret Euangelio Chriſti. Honorant Dominum de ſua,nō de aliena ſubſtantia, & de primitiis frugum,non alterius ſed ſuarum , dant pauperibus. Quanquam rectiùs non ſua ſed omnium dixerim,quæ vniuerſis ſecundùm gradus ordinatæ charitatis quaſi in commune deſeruiunt. Nec enim buccellam ſuam comedunt ſoli & non comedit cum eis pupillus ex ea. Non deſpiciunt prætereuntem & abſque operimento pauperem,ſed benedicunt eis latera pauperum & de velleribus ouium ſuarum calefaciunt. Et eorum quidem lateribus pannos circumdant ſicut deſpicabiles pretio,ſic inapplicabiles ornamento. Conqueritur ipſa natura quæ modico ſolet eſſe contenta , quod tegumenta eorum ei non ſufficiant in Hyeme & officiant in æſtate. Oſtiū eorum viatori patet nec foris remanet peregrinus. In ſudore vultus ſui veſcuntur pane ſuo,nec eos laſciuire & rixari faciunt otium & alienus cibus:tanta in cibo parſimonia vt duobus tantùm pulmentis vtantur,quæ aut ager ex leguminibus aut ex oleribus hortus affert. Ipſis tanto rariùs vtuntur, quanto frequentiùs apud eos audiri ſolet quàm videri. Terram diſrumpunt voluntarij & violenti diripiunt cœlum. Si numeres quot ab eis beneficia profluant in populum,

Digitized by Google

plura conferunt vniuerſitati, quàm vniuerſitas ipſis: Parua ſunt hæc, & quæ terrenos vel alliciant vel prouocent appetitus. In eis nec fœcunditati *Liæ* Rachel inuidet, nec Rachel pulchritudinẽ Lia minuit, ſed munit. Non murmurat Martha de ſilentio Mariæ: & inuicem dicta Maria deſiſtens ad pedes Domini, Martham ſolam miniſtrare non relinquit. Inter eos iuge gaudium, communis exultatio, vbi nihil extra diſciplinam, nihil contra. Mirantur homines, delectantur Angeli, fugiunt partes aduerſæ, quoniam ſancta illa *Congregatio* terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata. Illic nec bobus præfertur aratrum, nec à capite deorſum pendet Dominus, nec idiota docet clericum, nec laicus imperat ſacerdoti. Ibi maiores minoribus prudentiores præſunt indoctis, qui & vitæ ſanctitate præeminẽt & intelligentia ſcripturarum. In arca illa non eſt virga ſine tabulis teſtamenti, quia qui poteſtatem habet corripiendi, habet & ſententiam corrigendi. Diuina officia cum tanta ſolemnitate & deuotione celebrant, vt eorum concentu voces Angelorum ſonare putes in pſalmis & hymnis & Canticis ſpiritualibus: ad laudes Dei inuitant homines, & Angelos imitantur. In iis qui clericus fuerit tanto liberiùs delectatur, quanto remotius eſt ab eo laicorum fabulis intereſſe. Extra oratorium aut operi manuum dant operam, vt ſemper eos Diabolus inueniat occupatos, aut legendo concipiunt, aut ſanctis meditationibus cœlos penetrant, vt in paradiſo audiant illa arcana verba quæ non licet homini loqui. Regreſſi à fratribus, tantam ori ſuo imponũt cuſtodiam, quantum otium labiis ſuis, vt cultum iuſtitiæ ſilentium, ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini aut terni ſeorſim per angulos clauſtri fabulis vacant, qui nec inter ſe, ſeria ſerere permittuntur. Tenent memoriter quia in multiloquio non effugerent peccatum, & quaſi naturæ bellum indicentes, modicum

dicum illud membrum quod magna exaltat, non modica diſciplina coercent,&c. Tam ſancto & cœlis proximo monte iſto, montem non inuenies, grandiorem. Verè mons iſte, mons coagulatus, mons pinguis: coagulatus in vinculo pacis, pinguis per infuſionem gratiæ cæleſtis. Quis grandis mons, grandior iſto monte? Nubes penetrat, cœlos attingit, longè inferiùs montes alios & colles relinquit. De rore cœli & de pinguedine terræ, plenam ſuſcipiens benedictionem, &c. Viri illi Euangelici & Angelici, non ſunt filij mortis nec tenebrarum, quoniam ſic lucet lux eorum coram hominibus, vt videntes opera eorum, glorificent Patrem ſuum qui in cœlis eſt. Spectaculum ſunt & Angelis & hominibus, vt & eorum manifeſta conuerſatione, & Angeli congratulationis gaudium, & homines ſumãt imitationis exemplum. In illo ſancto collegio de fermento Phariſæorum, vel ſimulatio vel diſſimulatio nihil penitus intermiſcent. Nec enim aut ſimulare quæ non ſunt, aut quæ ſunt diſſimulare volunt, ſcientes quod ſimulatores & callidi prouocant iudicium Dei. Intrat quilibet quaſlibet eorum officinas & ſingulorum officia certis diſtincta finibus, attrectare manibus, oculis curioſis inſpicere, æſtimare animo, lingua diiudicare fas eſt. Nec enim declinant humanum iudicium qui ſolum timent diuinum.] Hæc de Ciſtercienſibus ex S. Bernardi ſpiritu tunc calente; (nam modico admodùm temporis ſpatio præceſſerat,) vitam exigentibus omnibus numeris abſolutam, homines externi, quorum non intererat amplificare Ciſtercienſium ornamenta, aut gratis confingere. Eam porrò gloriam vniuerſam, ad S. Bernardum totius familiæ Ciſtercienſis excultorem, aut curatorem pertinuiſſe, eiúſque prudentiſſimæ rectionis fructum fuiſſe, iam dixi. De cera, fructu priore apis myſticæ, actum plus ſatis.

Pergo ad fructum alterum, quem dulcoris initium LXVII.

Digitized by Google

Mel fructus alter apis myſtica, duplex, aquè ac cera.

c Sermo. 31.

habere, expertis æquæ ac inexpertis, fruſtra dicitur. Mel quadruplex, cum phyſicè tum myſticè diſtingui à Petro Bleſenſi c memini, his præter cœtera. [Conſidera diuerſa genera mellis in rerum natura, quia præter mel ſylueſtre, quod ex arundinibus colligitur, quo forte vſus eſt præcurſor Saluatoris, quatuor ſunt genera mellis. Inuenitur enim mel ſuper faciem agri in foliis, vel herbis. Inuenitur mel in truncis arborum, de quo primitiui homines qui glandibus, & fagina veſcebantur, tenuem ſibi victum quæritabant. Colligitur mel de caſulis fabrefactis, quas Aluearia dicunt, quas *Paſtor* Ariſtæus excogitauit, ad colligendum examen Apum, cum ex putrefacto Iuuenci cadauere apes reparaſſet. Reperitur quoque mel in foramine Petræ. Secundùm hæc quatuor genera mellis quatuor genera ſcientiarum collige. Prima enim eſt Philologia, quàm Philoſophus vocat Theoricam; ſecunda quam dicit Practicam, tertia quam appellat Sophiſticam. Quartam ignorauit Philoſophus quam nos dicimus Euangelicam. Prima eſt tanquam mel ſuper faciem agri, quia cauſas naturales, quas Deus in rebus conditis occultauerat, in eminenti poſuerũt Philoſophi, vt & ipſi eminerent ſecundùm illud. *Linguam noſtram magnificabimus.* Practica eſt tanquam in truncis, quia neceſſitatibus hominum neceſſaria eſſe dignoſcitur. Sophiſtica eſt tanquam mel latens in caſulis, eſt enim apparens & non exiſtens, ad quam mulier audax & fatua prouocat, aquas tranſeuntes furtiuas, & ſuauiores, & panem abſconditum iucundiorem eſſe proteſtans. Euangelica, eſt quaſi mel de Petra: agens ſcilicet, de petra, ſuper quam fundata eſt Eccleſia. Circa primam verſatur Philoſophus, circa ſecundam Politicus, circa tertiam Hæreticus, circa quartam Catholicus.] Non diſplicet à Bleſenſi adhibita mellis partitio. Opportunior tamen præſenti inſtituto erit alia anguſtior, nec niſi bimembris,

Digitized by

bris, vt quemadmodum geminam ceram, ita & mel proponamus duplex, orationis vnum, virtutum alterum.

Nihil ſanè apud externos æquè ac noſtros decantatius, quàm vt virorum eloquentiæ laude inſignium oratio, melle dulcior fluere dicatur. Hoc de Neſtore Homerus, Eupolis de Pericle, de Xenophonte Tullius prodidit, de aliis alij. Videſis Delrium. *a* Nota futuræ facundiæ præſagia ex apibus, infantium labellis mel inferentibus. Hoc de Platone, Hierone, Lucano poëta, S. Ambroſio, ſcriptum, neminem latet. Pindari in ore, cum adoleſcens obdormiſſet in via Thebis Theſpias, perſpicuo melicæ eius facundiæ præſagio, mellificaſſe apes ferunt: quod ad Maronem abſque antiquiore ſuffragatore extendit Iouianus Pontanus. *b* Ægyptiis, Plutarcho referente, *c* qua die Mercurij eloquentiæ præſidis feſta agitabant, mel eſitare moris erat, quod ſit eloquentia quid dulciſſimum. Nec abludit quod Rupertus exponens allegoricè fauum mellis è leonis faucibus à Sampſone lectum, ſymbolum id eſſe dixit Chriſtiani Oratoris, è cuius ore defluit mel orationis. Eiuſmodi fuit iudice Ennodio, Ticinenſium Antiſtes Epiphanius, cuius melleam eloquentiam inde celebratam legimus, quod [nitida ſemilabia commendabant dupliciter mella ſermonum.] Concinnè ad Olybrium virum diſertiſſimum idem Ennodius. *a* [Dum fauos loqueris, & per domos cereas eloquentiæ nectare liquentis elementi mella componis, peregrinum labiis meis ſaporem epuli diuitis infudiſti.] Hanc ipſam laudem ſponſæ pangit ſponſus ſic eam affatus. *b* *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Alibi item Sapiens. *c* *Fauus mellis compoſita verba.* Verſio alia habet. *De ore prudentis procedit mel.* Prudentem enim eo loco, licet accipere virum eloquentia ſacra clarum & prudentem eloquij myſtici, hoc eſt diſertum

LXVIII. *Mel orationis ſuadentis.*

a Cant. 4. v. 11. n. 1.

b Lib. 2. de ſtellis.

c L. de Fide.

a L. 1. ep. 10.

b Cant. 4.

c Prou. 16.

Digitized by Google

ac eruditum rerum ſacrarum tractatorem, qui nihil ſuadendum ſuſcipiat quod non perſuadeat. Poſſis etiam prudentem de cuius ore mel procedit, intelligere eum qui rixantibus atque diſcordibus, prudenti ac dulci oratione mel conſenſionis inſtillet. Alterutram verborum Sapientis gloſſam amplecti placeat, cadet in S. Bernardum belliſſimè.

LXIX. *Vis perſuadendi Inſignis in S. Bernardo adoleſcente.* Eius melleam & ad perſuadendum efficaciſſimam dicendi vim, nemo ſatis pro dignitate miretur, nedum exponat. Non ago de eo iam Abbate, vel etiam *Monacho*; ſed in veſtibulo adhuc hæreo, & Bernardum adoleſcentem, in ſeculo etiamnum morantem, nec niſi circiter vicennem ſpecto. In ea ætate, eóque ſtatu poſitus, Galdrico patruo, viro potenti & militari gloria claro, vt diuitias quibus abundabat & mundi oblectamenta fucóſque voluptatum monaſticis imbonitatibus lubens mutaret, ſua illa mellea dicendi facultate autor fuit. Quatuor germanis ſuis Andreæ, Bartholomæo, Guidoni, Gerardo, tandémque quinto Niuardo, ſeceſſionem à ſeculo perſuaſit: Tantámque poteſtatem verbis eius ad mortales ſanctè ineſcandos, & à ſeculi vanitatibus falsíſque inſaniis, imo quod Maximus Taurinenſis pace Pſaltis mutandum cenſuit, inſaniis veris, ſine mora abſtrahendos contulerat Deus, vt ſcribat Gulielmus S. Theodorici Abbas, autor grauis S. Bernardo præmortuus, vt proinde vel iſta perſpexerit ipſe, vel ab oculatis teſtibus audiuerit; ſcribat inquam Gulielmus [a] rem propè incredibilem, nunquam certè alias viſam vel auditam. Nimirum Bernardo huc illuc ad homines vitæ monaſticę amore ineſcandos diſcurrente, & conſiliorum Euangelicorum vexillum vbique attollente, matres paſſim ne à pio ſeductore pellicerentur ad monaſterium, latebris obtexiſſe liberos: vxores ne maritis audiendi Bernardi copia fieret, omni ſtudio ſategiſſe, quod ſeculi faſtidium eo alloquio ingenerandum

[a] Lib. 1. c. 3.

dum

Digitized by Google

dum non dubitarent: amicos denique amicis timuiſſe, ſi audirent Bernardum; [quia voci eius (reddo Gulielmi verba,) Spiritus ſanctus tantæ vocem dabat virtutis, vt vix aliquis aliquem teneret affectus.] Nullus erat nexus adeò arctus, non liberorum, non coniugum, non amicorum, cuius abruptionem mel de prudentis Bernardi ore procedens, dulcem ac ſuauem non faceret.

Et miramur qui hæc adoleſcens potuit, iam grandem natu & diuinis ſignis prodigiíſque illuſtrem, tantum vi dicendi & mellea orationis copia valuiſſe, vt nihil non aſſequeretur quod haberet propoſitum? Goffridum Abbatem *b* multa generatim hoc in genere paucis cõplexum, iuuerit audire. [Quàm placabilem, & perſuaſibilem, quámque eruditam linguam dederit ei Deus, vt ſciret quem & quando deberet proferre ſermonem, quibus videlicet conſolatio, vel obſecratio, quibus exhortatio congrueret, vel increpatio, noſſe poterũt aliquatenus, qui ipſius legerint ſcripta, & ſi longè minùs ab eis qui verba eius ſæpiùs audierũt: ſiquidem diffuſa erat gratia in labiis eius, & ignitum eloquiũ eius vehementer, vt non poſſet ne ipſius quidem ſtylus licet eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere feruorem. Mel & lac ſub lingua eius, & nihilominus, in ore eius, ignea lex, iuxta illud Cantici Canticorum: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*]

LXX. *Quantum in eodem iã grãdi natu.*

b L. 3. vitæ, cap. 3.

Quod continenter ſubnectit Goffridus, ad miraculum, me quidem iudice pertinet, & quidem illo ipſo aliqua ex parte ſuperius, quo in Catholicæ Eccleſiæ natali Deus corporatus & paſſus pro mortalibus, exoticis ſermonibus quibuſvis ex ore Apoſtolorum inſonuit. Sic enim addit Goffridus. [Inde erat quod, Germanicis etiam populis loquens; miro audiebatur affectu, & ſermone eius, quem intelligere vt potè alterius linguæ homines non valebant, magis quàm ex pe-

LXXI. *Præſertim, inter concionandum.*

ritiſſimi cuiuſlibet poſt eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum deuotio videbatur, & Verborum eius magis ſentire virtutem. Cuius rei certa probatio, tunſio pectorum erat, & effuſio lachrymarũ.] Apoſtolorũ ora in omnes linguas laxata, redditúmque populis eſt Sophoniæ vaticinio labium vnum, ac quod S. Cyrillus *a* egregiè proſequitur, reſtitutam humilibus locutionis veritatem quam ſuperbia confundens in varia & peregrina ſingulis idiomata diffuderat, meritò miramur, meritò celebramus. Ad*mirandos* motus animorum, in ea vt Chryſoſtomus *b* iure nominauit, feſtorum noſtrorum Metropoli excitatos, quæ oratio aſſequatur? Verum quomodocunque illud prodigium acciderit, res agebatur cum ſcientibus ſermonis. Omnes quidem qui ad confertiſſimam multitudinem ex omni natione quæ ſub cœlo eſt adunatam, verba faciebant, Galilæi erant: ſed audiebat tamen vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Inde ſalubris mentium contritio, inde ob ſcelera gemitus & fontes lachrymarum ad eluendas noxas, percuſſis bis virga ſilicibus, duris inquã pectoribus quod Seuerianus Gabalorum Epiſcopus egregiè perpendit, *c* ad crucem Dominicam admotam, oratione Apoſtolorum perſpicuè intellecta largos in fletus exundantibus. Hîc quod eſt profectò longè admirabiliſſimum, ſonus nudus, ac velut animæ expers, quippe à populo ignoti ſermonis exceptus, præſtat tantundem.

a In Glaphyr.

b Hom. 2. de Pentec.

c Orat. de cruce.

LXXII. *Et in vrgendo ad bellum ſacrum.*

Mellis de B. Bernardi ore procedentis ad perſuadendum efficaciſſimi exempla propè innumera ſilentio premere, conſilium eſt: vnum quod inauditum meritò videatur, penéque ad miraculum accedat, placet attingere. Terra, domini pedibus calcata, data erat in manus impiorum. Venerant gentes in Dei hæreditatem, & quæ loca ſacris veſtigiis Deus homo factus preſſerat, ſpurci Agareni hoſtiliter occupata, in Chriſti contumeliam

Digitized by Google

liam & nominis Chriſtiani infamiam contaminabant. Fruſtra præmiſſæ eò fuerant collectæ immenſis ſumptibus acies. Exercitus magnus valdè contritus, grandi Chriſtianæ rei diſpendio, animos infidelibus auxerat, & pinguibus manubiis ditarat. Inſonabat Eccleſiaſticum claſſicum, proſtrabant Pontificiarum de theſauro Eccleſiæ largitionum diplomata, quibus Chriſtiani omnes ad ſacram militiam pro terræ ſanctæ liberatione inuitabantur. Sed hærebant omnes & horrebant anterioribus exterriti damnis, nec meliora deinceps ſperātes, cum Bernardus charum ſibi ſupra regias ædes tugurium deſerens, prorumpit in medium: & profuſo ſuo illo melle orationis, tantam multitudinem ſub crucis labarum coëgit, certaturam pro terra vbi ſteterunt pedes domini, vt ſcribat Ottho Frinſingenſis, [a] conſcriptorum vnus, orbem Occiduum quàm latè patet, perſonis ad bellandum idoneis propè vacuatum fuiſſe. Autor verò dialogi de ſynagogæ & Eccleſiæ altercatione, Giſelbertus qui tunc viuebat, in illius operis præfatione; ait, incredibilem videri potuiſſe ardorem quo fideles omnes in eas oras commigrabant, motum aquæ ab hoc Angelo Domini factum ſequentes, ita vt nec prædiis nec caſtellis nec latifundiis parcerent, ſed omnia in belli huius ſumptus profunderent: patriam verò & gentem ſuam ac propinquos, etiam vxores & natos, relinquerent tanta alacritate & ſenſus reuocantis vacuitate, ac ſi nullo eos neceſſitudinis nexu contingerent. Nec vulgus tantùm Chriſtianum, ſed magnates quoque & qui portant orbem, magno affectu concurrebant. Rex Gallorum Ludouicus, Romanorum item Rex Cōradus, eiúſque germanus Dux Baioariæ, & innumeri cum Præſules tum Principes, in ſacram militiam dedere nomina. Premerem quod ſubiicio, veritus malè increduli lectoris fidem, ac ſenſum, ni teſtis omni exceptione maior ſuppeteret. In Carnotenſi

[a] In Feder.

Digitized by Google

conuentu ad eam rem indicto,Rege Ludouico & tam multis Principibus & Dynaſtis aſtantibus, ac nomina in ſacrum bellum dantibus, Generaliſſimus militiæ præfectus,quem Reges & Principes omnéſque ad bellum illud conſcripti agnoſcerent exercitus Ducem,delectus omnium ſuffragiis eſt S. Bernardus. Abrogat mihi fidem lector. Non abrogabit ipſimet S. Bernardo, qui excuſans factum,& ſe rei geſtæ purum planè & integrum profitens; *a* [De cœtero (inquit,) verbum illud quod iam,ni fallor,audiſtis,quomodo videlicet in Carnotenſi conuentu (quonam Iudicio ſatis miror) me quaſi ducem,& Principem militiæ elegerunt;Certum ſit vobis, nec conſilij mei, nec voluntatis meæ, fuiſſe vel eſſe,ſed nec poſſibilitatis meæ, (quantum metior vires meas) peruenire vſque illuc. Quis ſum ego, vt diſponam caſtrorum acies, vt egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum à profeſſione mea, etiamſi vires ſuppeterent, etiamſi peritia non deeſſet?]

Mihi quidem hîc hæreret aqua, niſi meminiſſem, ſpiritum Domini agentem lectos illos milites, imo Præſulum,Dynaſtarum,Principum,Regum cœtum,humanis ſenſibus non alligari; & potuiſſe illis mentem iniicere,vt quem Ducem verbi habuerant, ac ſecundùm Deum,ſatorem piæ voluntatis, haberent etiam in tam pio,tam ſancto bello ductorem, & pro Deo noua bella eligente,Imperatorem.

LXXIII. *Meloratio-nis S. Bernardi in iungendis abalienatis proditum in ſchiſmate Petri Leonis.*

Quod conſcribendam non ſuſceperim ſancti viri vitam,innumera quæ in hoc genere appendi poſſent, minutè perſequi non placet: ſed quod prætereà receperam de melle ex ore prudentis procedente ad conciliandos abalienatos animos,tollendáſque diſſidentium ſimultates, comprobatum in B. Bernardo fuiſſe, paucis demonſtro. Sciderat fœdo ſchiſmate Chriſti tunicam Petrus Leonis, potentiſſimorum inter Romanos ſanguine

guine cretus, & defoſſo iampridem ſuo ac ſuorum auro largiter in profanum vulgus erogato, obrepſerat ſub Anacleti perſona in Pontificiam ſedem, exturbato Innocentio II. quem legitimus ſuffragantium cœtus, ſummum Chriſtianæ religionis Antiſtitem dixerat. Inhorreſcente magis in dies procella, portum Gallicanæ Eccleſiæ Innocentius neceſſitate compulſus captauit. Regem ac Principes, ordines denique omnes, ſed Epiſcopos maximè, offuſum mentibus nubilum occupabat. Hærebant omnes ambigui vter ſe verè Pontificem profiteretur, Innocentius vel Anacletus. Indicto in ea cauſa Stampas concilio, poſt tricas & concertationes benè multas, de omnium vnanimi ſententia conſtitutum eſt, tanti momenti negotium ad ſancti viri iudicium referri oportere. Omnibus ritè diſcuſſis B. Bernardus, Innocentium ritè inauguratum, Anacletum vero alienæ ſponſæ infamem inſidiatorem pronunciauit. Nec mora, omnes contentionum fluctus illico reſederūt, fluſtrúmque amœniſſimum conſecutū. Abalienatæ ab Innocentio plurimorum mētes, audito ſancto viro, & melle de ore prudentis procedente reſperſę, illico ceſſere veritati, & Innocentiū Petri ſucceſſorem, Chriſti Vicarium, exploſo Anacleto agnouere. In Anglo Rege ad Catholicam vnitatem adducendo, plus fuit operæ, quod eum Anglicani Antiſtites ab innocentia & Innocentio abductum, leoni rugienti vorandum obiecissent. Audito viro ſancto, non Rex modò legitimo Pontifici quem priùs obfirmatè reiecerat, conciliatus, & ab Anacleto abalienatus eſt; ſed etiam ad veri Pontificis cultum adeò emollitus, vt ei Carnutum vſque extra ditionum ſuarum fines venerabundus occurreret. Eam Francorum & Anglorum per virum ſanctum inflexionem, conſecuta eſt Lotharij Regis ac Germanorum ad Innocentij partes acceſſio: vnde factum eſt, vt immanis ſciſſura Eccleſiæ impea

pendens, melle ex ore prudente, anteoccupata ſit, & myſticum Chriſti corpus cum viſibili ſuo in terris capite cohærens, eliminato ſchiſmate, ſit ſeruatum.

LXXIV. De Gulielmo Aquitaniæ Duce, Pictauorum Comite, cui non auditum? Ingenij eius ferocia, & ſitus in atrocibus criminibus, potentiam æquabant. Nam etiam vxorem fratris, alter Herodes, thori ſociam habuerat. Nec ſi quis accederet Ioannes, à ſpiculatore tutus erat. Theobaldus Epiſcopus a VVullielmus Malmesburienſis b Bernardus bonæ vallis Abbas c Nemrodem alterum, aut aliquem de ſtirpe Enacim, vel ſpurium Goliath in eo reuixiſſe viſum; teſtantur. Erat immani voracitate homo, libidinis perditæ, implacabilis ferociæ. Extraneis malus, ſuis peior, peſſimus ſibi. Ab Innocentio Pontifice legitimo inexorabiliter abhorrebat, iámque orbe propè vniuerſo ſchiſma deteſtato, ſolus Dux cum ſuis, palpitantem & extrema ſuſpiria trahentem Eccleſiæ diuiſionem confouebat: In Epiſcopum verò Pictauienſem virtutũ omniũ virum, & probũ eóque nomine dignum Antiſtitem, adeò efferatus erat vt ei conciliari, patíque hærere in ſede ſua, pertinaciſſimè renueret, interpoſito etiam iuramento de eo nunquam reſtituendo, quaſi eſſet vinculum iniquitatis iuramentum in ſanctiſſimo Dei nomine conceptum. Quid hac beſtia faceres? Non enim hominẽ dixero, cui præter lineâmenta vix quicquam ſupererat humanum. Trucem animum, cum obiectus Euchariſtiæ quem inferius memorabo, tum mel de viri ſancti ore procedens adeò cicurauit, vt iuſtitiæ ac religioni ſit factum ſatis. Quid multa? Dux Innocentio adhæſit, Epiſcopo muneris ſui tranquillitatem permiſit, omnia ad rectæ rationis amuſſim, ex viri ſancti præſcripto lubens compoſuit, & diuinæ potentiæ luculento ſpecimine lupus in agnum tranſiit. Facti adiuncta nullo

Et in conuerſione Gulielmi Ducis.

a In vita S.Guliel. c. 1.

b Lib. 5.

c L. 2. vitæ S.Bern. c. 6.

Digitized by Google

nullo inferiora miraculo, Theobaldus Epiſcopus, *d* & Abbas bonæ vallis, diſtinctè & accuratè ſignarunt. Reuocant mihi iſta in mentem, quod Olaus Magnus, *f* ſcribit de ſumma in Podolia apum multitudine, propter paſcuorum vbertatem, odorem ſuauem, abundantiam florum: vnde contingit vt ingentes ſiccæ telluris foueæ, fauis melle redundantibus compleantur, in quas incidentes vrſi immanes nimio melle ſatiati, eſſe deſinant quod fuerant. An non verò Gulielmi vrſo truculentioris ferocia, per copiam mellis exquiſiti ab ape myſtica S. Bernardo congeſti, periit vtiliter?

d In vita S. Gul. à c. 4. *e* L. 2. vitæ S. Bern. c. 6. *f* L. 22. c. 19.

LXXV. *Itémque in aliis permultis diſſidentium fœderationibus.*

Non hîc ſtetit viri ſancti mellificium, & conciliatio diſſidentium per melleam eius prudentiam & facundiam inita. Rex Lotharius, & nepos Henrici Imperatoris Conradus, odiis flagrabant incenſiſſimis, quæ in funeſta bella & publicas clades vaſtationéſque proruperant. Interuenit S. Bernardus, & poſuit manum ſuam in ambobus. Abiecta illico ſunt arma, & pax redintegrata. Vrbes florentiſſimæ ac populoſiſſimæ, Genua, Mediolanum Piſæ, mutuis inter ſe diſſidiis ac contentionibus, haud procul ab excidio aberant. Metenſis ciuitas, à circũiectis oppidis diſſidebat atrociſſimè. Præſulẽ ſuũ, vrbs Lingonenſis incõciliabiliter auerſabatur. Rhemẽſis ciuitas in Præſulem ſuũ flagrabat odio. Inſubrum proceribus, ab inteſtinis rixis atque diſſidiis internecio impendebat. His omnibus aliiſque diſſidentibus permultis, affuſo viri ſancti melle pax plena, & abſterſo diſcordiarum felle, ſuauis animorum redintegratio conſecuta. Quid plura? Vix aliqua vbique terrarum inter magnates aut principes contentio enaſcebatur, quam mox interpoſita viri ſancti autoritas, & de prudentis ore manans mellea oratio, non componeret.

LXXVI. *Votum pro huiuſmodi melle.*

Eia apis Dei, fundens fauos diuini nectaris plenos, manantes charitatem & pacem, quanta eſt operæ tuæ

in Chriſtiano orbe neceſſitas?In tantis nunc attritæ & quaſſatæ quaquauerſum Eccleſiæ motibus, fiat ſpiritus tuus duplex in aliquo. Flagrant inter ſe odiis Reges terræ ac Principes,& quæ iurgantur Reges, plectuntur populi. Terrarum vaſtitati, iunguntur cœli diſpendia. Innumeris, vt corpore, ſic animo æternùm pereuntibus,dilatat infernus os ſuum abſque vllo termino.Quis enim in tam denſis támque continuis mortalium ſtragibus,deeſſe exitia ſperet animarum, quas Deus Dei Filius ſuo ſanguine abluere, ſua morte & funere acerbo vitæ reſtituere, acceptiſſimum habuit? Necdum malorum poſt tot mala finis affulget. Non illatis & acceptis damnis,explentur iræ:Non populorum euerſiones,& albentia toties ſtratis exercitibus arua, exacerbatos animos leniuerunt. Ferrum & teſta, commiſta ſunt quidem Humano ſemine, ſed non adhæſerunt ſibi. *a* Sancta connubiorum multiplicium iura, quibus illigandas nexibus adamantinis, cum corporibus animas & voluntates ſpes fuerat,profecerunt nihil. Quis det ô beate, (& potes ipſe exorare;) vt tuarum virtutum hæres, & ſanctitudinis æmulator quiſpiam, interponat magno animo operam,melleámque tuam dicendi facultatem æuo noſtro repræſentans, ſtabiliat in orbe pacem, quæ ſit pacis æternæ prægustatio? pacem Dei exuperantem omnem ſenſum, pacem ſuper pacem? Hoc eſt votum meum.

a Ita exponit Rupert. l 6. de victor. verbi Dei c 10.

LXXVII. *Mel alterum, S. Bernardi apis myſtica virtutes.*

Mel alterum apis noſtræ, fructum dulcoris initium habentem, proponere memini religioſas S. Bernardi virtutes. His enim Petrus Bleſenſis *b* mellis notionem accommodat, quod dulcedo aureæ mediocritatis virtutes omnes conſtituentis, perbellè melli reſpondeat. Quod iam deuexa oratio finem ſpectaret, ſingularia in hanc rem exempla ſubiicit Bleſenſis,non omnium, ſed paucarum duntaxat virtutum.Cuius ego inſiſtens veſtigiis,non aggrediar ad vniuerſum hoc S. Bernardi mel

b Sermo. 32.

Digitized by Google

mellificium, quod exequi infinitæ eſſet operæ, ſed quædam tantùm lectiora virtutum ſpecimina delibabo, illud cum Goffrido *c* iure de S. Bernardo præfatus. *c* L. 3. c. 1.
[Sicut Malachiam ſanctum idem ipſe commendat, primum maximúmque miraculum, quod exhibuit, ipſe fuit; ſerenus vultu, modeſtus habitu, circumſpectus in verbis, in opere timoratus, in ſacra meditatione aſſiduus, in oratione deuotus, & ſicut alios ipſe monebat, (crebra ſi quidem experientia perſuaſus,) de omni re magis fidens orationi, quàm induſtriæ propriæ, vel labori. Magnanimus in fide, longanimis in ſpe, profuſus in Charitate, ſummus in humilitate, præcipuus in pietate. In conſiliis prouidus, in negotiis efficax, nunquam minùs quàm in otio otioſus: Iucundus ad opprobria, ad obſequia verecundus, ſuauis moribus, meritis ſanctus, miraculis glorioſus, affluens denique ſapientia, & virtute & gratia apud Deum & homines.]

LXXVIII. *Theologicæ ferè dimiſſæ.*

Eſt hic egregius virtutum viri ſancti breuiculus, quem ſi euoluere & diſtinctè exponere ſingulas, velim, ecquis mihi dicendi, Auditori mirandi ac ſtupendi, finis erit? Quare Theologicas ſancti viri virtutes, de quarum ſupra morales præcellentia ne ambigere quidem fas eſt, præcido ab hac diſputatione: cum quod eas in hoc arctum concludere & culpa ingenij deterere religio ſit; tum quod partus ipſarum ſunt, quæcunque hactenus protulimus facinora ſancti viri. [Sunt hæc tria, principium ac finis fidelium, fides, ſpes, charitas,] ait S. Ephrem. *a* Sunt hæ tres cœleſtis atrij portæ, *b* tres munitiones quibus hoſtium impetus declinamus, *c* tres refugij ciuitatès in quibus ſaluus fit qui deliquit, *d* iuxta B. Gregorium. Tria fundamenta templi Dei & Chriſtianæ cuiuſvis ſtructuræ, iudice Clemente Alexandrino. *e* Iuxta Auguſtinum, tria quæ maximè, imo ſola in religione ſequenda ſunt: *f* Creata denique Trinitas, qua increatæ Trinitati quantum crea-

a Serm. ad imitat. prouerb.
b Hom. 19. in Exechi.
c XI. mor. c. 9.
d In paſtor. p. 2. c. 10.
e Lib 5. ſtrom.
f c. 3. Enchir.

Digitized by Google

g Lib.6 de glorific. Trinit. c. 19.& l.7.à c.13.nominatim 17.

tis perſonis licet,aſſimilamur atque coniungimur,vt piè ſimul ac concinnè diſſerit Rupertus. *g* Attingo hæc tam eximia Theologicarum virtutum decora, vt non ſit lectori ſuſpectum ſilentium de illis meum, pendeátque animi an excelluerit in harum virtutum exercitatione conſcius pretij ac dignitatis earum S. Bernardus,quia tam parcè, imo tam nihil diſſeri à me de eis videt.

At vel tacente me,charitas ſancti viri in tam multis támque variis, & maximè arduis pro Deo laboribus quorum partem aliquam ſuperiùs attigi,ſatis ſupérque ſe prodit. Abundauit hoc melle probatiſſimo S. Bernardus. Nec enim charitati, mellis appellatio negari poteſt, iudice Philippo Abbate,*h* qui fauum præfatus eſſe mellis thecam re poſtoriam, quā cereis diſtinctam cellulis apis operatur,in fauo, mel recondens miro ſtudio; ſubdit,iure dictum, *comedi fauum cum melle meo,* quia fauus abſque melle inſito, non infertur diuinæ menſæ.Sed abducto melle,ariditas reiicitur;ſimilitérq; quantumvis caro addicta ſit ſanctimoniæ, reſpuitur ſi deſit mel charitatis. [Fauus quidem tenerior durè læditur & areſcit, (ait Philippus) & negato ſibi melle, ariditate perditus inaneſcit;cum carnis integritas amore Chriſti ſapido non dulceſcit; odientíque peccare, virtus ſui pretio non clareſcit. Caro enim fragilis rectè dicitur eſſe cera, quam in fauum redigit conuerſatio ſtudioſior & auſtera : cui mel inſeritur, & dulcedo incomparabilis latet clauſa,cum aſſumptæ caſtitati, amor Chriſti dulcior eſt in cauſa. Fauum igitur quem interna ſiccat inanitas & conſumit,in ſuum Chriſtus cibum,in ſuam ſponſus gratiam non aſſumit;& ei dignè reproba carnis caſtigatio vel integritas eſt puellæ, quæ proferri & offerri pręſumitur arida ſine melle. Illa verò ſuo conſpectui,ſuo fidenter eſui præſentatur,quę melle copioſo, quæ amore gratioſo pleniùs impinguatur,

h Lib.5.in Cant. c.3.

Digitized by Google

tur, cuius pingui dulcedine, ſiue dulci pinguedine comedens hilareſcit; & quo magis epulatur, eo eſça ditior inualeſcit.] Qui igitur in diuinam Chriſti menſam inferri, eúmque cibare ſapidiſſimè ac ſuauiſſimè meruit S. Bernardus, melle charitatis abundauit, nec fuit fauus inanis & aridus; quod eius cogitata, dicta & facta omnia, ſuauiſſima in Deum, & proximos propter Deum, charitate ſcatentia, prodiderunt. Vt non admodum videatur neceſſarium, ſuppetias corrogare ab inſigni encomio quod ei iampridem pãxit ſancti viri ſtudioſiſſimus Ioannes Gerſo. *a* In eius veſtibulo imitatus fortaſſis Richardum Victorinum ad tractationem de charitatis gradibus aggredientem, excuſat frigus ſuum, & rigorem glacialem, exponendis Ætneæ illius charitatis incendiis imparem. Qui verò pro Cancellarij Pariſienſis munere quod gerebat, in creandis Doctoribus & Magiſtris doctrinarum & artium, frequens erat, ſancto viro *Charitatis lauream* decernit; eúmque ſtatuit [creandum *Amoris Magiſtrum*, cuius & facta omnia & ſcripta, ſcintillæ quædam igneæ amoris,] & animorum faculæ videri meritò poſſint.

a 2.p.Serm. de S.Bern.

Ex tam flagranti charitate de fidei & ſpei perfectione pronunciator. Prælucet enim fides charitati, atque adeò eſt illi commenſa neceſſariò, belléque reſpondens. Iam ſpes (vt ſcitè dixit Clemens Alexandrinus, *b*) ſanguis eſt fidei: vt proinde non poſſit non ſeruare proportionem ad eam, cuius etiam à S. Maximo *germen pulchrum* appellatur. Fuit igitur B. Bernardi, vt charitas eximia, ſic fides inſignis, & ſpes exquiſita. Fixum tamen eſt, nec leues ob cauſas quas attigi, quod ſupereſt diſputationis arctare ad virtutes morum: Nam etiam earum, in ape adumbratio cernitur; vt propterea Plutarchus, moralium virturum, (quas ſolas notat,) conſertionem deſignaturus, *apiarium* dixerit.

b L.1. pædag.cap.6.

c Centur. 2.ex variis cap.74.

Sed neque inter virtutes morum, hærendum in pru-

LXXIX. *Item inter morales. Prudentia.*

dentia videtur; vtcunque illis tanquam chori ductrix annumeretnr. Eius quippè in ape imaginem, ſolidam verò expreſſionem in B.Bernardo, iam ſupra dedimus. Præterquàm quod omnibus prælucet virtutibus prudentia, neceſſitate tanta, vt impoſſibile ſit excudere actum moralis cuiuſcúnque virtutis, niſi præeunte & mediocritatem obiectiuam definiente prudentia. Quare ex iis quæ de cæterarum moralium virtutum perfectione proferentur, æſtimandus erit prudentiæ gradus eximius in B. Bernardo. Tantùm nolim ſtudioſo ſancti Patri lectori, excidere inſignem illum prudentiæ gradũ, quo finem in capeſſendo ſacro inſtituto propoſitum, reuocabat ſibi perpetuò in memoriam, illud ſibi ſemper occinens, *Bernarde ad quid veniſti?* Eminet ſané in eo agendi modo prudentia, non iam ſimilitudinaria qualem in ape ſuperius agnouimus & commendauimus, ſed expreſſa & ſolida. Hei miih, quàm multas fatuas virgines non ſatis memores quorſum vaſa ad gratiæ oleum excipieudum acceperint, prælatis fruſtra vaſis, ſtulto labore conſumi per viam cernimus, aditu nuptiarum miſerè tandem excluſas. Quàm multæ inquam religioſæ perſonæ, oblitæ quod prehenſuræ venerant, improuidè verò auerſæ ad alia, deſerto ridiculè fine, hærent in mediis; non minùs profectò inſipienter, quàm ſtulti viatores qui neſciunt in vrbem pergere, hoc eſt vt S. Baſilius diſtinctiùs dixit. [a] Qui accepto itinere deſtinatum ſcopum dimittũt, ad nugas & inanitates obuias conuerſi; nec niſi ſerò ſapiunt, cum noctem aduentantem ſub dio ducere, & & feris præda patere, tecto prohibiti adiguntur. Tanti eſt finem in ſpirituali vita primò propoſitum, nunquam dediſcere. S.Bernardus, quod Gulielmus Abbas optimè notauit, & id perpetuò in ore habuit, & conſcripta de hoc ipſo argumento egregia lucubratione quæ nuper prodiit, teſtatiſſimum fecit, quanti cenſeret in

[a] hom. in pſal. 1.

in religioſa vita, ad quid veneris recogitare ſemper, quæ eſt ſpiritualis prudentiæ functio prima atque præcipua.

Secundùm Prudentiam eminet inter virtutes morum Iuſtitia, alieni iuris indemnitatem ſpectans, & ſplendidè micans in apicula, [quæ nemini prorſus officiens, (verba ſunt S. Baſilij:) *c* nec alienos vllos fructus demoliens, fauos extruit & compingit ſuos.] Laudatur omnium vocibus formica, ſed præter ius, ſi Franciſcum Petrarcham *d* audimus; rapto namque victitat, & ſibi conſulit expilatione alienorum, non item apicula. Iouianus Pontanus idem formicæ & apis diſcrimen annotauit, dicens. *e*

LXXX. *Iuſtitia adumbratio in ape. Veritas in S. Bernardo.* *c* Hom. 8. exaem. *d* L. 2. de remed. in præfat. *e* Lib. 1. de ſtellis.

Sola hyemi metuens, latebroſo pumice condit
Triticeos populata hominum formica labores.
Idem amor, atque apibus eadem experientia partis.
Sed nec agros populare palam, aut incumbere furtis.
Cum iuuet e proprio vitam tolerare labore,
Iuſtitiam norunt ſola & ſeruare pudorem.

Celebranda itaque apis, [quæ cum ſit infirma robore, valida eſt vigore ſapientiæ, & amore virtutis] ait S. Ambroſius. *a* Αεϱγόπονος eam ob cauſam, nominata eſt à Phocillide, apis. Si Plinio fidem adhibeamus, erit quod hac in parte admirationem excitet longè maximam. Narrat, *b* Apes ſi furto ſubducantur, fauificare infeliciſſimè; quaſi mero naturæ impetu, fraudem domino factam auerſentur, vlciſcantúrque provt poſſunt. Eſt qui eodem referat excarnificationem eorum qui melle delibuti obiiciũtur apiculis, quam fuiſſe Marci Arethuſij & multorum ſanctorum Chriſti pugilum lanienam, proditum eſt in ſacris hiſtoriis. Quod enim apes mel illud corporibus illitum habeant pro furtiuo, magnos in paruis corporibus animos attollunt in furti vltionem, & infixis aculeorum veluti iaculis, prædatorem confodiunt, infeſtántque, ad necem vſque.

a Lib. 5. exaëm. cap. 21. *b* Lib. 11. cap. 16.

Nihil

Nihil atrocius quàm quod de ſerui ab improbo domino ſic admiſſa noce tradit Apuleius *c*. Nocturnum quoque mellis furem, ab apibus acerrimè infeſtis non niſi B. Medardi ope, à præſentiſſima & acerbiſſima morte liberari potuiſſe, ferunt acta ſancti illius Antiſtitis *d*.

c Lib.8. Miles.

d Apud Surium tomo 3.

Hanc iuſtitiam, quæ in abſtinentia ab alienis rebus, & declinatione iniuriarum ſita eſt, ſi in B. Bernardo celebrauero, næ ego & in tenui laborem locabo, (quanta enim Monachis qui mundo calces illiſerint gloria, non furari?) & ſuperuacua defungar opera, de *iis illuſtrandis* ſollicitus, quæ ſunt vel cœcis perſpicua. Illud potiùs attendi velim, quàm ſtrenuè ac indefeſsè S. Bernardus, pro iuſtitia ab aliis colenda & accuratè ſeruanda ſategerit. Scatent huius diligentiæ teſtimoniis acta ſancti viri, maximéque epiſtolarum eius volumen, quo creberrimè cuiuſuis generis homines ad officium impellit hac in parte. Sed hoc, iuſtitiæ vt ſic dicam terreſtris, ac plebeiæ, quæ circa homines occupatur, ſpecimen eſto.

LXXXI. *Iuſtitia in Deum partus deuotio.*

Eſt alia, ſiue propriè dicta, ſiue luxata, (viderint minutiloqui ſcholaſtici,) certè ſi fundamentum iuris attendamus, omnium præſtantiſſima. Paſſim religionem nominant, qua erga numen, cui ſumus obſtrictiſſimi, officium debitum exequimur, pro tenuitate & imbecillitate noſtra. Inſiſtit enim explendo debito nullatenus adæquabili; ſed cui tamen pro viribus ſatisfacere ſtudioſè ſatagimus. Vnde quia per cultum nos Deo religat, nomen ſortita eſt *religionis*, dimiſſis illius vocis inſulſis notationibus, quibus vel vt eſt apud Gelliũ *a* à verbo, *relinquo* vel vt ex Latini ſermonis autoribus habet Auguſtinus *b* à *religẽdo* ducitur religionis appellati; Quanquã poſſe notationes illas diuerſas eodẽ reuolui, monſtrare nititur Miranda *c*. Sed notatio propoſita, planiùs præfert germanum religionis munus è quo præcellentia virtutis Religionis liquidò perſpicitur, vt benè attingit S. Thomas *d*, & iam olim Lactantius

a L.4.c.9.
b L.1.retr. cap.13.
c In Manuali Prælat. to.1.q 3. artic.2.
d Opus.19. cap.1.
e L.4.c.28.

tius *e*. His ad aliam diſquiſitionem ablegatis, & hærendo in propriis huius negotij, Religionis functionum medulla eſt, quæ vulgo *deuotio* nuncupatur, ſi modò ei nomini ſubiecta notio, non ex muliebri ſenſu, vel ex vulgi errore, ſed ex ſanctorum iudiciis, & Theologorum doctrina ſtatuatur.

LXXXII. *Abſurdæ notiones deuotionis.*

Deuotionē, ſexus fœmineus qui à D. Auguſtino *a* deuotus audiuit, plerúnque orationis multiloquio, & lōga in templis commoratione, metitur. Abſurdè; cum verboſatio illa, (liceat eiuſdem D. Auguſtini vocem retinere,) Ethnicis potiùs cōgruat de ipſius Chriſti ſententia: ex mora autē ad aras iuſto diuturniore, exiſtere ſoleant domeſticæ rixæ, & rei familiaris peruerſa procuratio, cui cum diuino cultu & vera deuotione non conuenit. Nonnulli tanquam deuotionem venditant, obſerutiũculas peculiares, nec communi vſu protirtas. Eiuſmodi eſt, celebratio feſti Dei Patris, quod ab Eccleſia tamdiu eſſe prætermiſſum, audiui qui non abſque admiratione notaret, & vt induceretur in vſum, omni ſtudio anniteretur: ſed ratiunculis adeò inſulſis, vt quantouis affuſo aceto, & pipere inſperſo, non ſaperent. Eiuſdem pruriginis circa deuotionum nouitatem partus eſt, confectio Teſtamenti noui, quo Deipara omnium bonorum noſtrorum operum hæres ex aſſe inſtituatur: ſuffragiorum verò ac precum quibus poſt mortem à fidelibus iuuabimur, transfuſio in eas animas fiat, quæ nobiſcum diſtinebuntur ignibus emendatoriis; dimiſſa noſtri cura, in ea ſuppliciorum immanitate, tranſcriptóque aliis iure noſtro ad ea ſubſidia, vt illis ſit remiſſio, nobis autem tribulatio. Vbertatem huſmodi furfurum pietatis, citra ſollicitam ſcrutationem, vltrò ſuppeditant Mariamburgenſes, ſiue ab Vtopiæ oppido denominati, ſiue à Paulo à ſācta Maria ex Iudæo, apud Burgos Hipaniæ, Antiſtite. Horum ergo & aſſeclarum, ſunt propoſiti furfures, diuerſi, à lecto polline pietatis.

a Serm. 18. de ſanctis.

De piis actibus ſi quæratur, iidem à Mariamburgo pietatum minutæ mercis propolæ, tacita actuum fidei ſpei & charitatis exercitatione, quod nimis populares & vulgo noti actus ſint, & quaſi vltroneæ merces puteant, extollunt quantum poſſunt actus quibus impoſſibiles prærogatiuę & perfectiones captantur; etiãſi de adæquanda Deiparæ incenſiſſima in Deum charitate; Tantumne? Quinimo etiamſi de non cedendo diuinæ voluntati, in ſtringenda & arctiſſimè amplexanda tantæ bonitatis infinitate agatur, dummodò *id* effici poſſet poſſibile; quod condimentum tantæ inſulſitati ſemper adhibent, vt actum blaſphemum commutent in otioſum. Iam illud ex Auguſtino falsò iactatum, *ſi Deus eſſet Auguſtinus, & Auguſtinus eſſet Deus, vellem Deum in Auguſtinum tranſire*, non tanquam bullientis in quopiam ignaro pietatis vndam, ſed tanquam defœcatiſſimã & expurgatiſſimam in Deum charitatis flagrantiam, celebrant atque magnificant: æquè ac eum erga Deiparam affectus feruorem, quo conteſtãtur malle ſe in inferno cum Satana & Angelis eius, rudentibus illis inexpedibilibus alligari ſine peccato, quàm ſi B. Virgo non eſſet mater Dei; aut ſi vel minima decretio gloriæ eius fieret. Itémque velle ſe in cœlo, Deiparæ locum proprium præbere, ſi alius deeſſet quem poſſet ipſa occupare.

Iam illud adipale (vt cum S. Ambroſio dicam,) deuotionis iſtis genus eſt quod in Octaua cordis B. Virginis ſaginandæ animę inferunt, vt ametur Chriſtus propter B. Virginem. Vbi imprimis recurrit vetus querela Pothonis Prumiẽſis *a* In feſtiuos cœnobitas, noua feſtorum genera ex ſuo cerebro excogitantes. Malè habebat S. Bernardum *b*, Quod in valle hac lachrymarũ, iniuſſu Eccleſiæ, noua feſta multiplicarentur. Et meritò vir ſanctus, non de eo feſto quod omni titulo iuſtum erat celebrari, ſed de modo quo inductum erat, expoſtula

a L. 3. de domo Dei ſub finem.
b Ep. 74.

ſtulabat. Volebat enim conſuli cortynam Eccleſiæ, & abſque oraculo inde profecto, nihil nouum induci à cœtu, tametſi grauiſſimo. Hîc vnam perſonam, nullo in Eccleſia gradu, feſta multiplicantem iniuſſu maiorum, audimus. Quod ſi cordis B. Virginis feſtum inducere placet, quidni & cerebri; quæ iuxta Medicos eſt pars potior; quippè ſedes phantaſiæ, concomitanter nexæ cum intellectione? Quidni & vteri, officinæ miraculorum, in qua Verbum carni eſt copulatum? ſed neque vbera que lactauerunt Chriſtum Dominũ, & brachia quæ illum geſtarunt & ſuauiſſimè ſtrinxerunt, & labia adeò dulciter cum ſuauiata, & oculi in quorum vno cor ſponſi vulneratum eſt, ſuis ſingula feſtis ornanda erunt. En quid ſit, ex ſuo ſenſu nouitates cudere. Iam quod feſtum cordis, cum Octaua celebratum, ea pietatis emphaſi colendum ac concludendum decernitur, vt Chriſtus ametur propter B. Virginem; verendum eſt, ne à cordatis & res ſuo pondere æſtimantibus, numeretur inter inſanias falſas, eóſque honores & amores ſanctorum, quos Origenes notabat amentiæ. Quid enim? Chriſto non ineſt amabilitatis ſatis, vt eam emendicare à matre debeat? Si amandus ſtatuitur Chriſtus propter matrem, ergo hæc eſt Chriſto amabilior. Nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Apage talem deuotionem erga Virginem, cum Chriſti iniuria, & depreciatione coniunctam. Tanti ne erat explere centenarium deuotionum erga Deiparam, vt propter eam, & ſubtus eam Chriſtus amandus eſſe ſtatueretur? Neque verò dicunt, Chriſtum amandum eſſe propter dona quæ contulit B. Virgini: ſed crudè dicunt, amandum eſſe, prçfigendo ſibi motiuum amoris Chriſti, B. Virginem: quod eſt omnino præpoſterum.

c Homil. 25. in Luc.

Iam verò illa deuotio ſupra omnes betas fatua, vt arrepto ſcalpello nomen *Mariæ* crati pectoris incidatur,

Digitized by Google

tur,paucos quantum arbitror inueniet amatores: vt & illa,ne nomen *Virginis* legatur *vel* pronũtietur ſed tacitum abeat, ſicut apud Iudæos, nomen Tetragrammaton. Et vt manè B. Virgini deferatur fauſta diei proſperæ apprecatio, qualem pij liberi parentibus prima luce officiosè exhibent,& quidem ex vſu Anglicano,de geniculis;quod à Thoma Moro, iam grandi natu,iam regni Cancellario,demiſsè ſeruatum,laudat meritiſſimò Stapletonius. Niſi ſi potiùs,ſanctificare,(verbum Origenis ac Tertuliani eſt in re conſimili,) *ritum* Ethnicum placuit, quo manè religioſi primam horam Diis nunciabant, vt eſt apud Madaurenſem Philoſophum *b* ridétque Arnobius, *c* vocans *excitationes* matutinas. Iuſtus Lipſius *d* ac Ioſephus Scaliger *e ritum* hunc Ethnicum illuſtrant,& fuiſſe officioſam ſalutationem aut apprecationem piam exigendæ feliciter ineuntis diei, cum gratulatione proſperè exactæ noctis, docent iſta verſantes. Fortaſſis igitur Mariani iſti aulicaſtri, officioſam hanc prenſationem matutinam, ſanctificando ritui illi Ethnico,religiosè exhibent,gnari Eccleſiam ipſam,circa varias Ethnicorum profanitates haud aliter ſe geſſiſſe. Hæc & ſexcenta huiuſmodi de quibus vberiùs in heteroclicitis ſpiritualibus, deuotionum nomine paſſim proſtant: & qui non applaudũt, velut inficeti & animales, nec percipientes quæ ſunt ſpiritus Dei; ab iſtis,vt cum Nazianzeno loquar,*a* ſcenicis ſpiritualibus exſibilantur, proſcinduntúrque clamore illo ipſo quem cœlo tollit elephantus cum draconem ſubeuntem obtriuit.

a L. de tribus Thomis.
b Lib. 11. miles.
c Lib.7.
d L.2.Elector. c.18.
e Ad l. 1. Tibulli eleg.3.
a Orat. 21.

Nolo in hæc deuotionis lolia falcem iudicij immittere,quæ eo opere quod nominaui, ſtirpitus ſunt eradicanda,ne ſolidæ pietatis & probatæ deuotionis, quod Satanas per hos cuniculos molitur, ſementem ſuffocent,aut læto ſaltem prouentu prohibeant, per neglectum conuenientts culturæ meliorum, dum ſtudium

plenum

plenum ac diligens, in hæc vt quàm mitiſſimè dicam, minutalia collocatur. Non eſt hæc exquiſita & perfecta deuotio, ſed minuta & pauci valoris, præ alia quã mox attingam. Neque eorum item ſenſus probandus eſt, qui ſenſibili guſtu & affluxu ſaporis rerum diuinarum, æſtimant deuotionem. Falsò hi quòque. Nam tametſi eſt interdum ſapor ille veræ deuotionis adiunctum quoddam, aut acceſſio diuinitùs indulta ad condiendam pietatem, & proritandam animæ appetentiam, rem tamen ad viuum reſecando, non eſt is ſenſus, deuotio.

Quid vltra lectorem moror? Deuotio vera & germana, continetur ſtudioſa voluntate colendi numen, quã is qui proponebatur guſtus & ſapor, ferè conſequitur, præſertim circa myſteria nonnulla, in quibus diuina benignitas & dulcedo micat vberiùs; cuiuſmodi eſt diuini Verbi conſertio cum corpore, quam S. Iob, nomine torrentium mellis & butyri, interprete B. Gregorio, *a* expreſſam dedit: velut alludens ad fontes illos Indorum, quos Strabo ſcribit *b* melle fluxiſſe. Par ratio eſt auguſtiſſimæ Euchariſtiæ, quam parauit in dulcedine ſua pauperi Deus. In ea certè, ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, vt ſancti Dei homines tradiderunt, expertique ſicut ſingulari Dei beneficio non pauci, quos inter Monachus ille Claræuallenſis, qui poſt perceptam Euchariſtiam viſus ſibi eſt fauum mellis ore continere. *c* Chriſti item paſſi myſterium, piis mentibus ſuppeditat mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo. Ibi ſanè ex leonis de tribu Iuda ſacro corpore proſtrato, exiſtit ſuauitas inexplicabilis, veréque *de forti dulcedo*, vt eſt in Samſonis ænigmate, & piè admodùm notauit Rupertus. *d* Sapidiùs etiam S. Ambroſius, eum ipſum locum attingens, legit, *de triſti dulce.* Quid enim triſtius, quàm Deum cœli, Regem ſeculorum, [per ſcelus ſcelerum, & peccatorum, peccatum,]

LXXXIII. *Vera deuotio.*

a Lib. 15. mor. c. 9.
b Lib. 15. Geogr.
c In mirac. S. Bernard. in tertio.
d Iudic. 15.
e Lib. de Elia c. 11.
f Serm. de paſſio. *in fine.*

rum,] vt loquitur apud Cyprianum autor grauis & elegans, ſuffigi patibulo inter latrones medium? Inde tamen exquiſitiſſima ſuauitate perfunduntur mortales, ſi internum palatum nullo virulento humore occupatum, admoto tam ſapido animorum pabulo, ad munus ſuum obeundum ritè affectum habeant.

LXXXIV. *Excellens in ea S. Bernardus.*

a Collat. 12. c. 8.

Quod rectè de vulgaris mellis dulcedine pronunciauit Caſſianus, *a* non poſſe ſcilicet qui eam non ſit expertus, ferre de illa verum iudicium, quantumcunque extollatur & celebretur ab aliis qui ex vſu *ſuo &* experimento de melle loquantur; hoc mihi *circa B.* Bernardi deuotionem accidere, haud inuitus profiteor. Aridum namque & perparco deuotionis rore perſperſum voluntatis meæ ſabuletum, de deuotione ſancti viri, qui *deuoti* nuncupationem antonomaſticè retulit, pronunciare ad veritatem non poteſt. Quia tamen euidens & ineluctabile veritatis argumentum eſt omnium conſenſio, iudice Caſſiano: *b* & S. Bernardi melleam deuotionem, omnes vno ore ratam habent, ſtatuo illam ipſe quoque, vt indubitatam, nec vulgari quapiam tenuíve menſura, ſed vt planè exquiſitam, ac exuberantem, & ſuperefluentem. Vt poſſit ſanè viro ſancto congruenter aptari illud Siracidę 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Cernere id præſertim licet, in iis quæ proponebam lectiſſimæ deuotionis argumentis, conſertione Verbi cum carne noſtra, eiúſque acceſſione vel extenſione, quæ auguſtiſſimo Euchariſtiæ myſterio continetur; acerbo denique funere, pro nobis in crucis patibulo, dolore ac probro de primatu certantibus tanta cum charitate, ſtupentibus Angelis, hominibus ad eam cogitationem, ni planè diriguerint, colliqueſcentibus, excepto. Præcelluiſſe in hiſce myſteriis B. Bernardi pietatem, & exquiſitam deuotionem, propè faſtidio commemorare, adeò res eſt protrita, & omnium ſermonibus vſurpata.

b Lib. 1. de Incar. c. 3.

In

In humili adhuc ætate cõſtituto diuina ſpecies obiecta eſt, quæ Verbi infantis myſterium ſummam ſtillans dulcedinem ita exhibuit, vt per totam deinceps vitam reliquiæ cogitationis ſanctam animam mira erga tantum Dei opus ſuauitate delibutam, ad mella ſcriptorũ, in hoc genere vberrimè fundenda, aptarint. Nexuit,& pueruli,& prouecti ætate Bernardi,mirificos hac in parte ſenſus, dulciſſimóſque affectus, Gulielmus Abbas *a*, ex quo decerpo plagulam [. Cum ſanctus puer non parum in fide proficeret, adiecit ei Dominus apparere, ſicut olim puero Samueli, in Silo, & manifeſtare ei gloriam ſuam. Aderat namque ſolemnis illa nox natiuitatis Dominicæ, & ad ſolemnes Vigilias, omnes vt moris eſt, parabantur. Cúmque cælebrandi nocturni officij hora aliquantiſper protelaretur;contigit ſedentem,expectantémqueBernardum,cum cæteteris, inclinato paululum capite ſoporari. Affuit illico puero ſuo ſe reuelans pueri Ieſu ſancta natiuitas, teneræ fidei ſuggerens incrementa, & diuina inchoans in eo myſteria contemplationis. Apparuit enim velut denuo procedens ſponſus è thalamo ſuo. Apparuit ei quaſi iterum ante oculos ſuos naſcens, ex vtero matris Virginis, Verbum Infans, ſpecioſus forma præ filiis hominum, & pueruli ſancti in ſe rapiens minimè iam pueriles affectus. Perſuaſum autem eſt animo eius, & nunc vſque fatetur,quod eam credat fuiſſe horam Dominicæ natiuitatis. Sed & facile eſt aduertere iis qui eius auditorium frequentauerunt, in quanta benedictione ea hora præuenerit eum Dominus, cum vſque hodie, in iis quæ ad illud pertinent ſacramentum, & ſenſus ei profundior, & ſermo copioſior, ſuppetere videatur. Vnde poſtmodum in laudem Genitricis, & Geniti, & ſanctæ eius natiuitatis, inſigne edidit opuſculum, inter initia operum ſuorum ſeu tractatuum, ſumpta materia ex eo Euangelij loco vbi legiur *Miſſus eſt*

LXXXV. *Et circa Incarnati Verbi myſterium.*

a L.1.vitæ cap.2.

eſt Angelus Gabriel, à Deo in ciuitatem Galileæ]. Apparet, quàm non prodigus, imo parcus amici laudum fuerit Gulielmus Abbas, qui cum alia tam multa ſancti viri, de Verbi ad nos aduentu, de Chriſti naſcentis, & circumciſi, ac in templo oblati, myſteriis producere potuiſſet in medium; vnicam lucubrationem; melliſſimam quidem & Bernardi deuotione digniſſimam, ſed partium numero ac mole imparem cæteris, proferre contentus, reliquas preſſit ſilentio.

LXXXVI. *Eiuſque occaſione erga Deiparam.* Teſtatiſſimum ſanè B. Bernardi erga Deiparam affectũ, ex eius ſcriptis notiſſimum, fruſtra ingererem. At hunc ille ſenſum & affectum, non aliunde conceperat, quàm quod iſta fuiſſet vnitarum inter ſe naturarum & miraculorum omnem humanum captum ſuperantium officina, vt piè æquè ac pulchrè S. Deiparam nuncupauit Damaſcenus *a*. Non enim S. Bernardus, (quod nouarum deuotionum magiſtri inter ſingulares deuotiones referunt) Chriſtum propter Deiparam, tanquam ob ſui amoris motiuum aut dilexit, aut diligendũ cẽſuit, ſed amorem Deiparæ quo flagrabat incenſiſſimo, ex eo amore ſuccendebat quo in Chriſtum tot cum parente titulis nexum feruebat, erátque ſine dubio potior. Abſurdè quippè ac præpoſterè, de affectu B. Bernardi erga Deiparam ſtatueret, qui eum non poſtponeret affectui quo erga Chriſtum ferebatur: Nihil tamen procliuius, quàm vt ex ea nouitia deuotione, colligatur, amandam impenſiùs eſſe Deiparam quàm ipſum Chriſtum, idque præſtitiſſe S. Bernardum. Nimirum, vt habet philoſophicum effatum, [propter quod vnumquodque tale, & illud magis] in quam rem pluſcula ſuperiùs.

a Orat. de Natiu. Virg.

Honor itaque, iudicium diligens, & affectus Deiparam decens, S. Bernardo cumprimis cordi fuit; quod cum & luculentis de ea ſcriptionibus à viro ſancto exaratis, manifeſtiſſimè liqueat, (ſapor enim mentis

a Epiſt 15.
b Epiſt. 112.

&

vt S. Paulinus *a.* ſcitè dixit, in ſermone ſentitur), in præſentia illuſtrandum duntaxat eſt, teſtimonio veraci Petri Cellenſis *b*, qui ſcribens ad Nicolaum Monachum S. Albani, S. Bernardo, à quo deſciuerat, iniquiorem; poſtquàm multis in S. Bernardi decus prolatis, durum pectus emollire tentauit, concludit in hæc verba. [Prætermitto iſta omnia; ſi nondum emolliri cor tuum potuit, vnum eſt in quo clauis in altum defixis arbitror me te apprehenſurum, & in amorem S. Bernardi liquefacturum. Alumnus enim familiariſſimus fuit Dominæ noſtræ, cui non vnam tantùm Baſilicam, ſed totius Ordinis Ciſtercienſis Baſilicas dedicauit: ad cuius laudem politiſſimos tractatus & facundos compoſuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Dominæ noſtræ, ſcribe contra Bernardum ſuum, cui loquitur ipſa, *Qui tangit te, tangit pupillam oculi mei.*] Pupilla oculi Deiparæ, fuiſſe dicitur S. Bernardus, quia vt ipſe eam dilexit incenſiſſimè, ita mater dilectionis, amore tenerrimo veréque materno, optimum filium eſt proſecuta; ita vt certarent inuicem hi amores, gratiùs quàm fictitij illi *Eros* & *Anteros* apud Philoſtratum, colludentes. Bernardus Virginem colebat, vt ſuam in Chriſto matrem. Virgo Bernardum habebat pro filio, & tenerrimè fouebat, vt monſtratum eſſe aiunt inſigni diuino opere, quo ſanctus adoleſcens adhuc ſecularis, ante B. Virginis imaginem antiquitate apud Caſtellioncos ad Sequanam, & crebris diuinis miraculis iam tum venerabilem, pangens proſam rythmicam à ſe elucubratam, cum ad ea verba veniſſet, *Monſtra te eſſe matrem*, lacteis guttis tribus exporrecta imaginis ad linguam orantis dextera, perfuſus proditur. Quod Ioannes quidem Bertel Abbas Moniſterienſis apud Luxemburgenſes, *c* inter imagines emblematicas numerat, cauſatus ſilentium Gaufridi atque Philothei, qui omnes minutias primæ ætatis & adoleſcentiæ S. Bernardi,

a Ep. 15.
b Ep. 112.
c Dialogo 8. in regulam S. Benedicti.

Digitized by Google

nardi, accuratè perſecuti, hoc lacteum miraculũ prorſus preſſerunt. Eſſe ergo duntaxat putat expreſſionem Hieroglyphicam affectus Deiparæ erga Bernardum, & Bernardi erga Deiparam, ei non abſimilem, qua S. Auguſtinus exhibetur ante Chriſti patientis & Deiparæ imagines, addito eo lemmate, *Hinc lactor ab vbere, hinc paſcor à vulnere.* Sic igitur is quem dixi Neotericus. Alij tamen refragantur, & affuſionem phyſicam lactei humoris interueniſſe contendunt: quando equidem vniuerſus Ordo Ciſtercienſis XIII. Maij peculiari feſto hoc prodigium recolit quotannis, & multi Antiſtites gradu & doctrina inſignes, promptis de Eccleſiæ ærario penſitationibus, eam pietatem fouerunt. Aliáque in eam rem vrget qui nuper Hiſtoriam ſacram Virginis Caſtellionenſis emiſit, Stephanus Grandis, *d* quem conſulat cui hæc parcitas non facit ſatis. Certum ſanè eſſe debet, affuſionem phyſicam lactei humoris, (quæcumque demum verè fuerit ea ſubſtantia affuſa,) pleriſque piis perſonis ſingulari beneuolentiæ pignore obtigiſſe. Cur in ſolo Bernardo tricandum ſit in contrarium, & ad hyeroglyphica referendum, equidem non video.

d Parte 2. à c 14.

Singulariſſimus ergo Bernardi in Deiparam affectus, extra controuerſiam ponitur. Amabat enim incenſiſſimè matrem ſibi in Chriſto optimam ac beneuolentiſſimam, tot diuinis donis honeſtatam, verè *cæleſte prodigium & ſacratiſſimum ſpectaculum*; (vt Deifer Ignatius *e* ſcripſiſſe refertur;) tot illecebris ad ſuauiter, ſed potenter inuncanda piorum corda abundantem, pluribus aureis catenis ad pertrahendas mortalium voluntates, quàm commentitius Mars Gallicus, diuinitùs inſtructam. Fruſtra verò quis ad deterẽdum decus amoris B. Bernardi erga Deiparam, furuam notam in eius demortui ac cælo iam illati pectore obuerſatam, opponat; ob oppugnatum ab eo, (vt iactant,) primi

e Epiſt. 1. ad Ioannem.

exortus

exortus virginei nitorem purum,& vſquequaque immaculatum. Nugæ, Nugæ. Et furua *illa* in demortui pectore macula,inſomnioſi capitis deliratio fuit; quod Petrus Cellenſis ſatis euicit:& ſuperſtitem Bernardum aduersùs immaculatam conceptionem ſtetiſſe, abhorret planè à veritate, vt alio loco *f* monſtrare memini: Quamvis quod dignum & iuſtum erat,nouæ celebritatis de immaculata Virginis Conceptione comprobationem, à cortyna fidei ac Religionis per Chriſtum conſtituta,expoſci ante omnia voluerit: in ſententiam cui Eccleſia ſuffragaretur, pedibus & manibus conceſſurus,quod eius propenſiſſimus in Deiparæ decora affectus,ob neceſſitudinem qua Chriſtum adeò proximè contingit,facit perſuaſiſſimum.

f In Dyptychis. Marian. Tract. 2. p.2.n.30.

LXXXVII. *Et circa paſſionem Chriſti.*

Iam deuotio tenetrima B. Bernardi erga patientis Dei myſterium, quod S. Ignatius *b myſterium clamoris* iure appellauit, ex eo perſpicua eſt, quod non ita pridem Henricus Sommalius, ex fragmentis hinc inde in eam rem decerptis è S. Bernardo, iuſtam lucubrationem adornauit; intactis plenis de eodem argumento ſermonibus, & dimiſſo longo tractatu de Chriſti patientis analogia cum vite vera, qui alium à B. Bernardo (tametſi pium ac eruditum) habuit parentem. Neque tamen is quem dixi racemator, diligentiam ſuam in diſperſis locis colligendis adeò probauit, quin mediocriter diligens lector, ex iis quæ ab eo ſunt prætermiſſa, integram propè vindemiam poſſit congerere. Non mihi tempero, quominus vnum & alterum veluti racemum ab eo intactum legam, & hìc apponam ad exhibendum guſtum dulciſſimi ſenſus, quo vir ſanctus, erga illum myſteriorum Chriſtianorum veluti verticem, afficiebatur.

b Epiſt. ad Epheſ. approbante Damaſceno orat. 3. de Nat. Virg.

Exponebat quodam loco *a* quæ eſſent foramina petræ in quibus nidulari columbam caſtus ſponſus affirmat. Hæc foramina, interpretatus pius Bernardus

a Serm. 61. in cant.

Chriſti vulnera, petram Chriſtum conteſtatus, in petra tutamen & exaltationem, eandem refugium herinaciis præfatus, adiungit: [& reuera vbi tuta firmáque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? Tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur. Non cado. Fundatus enim ſum ſupra firmam Petram. Peccaui peccatum grande, *turbatur* conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſaluetur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicamentum, nulla iam poſſum morbi malignitate terreri. Et ideò liquet, erraſſe illum qui ait. *Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear.* Niſi quod non erat de membris Chriſti, nec pertinebat ad eum de Chriſti merito, vt ſuum præſumeret, ſuum diceret quod illius eſſet tanquam capitis membrum. Ego verò fidenter, quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi, ex viſceribus Domini, quoniam miſericordia effluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus eius, & pedes, latúſque lancea forauerunt, & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo, Id eſt guſtare, & videre, quoniam ſuauis eſt Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego neſciebam. Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit? At Clauis reſerans, Clauus penetrans factus eſt mihi, vt videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clauus, clamat vulnus, quod verè Deus eſt in Chriſto, mundum reconcilians ſibi: ferrum pertranſiuit animam eius, & appropinquauit cor illius, vt non iam non ſciat compati Infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet illud magnum pietatis Sacramentum,

patent

patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri in quibus Viſitauit nos oriens ex alto. Quidni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuauis & mitis es, & multæ miſericordiæ? Maiorem enim miſerationem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat, pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum, miſeratio Domini. Non planè ſum meriti inops, quandiu ille miſerationum non fuerit. Quod ſi miſericordiæ Domini multæ, multis nihilo minus ego in meritis ſum. Quid enim ſi multorum, ſim mihi conſcius delictorum? Nempe, vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Et ſi miſericordiæ Domini ab æterno, & vſque in æternum, ego quoque miſericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid Iuſtitias meas? Domine memorabor Iuſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu, iuſtitia à Deo. Nunquid mihi verendum ne non vna ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breue, quod (ſecundùm Prophetam) non poſſit operire duos. Iuſtitia tua iuſtitia in æternum. Quid longius æternitate, & te pariter, & me operiet largiter larga & æterna Iuſtitia. Et in me operit quidem multitudinem peccatorum: In te autem Domine, quid niſi pietatis theſauros, diuitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ repoſitæ mihi. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertæ quidem, ſed in his qui pereunt. Vt quid enim ſanctum detur canibus, vel Margaritæ porcis? Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum, etiam, & apertis foraminibus introduxit in ſancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectióque virtutum? Ibo mihi ad illa ſic referta Cellaria, atque ad admonitionem prophetæ, relinquam ciuitates, & habitabo in petra: ero quaſi Columba ædificans in ſummo ore foraminis, vt cum Moyſe poſitus in foramine petræ, tranſeunte Do-

mino,merear ſaltem poſteriora eius proſpicere. Nam faciem ſtantis,id eſt incommutabilis claritatem, quis videat,niſi qui introduci iam meruit,non in ſancta,ſed in ſancta ſanctorum?Nec vilis tamen aut contemnenda poſteriorum contemplatio. Contemnat Herodes: Ego tanto magis non contemno, quanto magis contemptibilem ſe oſtendit Herodi. Habent etiam aliquid & poſteriora Domini,quod videre delectet. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem?Erit cum oſtendet faciem ſuam, & ſalui erimus. Sed interim, præueniat nos in benedictionibus dulcedinis: Illis vtique quas poſt ſe relinquere conſueuit. Nunc dignationis ſuæ poſteriora demonſtret,aliàs in gloria dignitatis,faciem ſuam demonſtraturus: ſublimis in Regno,ſed ſuauis in cruce. In hac me viſione præueniat, in illa adimpleat. *Adimplebis, me* (ait) *Lætitia cum vultu tuo.* Vtraque viſio ſalutaris,vtraque ſuauis:ſed illa in ſublimitate, iſta in humilitate: Illa in ſplendore, hæc in pallore eſt. Denique (inquit) *& poſteriora dorſi eius,in pallore auri.* Quomodò in morte non palleſcat? ſed melius pallens aurum,quàm fulgens aurichalcum, & quod ſtultum eſt Dei,ſapientius eſt hominibus.Aurum Verbum,aurum ſapientia eſt. Hoc aurum ſemetipſum decolorauit, abſcondens formam Dei,& formam ſerui prætendens: decolorauit & Eccleſiam,quæ ait, *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.* Ergo & poſteriora eius in pallore auri,quæ fuſcum non erubuit crucis, vſtionem paſſionis non horruit,liuorem vulnerum non refugit. Et iam complacet ſibi in illis, & optat nouiſſima ſua fore horum ſimilia. Idcirco denique audit. *Columba mea in foraminibus petræ,* quod in Chriſti vulneribus tota deuotione verſetur, & iugi meditatione demoretur in illis.] Video me dulcedine orationis ſancti viri de tam ſuaui argumento, abductum longiùs quàm

quàm deſtinaram. Quare è duobus locis quæ exhibenda receperam, alterum quo ſermone continenter ſequenti de iiſdem petræ foraminibus & cauerna maceriæ piiſſimè diſſerit, *a* ſignaſſe contentus, abeo, & abſiſto pluribus. *a* Serm. 61. in Cát.

Nolo tamen lectorem fraudare narratione, affectum hunc S. Bernardi erga Chriſtum cruci confixum, liquidò prodente. Medardus Abbas de Moris, viri ſancti diſcipulus, ſcriptis prodidit rem planè miram, quam liber de exordio Ordinis Ciſtercienſis, *b* die Martij menſis 23. contigiſſe confirmat. Eam ego ex Philothei Monachi poëſi, vt in ore trium teſtium ſtet iſtud verbum, hîc appendo. *b* Diſt. 2. cap. 7.

Ante ſalutarem, curuato, poplite, Chriſti
Effigiem, lachrymas, vota precéſque dabat.
Confixáſque cruci ſpectabat vulnere plantas,
Oſſaque diſtinctis dinumerata notis.
Iámque gemens tremula fundebat voce querelas,
Verbáque montanas apta mouere, feras.
O decus, ô noſtri Lenimen Chriſte doloris,
O mihi tam duro parta labore ſalus!
Fœlix ſi tantas in me conuertere pœnas,
Et liceat miſero, ſi mihi, poſſe mori.
Ipſe immaturos auſi decerpere fructus,
Chriſte tamen dentes obſtupuere tui.
Sydera, terra, fretum, Domini miſereſcite veſtri.
Flete meos caſus, ſydera, terra, fretum.
Talia dum memorat, domini pendentis Imago,
Soluit in amplexus, brachia mota ſuos.
Talis in exelſo regnabat Principe virtus,
Talis in ardenti pectore virtus erat.
Sic nouus interno gaudebat nectare miles,
Intimaque æternus ſtrinxerat oſſa calor.]

Incarnationis Verbi Dei quaſi corollarium, & cruciatuum ſupremorum eiuſdem viua memoria, Euchariſtia LXXXVIII. *Et denique circa Euchariſtiam.*

riſtia eſt. Quæ de myſtici huius cibi dulcedine, à viro ſancto variis locis ſunt conſignata, produnt apertè quantoperè erga illas verè cœleſtes delicias afficeretur, quæ præſtant vt terra nobis cœlum ſit, iudice S. Chryſoſtomo *a*. Produnt idipſum æquè luculenter, quæ mirabilium patrationi adhibitum ab eo incruentum ſacrificium, frequenter perfecit. Cuiuſmodi ſunt, exoratio poteſtatis percipiendi Chriſtiana Sacramenta, homini iam iam agenti animam, quas ſignorum viri ſancti primitias exhibet Gulielmus Abbas *b*; pulſi frequenter è corporibus humanis dæmones, teſte Bonæ vallis Abbate *c*; Alia erga corpora & animas eodem interpoſito diuino remedio, perfecta benè multa, quæ paſſim in ſancti viri actis legere eſt. Prodit denique luculentiſſimè affectum viri ſancti quem dico, ſalubriter proſtratus & ad ſanam mentem reuocatus, obiectu Euchariſtiæ, Dux Aquitaniæ Gulielmus. Rem geſtam, inter rara quæque prodigia meritò numerandam, Abbas bonæ vallis *d*, & Theobaldus Epiſcopus *e*, retulere totidem verbis, vt ſatis appareat exſcriptum ab Epiſcopo Abbatem, qui anteriùs ſcripſit, & ipſius S. Bernardi æqualis fuit. Quare præſtat eum audire. [Diu (inquit) per internuncios protractus eſt ſermo; (de ſubiectione vtique ad Eccleſiam, de Innocentij veri Pontificis admiſſione repudiato Anacleto, de reſtitutione Epiſcoporū in ſedes ſuas in quam idem Dux & comes Epiſcopis implacabiliter ſuccenſens, nullo ſe tempore conſenſurum, iuramento interpoſito firmarat.) Et dum viciſſim verbis ſe mutuo occupant, vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare ſanctum oblaturus, & ſupplicaturus accedit. Intrauerant Eccelſiam, quibus licebat diuinis intereſſe myſteriis; Comes ſuſtinebat pro foribus. Peractis igitur conſecrationibus, & pace data, & diffuſa in Populum, homo Dei, iam non ſe agens vt hominem, corpus Domini

ſuper

a Hom. 24. in 1. ad Corinth.

b L. 1. c. 9.

c L. 2. c. 2. & 3.

d L. 2. vitæ S. Bernard. c. 6.

e In vita S. Guliel. cap. 6.

ſuper patenam ponit, & ſecum tollit; atque ignea facie, & flammeis oculis, non ſupplicans ſed minax, foras egreditur, & Verbis terribilibus aggreditur Ducem. Rogauimus te, (inquit) & ſpreuiſti nos. Supplicauit tibi, in altero quem iam tecum habuimus conuentu, ſeruorum Dei ante te adunata multitudo, & contempſiſti. Ecce ad te proceſſit filius Virginis, qui eſt caput & Dominus Eccleſiæ quem tu perſequeris. Adeſt Iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Adeſt Iudex tuus in cuius manus illa anima tua deueniet. Nunquid & ipſum ſpernes? Nunquid ipſum, ſicut & ſeruos eius, contemnes? Lachrymabantur vniuerſi, qui aderant, orationibus intenti, præſtolabantur exitum rei: Et omnium ſuſpenſa expectatio, neſcio quid diuinum fieri cælitùs, expectabat. Videns Comes Abbatem in ſpiritu vehementi procedentem, & ſacratiſſimum corpus Domini ferentem in manibus, expauit, & diriguit, membríſque tremebundis metu, & diſſolutis, quaſi amens ſolo prouoluitur: eleuatus à militibus, rurſum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem ſaliuis per barbam defluentibus cum profundis efflãs gemitibus, epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulſans accliuem, ſurgere iubet, & ſtare ſupra pedes, & audire Dei ſententiam.] Audiuit, & ad omnes ſancti viri nutus ſe fingens, inaudita metamorphoſi lupus in agnum tranſiens, maieſtatem Dei ſacris illis panis exuuiis abditam, vnáque B. Bernardi erga Deum ſub eis verè abſconditum affectus flagrantiam, patefecit. In ſumma, tenerrimum viri ſancti erga ſacratiſſimam Euchariſtiam pietatis ſenſum, ac deuotionem ſuauiſſimam ſcriptis & factis copioſé teſtatam, cum conſidero, recurrit animo apum erga Euchariſtiam plena prodigij veneratio, quam antiqui

Digitized by Google

a L.2.c.40.
b L.9.mer. cap. 8.
c L.14. de ſig. c.3.

ſcriptores duo, vnicam quam arbitror narrationem contexentes, paucis adiunctis diſcrepantem retulerunt, Thomas Cantipratanus *a*, atque Cæſarius *b*. Profecit ex vtroque Thomas Boſius *c*.

LXXXIX. *Fortitudo S. Bernardi.*

d In cerei benedictione.

Fortitudinis ad quam deuenimus, imago in ape cernitur, quippè pro corporis ſtatu negotioſiſſima & eximiè alacri, ac vt S. Auguſtinus dixit, *d* anguſto in pectore ingentes animos verſante. Hæc virtus aggreſſione & perpeſſione continetur. Vtraque functio in *B. Bernardo*, inſigniter ſplenduit. Quo enim ille labore abſterritus eſt, quominus ad omnia quæ è Dei gloria & publico bono fore iudicabat, intrepidè aggrederetur? Quoties Alpes tranſcendit? Quoties in varias *Galliæ*, Belgij, Germaniæ, Italiæ, oras, diuinæ rei cauſa impiger excurrit? Qui illum obices, quominus occiperet inhibuere? Quæ difficultas auocauit à cœptis? Quæ niues, qui glaciales rigores, quæ hyberni aut æſtiui cœli intemperiæ, ſunt remoratæ? Aduersùs hæreticos & ſchiſmaticos, erga Catholicos, potentes licet & ſummum in orbe dignitatum verticem occupantes, nihil non molitus eſt, quo diuinæ gloriæ procurationem obiret ſtrenuè, ſéque ſeruum domino vtilem, & nauum agri dominici colonum approbaret. Et reſpondit culturæ ſeges. Oraculum eſt Alexandri tertij, eo reſcripto quo virum ſanctum inter cœlites retulit. [Fructum quem ſeruus Dei Bernardus in domo Domini, & Verbo operatus eſt, & exemplo, nullus ferè terminus ſanctæ Chriſtianitatis ignorat: cum vſque ad exteras, barbaráſque nationes ſanctæ Religionis Inſtituta tranſmiſerit, atque Monaſteriorum fundationem extenderit, & infinitam multitudinem peccatorum, per viæ ſæcularis latitudinem incedentem, ad ſpiritualis vitæ rectitudinem reuocarit.] Diceres deſcribi à Pontifice apiculam prata varia oberrantem, & in his flores lectiſſimos ſtudioſè nauitérque populantem, quale exhibet

Digitized by Google

hibet Corippus *b* illis verſibus, integri examinis ſtudium. *b* Lib.4.

Denſa per antiquas diſcurrunt agmina ſyluas
More Apium quas ver tepidum noua condere caſtra
Et munire fauos ceris iubet æthere captos.
Denſa per herboſos errant examina campos,
Floribus inſidunt variis, rorémque manentem
Ore legunt, onerántque humeros, ceráſque liquentes
Conficiunt, dulcéſque lares in pumice figunt
Incumbunt operi, gratíſque laboribus inſtant.]

LXXXX. *Mirabilior in tam tenui propéque nulla valetudine.*

Quod verò admirationem meritò auget, erat theſaurus iſte in vaſe fictili, ac propè perdito & vndecunque quaſſato. Erat inquam, quod Goffridus qui hominem norat, rectè admonuit, *a* erat S. Bernardus iam ferè ab auſpiciis religioſæ vitæ, morbis non attritus modò, ſed etiam contritus. Quanquam neque hoc diuinæ prouidentiæ conſiliis vacuum cenſuit Gulielmus Abbas. *b* [Quid enim (inquit,) ſi voluit ſapientia Dei per infirma potiùs hominis illius, tot tantaque confundere fortia mundi huius? Quid verò aliquando pro qualibet infirmitate eius remanſit infectum, quod per eum ſecundùm ſibi datam gratiam fieri oporteret? Quis enim noſtra ætate, quantumvis robuſti corporis & accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iſte fecit & facit moribundus, & languidus, ad honorem Dei, & ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem? Quantum poſtea numerum hominum, verbo & exemplo traxit de ſeculo non ſolùm ad conuerſionem, ſed ad perfectionem? Quantas ex eis per totum Chriſtianum orbem conſtituit domos ſeu ciuitates refugij, vt quicumque peccauerint ad mortem, & æternæ mortis rei iudicati fuerint, reminiſcantur & conuertantur ad dominum, & confugiant ad eas, & ſaluentur in eis? Quæ ſchiſmata eccleſiæ non ſedauit? Quas non confudit hæreſes? Quam pacem inter diſſidentes eccleſias non reſti-

a L. 3. c. 1.
b Lib. vitæ c. 8.

Digitized by Google

tuit? Et hæc quidem communia ſunt. Cæterum quæ bona innumeris hominibus ſigillatim præſtitit, pro cauſa, pro perſona, pro loco, pro tempore, quis enumeret?]

Hæc ille ſuperſtite etiam num B. Bernardo, cui etiam eſt præmortuus: vt proinde pleraque à ſancto viro potenter ac fortiter geſta, nõ viderit. Agnoſco apẽ [diligentiſſimè & laborioſiſſimè operãtem.] Hoc enim eã elogio exornat Ælianus; *a* negátque quãdiu tempus & vires ferunt, viſam vnquam otio diffluere, aut inertem torpere. Et tamen quod obſeruauit Gregorius Nyſſenus, *b* [dicit ſcriptura eam viribus infirmam eſſe; nunquam enim viſa eſt totum colligere florem, & ſuper dorſum ad aluearia portare, ſed tenuem illum qui in medio floris quaſi lanugini adhæret, alis, excuſſum puluerem, curuatis ſuſcipiens cruribus,] irrequietum obit opificium. Hinc illud apis à B. Auguſtino *c* elogium. [Apis cœteris quæ ſubiecta ſunt homini animantibus antecellit: Cum ſit minima corporis paruitate ingentes animos anguſto verſat in pectore, viribus imbecilla, ſed fortis ingenio. Hæc explorat temporum vicem, cum caniciem pruinoſa hyberna poſuerunt, & glacialem ſenio verni temporis moderata detërſerint, ſtatim prodeundi ad laborem cura ſuccedit, diſperſæque per agros libratim paululum paruis cruribus, ſuſpenſis incedunt; pars ore legere floſculos, & oneratis victualibus ſuis, ad caſtra remeant. Ibíque aliæ ineſtimabili arte cellulas tenaci glutino inſtruunt; aliæ liquentia mella ſtipant; aliæ vertunt flores in cera Aliæ ornatus fingunt, aliæ collectis foliis nectar includunt.] Omnes laborioſæ, omnes negotioſæ, nulla marcet aut torpet, dum morbus abeſt & tempeſtas permittit; omnes ad dulcem laborem fortes, tametſi corpuſculo tenui ac imbecilli, quandiu per valetudinem ac cœlum licet. Hoc plus habuit apis myſtica Bernardus,

a Lib. 5. de animal. c. 12.

b Orat. de deitate Patris &c.

c In benedictione cerei tõ. 6. vel 15. bibl.

ctus, quod in iugibus morbis, imo vna propè continua vitæ vniuerſæ inualetudine, quibuſvis procellis, & quantauis aëris inclementia, ſemper pro Deo inquies, ſemper negotioſus, ipſóque paſtus opere, nullis fractus laboribus, nulla abſterritus arduitate, in diuino mellificio acer & nauus perſeuerauit.

Mittamus reliqua; perpeſſiones attingamus tantùm, quod eas accuratè perſequi, immenſæ foret operæ, ſpiſſum volumen facilè expleturæ. Coëgit in arctum paucorum verborum, vim rerum planè magnam, Alexander Papa, eo diplomate quo virum ſanctum decorat canoniſmo. Dignæ ſunt voces ſingulæ, expenſione accurata, nec oſcitanti libratione. [In afflictione corporis ſui vſque adeò ſibi mundum, ſéque mundo reddidit crucifixum, vt confidamus, martyrum quoque eum merita obtinere ſanctorum, quem confeſſionis ordine, & parſimonia vitę, tam longum conſtat duxiſſe martyrium.] Poſſum hæc illuſtrare multorum ſanctorum Patrum præclarè dictis quæ alibi non ſunt omiſſa. *a* Sed non eſt quod Pontificium oraculum de S. Bernardi martyrio, muniendum aliunde putem. Fecit licitationẽ Philotheus. D.Bernardum martyribus non adiunxit modò ſed etiam antepoſuit, poſt longam perpeſſionum ſancti viri ſeriem carmine expreſſam. Sic enim cecinit.

LXXXXI *S.Bernardi perpeſſiones martyrio non impares.*

a 1. p.operis de de martyrio variis capitibus.

Grande quidem fuerat, ferro flammiſque necari,
Nec tamen æternam deſeruiſſe fidem.
Maius opus ſummo verſari in culmine rerum,
Nec tamen vlla animos ambitione premi.
Maius opus vitæ rigidum tenuiſſe cacumen,
Semper & anguſtum Religionis iter.
Bellaque ſpirituum telis agitata malignis,
Maius opus forti corde tuliſſe fuit.
Fulmineos alii mirentur Martyris arcus,
Laurentique auido quos tulit ore rogos,

Vulnera Chriſogoni iactent, Paulique catenas,
Euphemiaque truci membra reſecta manu.
Mirentúrque graues ſanctorum funera, pœnas,
Bella, crucem, gladios, verbera, tela, faces
Solus inexhauſto mirabor corde labores,
Quos Pater æterno raptus amore tulit.
Nam ſi Chriſtigenum cædes, tormenta, labores
Colligis, & fuſi ſanguinis omne decus:
Cedant cuncta oneri, quod pertulit ille beatus,
Lapſuram cupiens ſuſtinuiſſe domum.
Namque alij lacera ſenſerunt carne dolores,
Hic autem medio vulnera corde tulit.
Ergo animus quantum membris generoſior, ipſis
Martybus tantum celſior ille fuit.

Quo poſſit altiùs S. Bernardi perpeſſionum gloria, & fortitudinis eius ſplendor attolli, equidem non habeo. Eſſe enim martyrium, fortitudinis Dominicæ repræſentationem, & expreſſionem, vt pulchrè pronunciauit Lucifer Calaritanus *a*; atque adeò ſtatuendum eſſe in martyrio apicem & culmen fortitudinis in humanum pectus cadentis, nulla perpeſſionum immanitate domabilis, demonſtrare alio loco memini. *b*

Penè exciderat, quod eſt in fortitudine patiente glorioſiſſimum; inconcuſſum inquam ad verborum iacula pectus. Id enim S. Cyprianus martyrij laudum nunquam ſatur, maximè in martyribus ſuſpexit *c*. Miraris ſuauiſſimum B. Bernardi animum potuiſſe his telis patere? Num Chriſti ſuauitatem & benignitatem æquauit Bernardi ſuauitas? ſi patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticum eius? Ipſemet ſcribit *d* rem profectò indigniſſimam, ſed tamen minimè nouam. Ioãnes Abbas Caſæmarij, data ad eundem ſanctum virum epiſtola *e*, mœroris ſancti Patris ſubleuator acceſſit. Ottho Friſingenſis Antiſtes, qui aderat, & omnia oculis ipſe ſuis auribúſque vſurpabat, innocentiæ

a L. quod mor. ſit pro Dei filio.
b Lib. de marty. p. 4. c. 3. & 4.
c Lib. de laude mar-ty. n. 10.
d L. 2. de conſid. c. 1.
e Eſt 333. inter D. Bernard. Epiſt.

Digitized by Google

innocentiæ viri Dei apologiam texuit, quam Deus ipſe illuſtri miraculo obſignauit, referente Goffrido *b*. Eguit ergo vir ſanctus cõſolatore, eguit apologiſte, & homine & Deo, aduersùs verborem iacula quibus malignè à viris Belial transfigebatur. Cauſa exacerbationis & virulentiæ in eum fuit, copiarum florentiſſimarum in terram ſanctam chorago S. Bernardo tranſmiſſarum, infelix diſſipatio atque proſtratio. Gens pro molaribus habens gladios, famam hominis Dei concidit. Oblita prodigiorum, oblita virtutum editarum in verbo domini, auſa eſt voces improbas in eum iaculari, appellare ſeductorem, prophetam mendacem, impium hypocritam, qui plebem Dei; plebem verò? imo florem Chriſtianæ nobilitatis, furori & immanitati allophylorum obieciſſet. Succutiũculam nonnullam ſancti viri, ad hos motus eſſe conſecutam, & ipſe non obſcurè prodit, & amici qui lenimenta adhibuere, diſertè docent. Inhæſit nihilominus immobiliter diuino iudicio occulto, ſed indubiè iuſto, nec malignantium oblocutionibus quati conſtantiam ſuam, dèque gradu deiici, memor Chriſti paſſionum, & longè atrociorum oblocutionum ſuſtinuit.

a L. 1. de geſtis Federici cap. 60.
b L. 3. c. 4.

LXLIII. *Temperantia S. Berdi, circa cibum & potum.*

Reliqua eſt è virtutum choro Temperantia, cui ſubiectæ partes variæ, ſed illæ cum primis nobiles, abſtinentia eſculentorum ac poculentorum, eique continens corporis caſtitas, ac animæ caſtitas Fulgentio *a* Iudice, humilitas. Abſtinentia in S. Bernardo, acceſſit ad miraculum. Reddo Goffridi verba. [A primis ferè annis, euaſit illecebras gulæ, vt ipſam quoque ſaporum diſcretionem ex magna parte perdiderit. Quotiens pia miniſtrantium fraude deceptus, liquores pro aliis alios ſumpſit? nam & oleum ſibi per errorem aliquando propinatum bibit, & penitus ignorauit. Nec priùs cognitum quàm ſuperueniens quidam labia eius miraretur inuncta. Cibus eius, buccella Panis, in aqua

a Epiſt. 3.
b L. 1. vitæ cap. 1.

calida

calida penitus emolliti, cum exiguis ſorbitiunculis erat. Modicus ille quidem, ſed non modicam eius partem, crudam reiiciebat ſtomachus, ne qua illi foret in cibo voluptas, quem ſumere periculum, *ſumptum* tenere dolor; reiicere miſeria. Sic nimirum fideli ſeruo, iuxta deſiderium cordis ſui diſpenſatio ſuperna prouiderat, vt nec fructus ei deeſſet abſtinentiæ ſingularis, & odioſam ſemper admirationem, declinaret ſub vmbra neceſſitatis] Addo & illud ex Gulielmo Abbate *a*. [Indifferenter cuncta ſumens, æquè omnia approbabat: ſicut qui ſenſu ipſo corrupto, & penè emortuo ſapore, vix aliquid diſcernebat. Nam & ſagimen crudum per errorem ſibi oblatum pro butiro multis diebus noſcitur comediſſe; oleum bibiſſe tanquam aquam; & multa talia contingebant ei. Solam quippè aquam, ſibi ſapere dicebat, eo quod dum ſumeret, fauces & guttur ei refrigerabat.] Rurſúſq; inferiùs. *b* [Cibus eius, cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes quales infantibus fieri ſolent. Cætera, vel eius infirmitas non recipiebat, vel parſimoniæ ſtudio ipſe recuſabat. Vino, ſi quando vtebatur, raro, & nimis modico; cum magis aquam, & infirmitati ſuæ & appetitui competere teſtaretur.]

a Lib. 1. vitæ c. 7.

b Cap. 8.

Huiuſmodi hominem, qui nec manducantem nec bibentem dixerit, haud multum aberrabit à vero. Qualiſcunque verò fuit eſca & potus, quibus non tam vitam ſuſtentauit, quàm diſtulit, abfuit profectò illicium illud peccati quod vix ac ne vix quidem declinari inter veſcendum poſſe, S. Auguſtinus admonuit *a*, ſubſcribente S. Gregorio *b*. Nimirum ne homo actionem ſeruandæ vitæ prorſus neceſſariã faſtidiret, adiungendus ei fuit illex voluptatis, in cuius fructu, difficillimum eſt ita modum exactè tenere, vt debiti fines vltra citráve, non tranſiliantur; ſed vltra præſertim: quod faciunt qui tanquam ad viaticum reponunt cibaria,

a Lib. 10. confeſſ. c. 31.

b 30. mor. c. 28.

Digitized by Google

ria, edúntque vt edant, nec diſſimiliter bibunt; in quos Clemens Alexandrinus egregiè conclamat *c*. Hoc in S. Bernardo timendum non fuit, qui [ſic ad cibum & potum accedere ſolebat, ſicut ad tormentum.] *d*

c L. 2. pædag. c. 1.
d Guliel. Abbas l. 1. cap. 4.

LXXXX. *Eiuſdem integerrima caſtitas.*

Non abſtinentiæ duntaxat B. Bernardo demonſtrandæ, quod ſuſcepiſſe videbamur, ſed & caſtitati ac ſanctimoniæ corporis exponendæ, ſeruitum eſſe his quæ circa cibum & potum propoſui referendis, teſtem aduoco Tertullianum, quo iudice *e*. [Monſtrum haberetur libido ſine gula, cum duo hæc tam vnita, atque concreta ſint, vt ſi diſiungi omnino potuiſſent, ipſi priùs ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, vna regio eſt; denique pro diſpoſitione membrorum ordo vitiorum; prior venter, & ſtatim cætera ſaginæ ſubſtructa laſciuia eſt; per edacitatem ſalacitas tranſit.] Vſurpauit ex parte, ac proinde rata habuit Tertulliani verba S. Hieronimus *f*. Præiuerátque ambobus Philo *g*. Mirari proinde deſino, in homine qui gulam & ventrem adeò coercuerit, ignes Babylonios adeò refrixiſſe, & caſtitatis nitentiſſimæ imaginem, apem mundiſſimam, in S. Bernardo tam exquiſitè fuiſſe expreſſam. Non puto agendum de tempore quo vir ſanctus vitam egit in cænobio, inter Angelos corporatos, vnde illecebræ omnes ad quas naufragare ſolet caſtitas, exulabant. Vix enim erit, quem vel ſuſpicio tangat, potuiſſe per tempus illud puritatem viri ſancti fœda vlla illuuie contaminari.

e Lib. de ieiunio cap. 1.
f Epiſto. 22. c. 4. & epiſt. 147.
g Lib. de Agricul. ſub init.

Hærentis in ſæculo caſtimoniam ſcrutari & conſiderare placet, quod ibi ciuitas parua de qua apud Sapientem, dormitantibus excubitoribus, inſidiis hoſtium per quos aſſiduè cingitur, faciliùs pateat: quod pulchrè de caſtitatis periculis accipit S. Diadochus. *a* Adhuc ſeculari Bernardo, & in primo adoleſcentiæ æſtu, res contigit deſcripta à Gulielmo Abbate, *b* quæ quantus in eius pectore caſtitatis amor flagraret, perſpicuè oſtendit.

a Lib. de perfect. c. 57.
b L. 1. c. 3. initio.

Digitized by Google

oſtendit.[Obſidebant benignum Iuuenis animum, ſodalium diſſimiles mores, & amicitiæ procelloſæ, ſimilem ſibi efficere geſtientes. Quæ ſi ei dulceſcere perſtitiſſent, neceſſe erat amareſcere illi (qui in hac vita dulciùs cordi eius inſederat,) caſtitatis amorem. Cui præcipuè inuidens coluber tortuoſus, ſpargebat laqueos tentationum,ac variis occurſibus, calcaneo eius, inſidiabatur. Cum enim aliquando curioſiùs aſpiciendo, defixos in quandam mulierem oculos,aliquandiu tenuiſſet, continuò ad ſe reuerſus, & de ſemetipſo erubeſcens apud ſemetipſum,in ſe ipſum vltor ſeueriſſimus exarſit. Stagno quippè gelidarum aquarum quod in proximo erat,collo tenus inſiliens, tandiu ibi permânſit,donec penè exanguis effectus,per virtutem gratiæ cooperantis, etiam à calore carnalis concupiſcentiæ totus refriguit.] Quis dubiter aquas illas, exardeſcentibus in Bernardi adoleſcentis pectore ſanctis ignibus,fuiſſe concalefactas, & ſtagnum gelidum, mirabili tranſmutatione euaſiſſe in caminum flagrantiſſimi amoris in Deum, ex ſanctitate corporis, quæ excipiendæ tantæ maieſtati aptat domicilium?

Non ibi ſtetere Bernardi pro caſtitate certamina,atque victoriæ. Puella, (proh ſcelus!) in lectum ſancti adoleſcentis à Satanæ adminiſtris immiſſa nuda, vt nitor puritatis eius macularetur, pudorem ſceleris quē in thorum illum non intulerat,ingenti horrore ac ſtupore cumulatum retulit, ſancto adoleſcente prorſus illæſo. An hæc ſit illa quondam Humbelinæ viri ſancti ſororis pediſſequa,de qua Ioãnes Eremita tale quid recitat,mitto quærere. Neque illud premendum, etiamſi pudendum. Matrona, imo lupa, cuius hoſpitio ſanctum adoleſcentem inter peregrinandum vti contigit, ſpecie & venuſtate eximia eius pellecta, & in oculis ſuis capta, ita in fœdum amorem exarſit, vt in ſecubantis lectum, nocte concubia irruperit nuda, vim

e Guliel. ibid.

factu

factura pudicitiæ. Semel, ac iterum, & tertiò, impuriſſimum Diaboli organum, adoleſcentem ſanctum appetiit. Toties repulſum validè eſt, conclamante Bernardo adeſſe latrones & vim parare. Nec abs ſe conclamatum in latrones, poſtridie rogatus docuit, quamvis excita familia, & luſtrata domo, nuſquam apparuiſſent. Theſaurum enim immenſi pretij, virginitatem, ſpurcæ hoſpitæ latrocinio appetitum, eo ſe ingenti clamore, pro triplici incurſu ter edito, ſeruare illibatum voluiſſe, & Dei beneficio ſeruauiſſe. Alia maculandæ corporis ſanctimoniæ diſcrimina ſancto adoleſcenti impendiſſe, proditum eſt: Sed mel pudicitiæ, eum ſeruauit incorruptum, ac planè nitentem, & immunem à fœtore. Nam & hanc vim ineſſe melli vt corporum vitia prohibeat, Mercurialis autor eſt; *a* confirmátque ex S. Dyoniſio Grapaldus. *b* Suppetunt exempla cadauerum, quę per annos plurimos integra manſerunt, melle delibuta. Hoc Plinius de Hippocentauro Claudij principatu in Theſſalia nato, prodidit. *c* Hoc de ſatyro ad Conſtantinum magnum allato, S Hieronimus. *d* Papinius ad eandem mentem.

a Lib. 2. var. c. 24.
b Lib. 1. de partibus domus c. 4. §. mel.
c Lib. 22. cap. 24.
d Lib. 3. ſylu.

Duc & ad Amathios montes, vbi belliger vrbis
Conditor, Hyblæo perfuſus nectare durat.

Plenè in hanc rem diſputatum, tractando de Incorruptione cadauerum, iuſta lucubratione. Quod mel corporibus etiam anima vacuis, hoc caſtitatis incenſus amor fauente numine præſtat animis; indéque S. Bernardi plena & exquiſita per vniuerſam vitam corporis ſanctitas & integritas manauit. Nihil retexo. Manſit Bernardus, corpore ſanctus & integer per totam vitam Faceſſat bambalio ille, qui B. Bernardi nomen inſulſo ſermoni de B. Virgine *e* appinxit, quo autor, deſtitutum ſe virginitatis flore profitetur. Non cadunt iſta in B. Bernardum, cui certum eſt, virginitatem in religioſo ſtatu non deceſſiſſe. Eam verò illuc intuliſſe, Gu-

e Poſt 5. ſermonē de Aſſumptione.

Digitized by Google

lielmus Abbas,ſancti viri peramicus,& arcanorum eius conſcius in paucis,diſertè prodidit. *f*

f L.1. vitæ cap.3.

XCIV. *Item ſumma humilitas.*

Commodè,à virginitate ſancti viri, ad eius humilitatem fiet delapſus.Quod enim ſcitè à Bleſenſi dictum eſt, *g* [Collactaneæ virtutes ſunt, virginitas & humilitas.] Eſt humilitatis adumbratio, in ape, non exigua. Eius opificium [in caliginoſis aluearibus obſcuriſque figmentis,vt Nazianzenus loquitur, *h* quæſitas ſtudioſè ab humili animo latebras,& obſcuritatem, prodit. Notarunt alij id expreſſum à Sapiente,*a* cum apis *operationem* dixit *venerabilem*, hoc eſt arcanam & latentem, non oſtentatam. Nec illud omittendum quod de apibus Cretenſibus obſeruauit Plutarchus, *b* abſolutè autem de quibuſvis apibus Maro.*c*

g Serm. 3. *h* Orat.34. num 53. *a* prouer. 6.iuxta70. *b* L de ſolertia anim. *c* 4 Georg.

----- --Sæpè lapillos
Vt cymbæ inſtabiles fluctu iactante ſaburram
Tollunt,his ſeſe per inania nubila librant.

Hoc ad humilitatis curam & iactantiæ declinationem pertinere, doceo ex S. Ambroſio, ſic affante ſacras Virgines *d*. [Illecebroſa iactantia eſt quam etiam Paulus veretur: lubrica, quæ etiam in Paulo cauetur: ſed non iſte facili mobilis caſu, qui reuelationibus timebit extolli.Et ideò quaſi fortis Athleta lætatur, quod vulnere corporis emere didicerat ſanitatem. Ergo & tu, ſi munera diuina ſuperfluere in te, & redundare cognoueris, tuam metire virtutem, gratiam Deo redde, contemplationémque corporis,velut nauis ſaburram ſuſcipe; ne in tantis mundi fluctibus, iactantiæ alicuius aura circunferatur. Apis illa ſapiens, cum aëris motus ſuſpectos habet, lapillis ſæpè ſublatis, per inania ſe librat nubila, ne leue alarum remigium, præcipitent flabra ventorum. Paulus & Barnabas putauerunt ſe grauari, cum cernerent ſe adorari. Et tu caue virgo, illius Apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum,aura huius mundi tollat.]

d L.3.de virg.

Humilitatis, ita ſibi obſcuræ, vt tamen ſit virtutum lumen,

Digitized by Google

lumen, quantus in ape myſtica Bernardo ſplendor fuerit, fruſtra docerem. Vir inſignibus ac præcellentibus naturæ ac gratiæ dotibus clarus, Pontificum Romanorum veluti lingua, Antiſtitum inferiorum cortyna, in ſumma apud Reges ac Principes admiratione, diuinis operibus ſupra naturam & omnium generum denſis quotidie miraculis illuſtris, quibus recēſendis & diſtinctè explicandis vaſta volumina eſſent imparia, populorum omnium plauſu, quocunque progrederetur, exceptus honorificentiſſimè, ſibi vni vilis ac inglorius, ante oculos ſuos obſoleſcebat, probè gnarus nullum ſolidæ virtutis argumentum extare certius poſſe, quàm deſpicientiam ſui, & humilitatem, quæ iuxta S. Macarium *d*, characteriſmus eſt Chriſtianiſmi, ita vt qui ea caret, Chriſtianus non ſit, ſed vas erroris & Diaboli. Scitè Philo, diuinam legem in ea verba conceptam, ***non plantabis tibi ipſe lucum, omnem arborem apud ſacrarium Dei tui non facies tibi ipſe a***, interpretatur de euitanda arrogantia; & per humilitatem veram bonis noſtris omnibus referendis in Deum: quod qui facere prætermittit, ſibíque ex bonis ſuis aliquid tribuit, lucum plantát quo tenebreſcat, & in numen agat impiè. Nec minùs concinnè Rupertus *b* quod de polluto altari ſuper quem cultrum ſuum quis leuauerit, præſcriptum olim fuit, referendum cenſuit ad inquinationem quantumuis ſanctorum operum, quæ homo malè ſanus, ad tumorem & arrogantiam abiecta humilitate conuerterit. Horum probè ſciens S. Bernardus, quantumuis feracitate ſanctorum frugum commendatiſſimus, humilitatis fuit & amantiſſimus & tenaciſſimus.

a Lib. 1. alleg.

b Lib. 3. in Exod. c. 33.

XCVI. *Mirabilior in tanto applauſu.*

Tametſi verò quod ſancti viri amiciſſimus Richardus Victorinus *c* pulchrè conſiderauit, longè operoſius eſt, cum abundant fructus meritorum retinere humilitatem, quo accommodat quod Ioſue 3. tempore meſſis, Iordanis aluei ſui ripas impleſſe dicitur, non

c L. de exterm. mali c. 24.

exceſſiſſe: Tamen neque hoc decus, humilitati S. Bernardi defuit, & quidem in ſumma & vniuerſali, feréque perpetua, apud omnes mortales approbatione. Hæc quanta ſit humilitatis perfectio, ipſe ſibimet teſtimonium perhibens S. Bernardus, atteſtetur *a*. [Non mediocris reuera (inquit,) humilitatis inſigne, nec oblata gloria, obliuiſci humilitatem. Non magnum eſt, eſſe humilem in abiectione: magna prorſus & rara virtus, humilitas honorata.] Non igitur mediocris, ſed magna prorſus & rara humilitas tua, ô vir Dei. *Dicant* qui te nouerunt, & in ſapientia tua lætati ſunt: Gloriam nominis tui, eíque commenſam animi demiſſionem & humilitatem, nos doceant. *Goffridus eſt*, quem teſtem produco, è multis vnum, ſed locupletem & grauem. [Legimus de Salomone quod omnis terra deſiderauit videre vultum illius. Grande præconium; ſed forſitan in hac parte, non minus, quàm Salomon hic. Neque enim ſatis credibile eſt, Salomonem illum in omni gloria ſua tam vniuerſalem orbis obtinuiſſe fauorem, quàm hunc in ſua humilitate. Imo verò difficile omnino videretur ex hiſtoriis aliquibus inuenire hominem vnum conuerſantem adhuc cum hominibus, in vniuerſa terra tam celebre, & amabile obtinuiſſe nomen, à ſolis ortu, & occaſu, ab Aquilone & mari. Vt enim illas memoremus Prouincias ex quibus vſque hodie monimenta certiora ſupereſſe noſcuntur, & in Eccleſia Orientali, & apud ſoles occiduos Hybernorum, & à meridie in remotis finibus Hiſpaniarum, & ab Aquilone in inſulis quæ ſunt procul Daciæ Sueciæque, celeberrima eius opinio fuit: crebràs vndíque recipiebat epiſtolas, & reddebat. Vndique ei xenia mittebantur, vndíque eius benedictio petebatur. Poſtremò quaſi vitis abundantiſſima, ſuos vndíque palmites propagauit.]

a Hom. 4. ſuper *miſſus eſt.*

Lib. 3. vitæ cap. 6.

Gulielmus Abbas ſancto patri coniunctiſſimus, geſtit audiri

audiri,& quanta apud omnes ſummos ęquè ac infimos, probos & improbos ſancti viri eſſet autoritas, quanta eiuſdẽ præcellentia inter omnes vbiq; terrarũ eo tempore ſpirituales, docere poſteros.[Sicut enim dicitur per Prophetã de ſanctis animalibus, [quia cũ fieret vox ſuper firmamentum quod imminebat capiti eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas,ſic hodie vbique terrarum,ſpirituales quíque loquente Bernardo ſeu tractante,ſtant,cedendo præcedenti, & ſenſibus eius vel intelligentiis ſubmittunt ſenſus & intelligentias ſuas.] Quominus] tamẽ iſta minutiùs concidẽti Gulielmo & humilitatis ſummum in tanta luce ſtudium celebranti accommodare diutiùs aurem placeat, vetat quæ ad ſe vocat altera germanæ humilitatis proba, quàm breuiſſimè expedienda.

Honores (vt vocant,) Eccleſiaſticos, qui verè horrores potiùs quoad pleroſque nuncupandi eſſent,adeò non eſt conſectatus vir ſanctus, vt oblatos, imo ingeſtos,& nec qualeſcunque, ſed pinguiſſimos Epiſcopatus,conſtanter reſpuerit, quantumcunque vrgeretur. [Quot Eccleſiæ, (ait Abbas bonæ vallis,) *b* deſtitutæ Paſtoribus, eum ſibi in Epiſcopum elegerunt? Elegit eum domeſtica Lingonenſis Eccleſia, elegit Cathalaunenſis. Intra Italiam Ciuitas Ianuenſis & Mediolanum metropolis Ligurum,hunc optauerunt Paſtorem, & Magiſtrum.Rhemi nobiliſſima Franciæ Ciuitas,ſecundæ Belgicæ Prouinciæ caput, eius dominationom ambiuit. Omnibus his vocationibus poſtpoſitis,non ſollicitauit animam eius honor oblatus, nec motus eſt pes eius, vt inclinaret ſe ad gloriam, nec magis eum delectabat Thiara & annulus, quàm raſtrum, & ſarculus.] Exoſculatus eſt hunc limbum,& in ſuam B. Gulielmi vitam intulit Theobaldus Epiſcopus, demirans viri ſancti humilitatem, qui ſi [honorum effugit poſſeſſionem,non effugit dignitatem.] *d*

XCVII. *Fuga honorum per S. Bernardum.*

b L. 2. vitæ c. 4

c Cap. 2.

d Guliel. Abbas l. 1 vitæ c. vltimo.

Recep

XCVIII. *Summella antedicto-rum. S. Bernardus apis myſtica.* Receptui tandem canendum eſt. Videor enim mihi, quod receperam, plenè executus. Conſilium fuerat demonſtrare, eſſe B. Bernardum apem illam myſticam, cui rectè accommodare liceat illud Siracidæ, *a Breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* Quare eodem iure illud alterius quidem Sapientis, ſed eodem afflante ſpiritu prolatum, tametſi in editione noſtra præteritum, ad pietatis amantē lectorem hoc loco dirigam. *Vade ad apem, & diſce quomodo operaria eſt: Operationē quoq; quàm venerabilem facit, cuius labores, Reges & Idiota ad ſanitatē afferunt. Appetibilis autē omnibus & clara, etiam cum ſit robore infirma, ſapientiam honorans euecta eſt.* Fruſtra quæratur breuior & luculentior B. Bernardi decorum ac geſtorum expreſſio. Nam & breue volatile, abiectus inquam & vilis in oculis ſuis fuit, quantauis potiretur excelſitate prærogatiuarum omnium, eſſétque verè auis cœli, quod de S. Dyoniſio Areopagita, à S. Ioanne Chyſoſtomo *b* dictum memini. Idem verè infirmus robore, quod attrita ſemper & quaſſata valetudo eius teſtatur. Operarius item nauus & indefeſſus, quod demonſtrauimus ſatis ſupérque. Venerabilis, (vel interprete D. Hieronimo,) munda & caſta eius operatio; vſus laborum eiuſdem, cum Regibus tum priuatis communis; appetibilitas, & gratia, ac claritas apud omnes; ſapientiæ per eum cultus & honor; Euectio denique & ſumma eius ſublimitas ob adamatam ſapientiam, Solis radiis ſplendidiùs micant. Meritò igitur audiet à me B. BERNARDVS, APIS GALLICA. Meritiſſimò in illo diuina ſapientia, non ſecus ac in ape vnius licet puncti animalculo, præ turrigeris elephantorum humeris taurorúmque collis, ſuſpicitor.

a Cap. 11.

b Prou. 6.

b Homil. contra hæretic.

XCIX. *Imitanda eius cerificatio, & mellificiū.* Hoc mihi encomium verbis ſubſtrictum, ſed ſenſibus diffuſiſſimum, pro aliis grandiſonantibus eſto, quę à variis inſignibus exornatoribus depacta lego; Ea vt

compo

componi cum noſtro valeant, hîc ex parte repræſento.

Alexander III. Epiſtola ad omnes Abbates Ciſtercienſes. *Vitam & Sanctitatem Beatiſſimi Confeſſoris Bernardi, recordatione ſollicita memorantes, quod ſcilicet, & in ſeipſo Religionis ac ſanctimoniæ prærogatiua magnificus, & vniuerſæ Eccleſiæ Dei fide & doctrina vtilis extiterit, & copioſiſſimè fructuoſus*, &c. Idem Epiſtola ad Clarauallenſes; *Beatæ memoriæ Bernardus, Deo pro virtute Religionis acceptus, & Eccleſiæ Dei pro plenitudine deuotionis ac fidei gratioſus.* Et inferiùs. *Ad memoriam reuocamus, quomodo fide ac Religione atque doctrina præfulſerit; quantóque in Eccleſia Dei perſpicua charitatis lumine, radiarit.* Sertum id eſt ex Alexandri Pontificis vna & altera areola. Plenum verò hortum florulentæ exornationis S. Bernardi per Alexandrum, videre eſt in diplomate, quo ei canoniſmum & cœlitum honores decernit. Sed quod fuſior ſit ea exornatio, quàm vt hic exhiberi vniuerſa poſſit, ibi legatur.

Gregorius IX. in Bulla Canonizationis S. Dominici fundatoris Ord. Prædicatorum. *Deus quaſi lapſum renouaturus exercitum, & redditurus iubilum poſt lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam, equis albis, fratribus Ciſtercienſis Ordinis & Florenſis, velut tonſarum greges, geminæ charitatis fœtibus vberes, de pœnitentiæ lauacro fecit aſcendere; S. Bernardo ariete ouium, in virtute Spiritus qua ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti vallium præeunte, vt tranſeuntes liberati per eum, in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant caſtra Dei exercituum ſuper mare.*

S. Mechthildis a *In medio Eccleſiæ, S. Bernardi ſingulater à Deo in Benedictionibus dulcedinis præuenti, Dominus aperuit os: quia Spiritus ſanctus eum tam affluenter & ſuperabundanter influendo repleuerat, vt velut cum ventus rapidiſſimo impetu ianuam aperit, ita Spiritus ſancti impulſu, ea quæ ſibi diuinitus inſpirabantur, charitate accenſus effuderit,*

a L. gratiæ ſpiritual. cap. 91.

 derit,

Digitized by Google

derit, & Eccleſiam ſua doctrina multum illuminauerit; & impleuerit illum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus; & ſupra quàm dici poteſt, mente illuſtratus, licet multa effuderit, multo tamen plura in intellectu reſeruauerit.

b Cap. 2. Theobaldus Epiſcopus, Autor vitæ S. Vuillelmi *b*. *Bernardus in tantum, vita, moribus, & Doctrina clarus effulſit, vt nullus ei in orbe ſecundus exiſteret, ingenio, moribus, ore, ſtylo, & virtutibus. Quinimo Sanctorum* Catalogo *annumeratur, & apud ſuperos præſentialiter honoratur. Hic eſt qui in diebus ſuis hæreſes extirpabat, hæreticos confundebat, Schiſmaticos reuocabat, erroneos inſtruebat, diſcordes concordabat, bonos promouebat, malos increpabat, & principes quoque arguebat.* Et mox, agens de eius fortitudine, & dimiſſo (cum res poſtularet) propoſito non exeundi è cœnobio. *O virtutem viri! O animi puritatem, nec affectantis publicum, nec formidantis tyrannum pro eius ſalute. Si fugiebat publicum, quouſque affectaſſet Cathedræ faſtigium? Deus meus, quot & quanta Eccleſiæ Cathedrales, propriis orbatæ paſtoribus, eum in Pontificem elegerunt? Sed non plus eum delectabat mithra & annulus, quàm roſtrum & ſarculus.*

Pars lemmatis ſepulchralis appoſiti in tranſlatione corporis S. Bernardi, anno 1153. ſic habet. *Bernardus, primus Claræuallis Abbas, fuit vir in diebus ſuis vita & moribus ſanctiſſimus, in miraculis faciendis poſt Apoſtolos clariſſimus, in intelligentia & expoſitione S. Scripturæ, Doctor egregius, inter diſcordantes pacis reformator præcipuus, hæreſeon & errorum tunc temporis in Eccleſia pullulantium reprehenſor & corrector induſtrius, in multis quæ prædicebat Propheta veridicus, Monaſteriorum & Religionis ampliator deuotiſſimus, lucerna ſingularis non ſolùm Eccleſiæ Gallicanæ, ſed etiam* Chriſtianitatis *vniuerſæ.*

a Eſt ſerm. 61. Autor ſermonis de Natiu. Saluatoris *a*, apud Petrum Damiani, *Totus ſententiæ ſenſus, ex illius arca mutuabitur,*

cuius

cuius conſilium eſt quaſi conſilium Dei. Ipſe ille eſt, Dominus videlicet Claraeuallenſis, cuius religio & diſcretio, ſapientia & eloquentia, vita & fama, per totam Latinitatem, non immeritò decurrit. Libenter enim illius Sarcinas adoro.]

Philippus, Abbas bonæ ſpei, Epiſtola ad ipſum S. Bernardum *b*; [*Vos, homo tanta pacis, tanta Sanctitatis, tanta fama.*] Rurſus alia Epiſtola ad eundem data *c*. *Vobis datum eſt in cellam vinariam & Domini Sacrarium introire, cui leo de Tribu Iuda & ſoluere ſeptem ſignacula, & librum voluit aperire: veſtróque miniſterio, turbis diſcumbentium alimoniam impertire.* Idem Philippus, demortuo S. Bernardo hoc appoſuit Epitaphium.

b Eſt Epiſtola numero decima.
c Eſt Epiſtola 11.

Claræ ſunt valles; ſed claris vallibus Abbas
Clarior, his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus auis, clarus meritis, & clarus honore,
Clarior eloquio, religione magis.
Mors eſt clara, cinis clarus, clarúmque Sepulchrum:
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

Petrus Mauricius Abbas Cluniacenſis *a* Epiſtola ad ipſum S. Bernardum, vocat eum, *Venerabilem & præclaram Eccleſiæ Dei, lucernam.* Et alia Epiſtola *b*. vocat, *fortem ac ſplendidam Monaſtici Ordinis, imo totius Eccleſiæ Dei columnam; cui mallet nexu indiſſolubili adhærere, quàm vel principari alicubi inter mortales, vel regnare: cuius cohabitatio regnis omnibus præferenda, non ſolùm hominibus grata, ſed etiam Angelis.*

a L. 6. Epiſtol. 20.
b Epiſt. 30.

Helinandus Monachus frigidi montis referente Vincentio in ſpeculo hiſtor. *Lege pulcherrimum libellum de conſideratione, ex cuius nobiliſſimo ſtylo, poteris intelligere, Auctorem libri ſapientiorem fuiſſe Apolline, eloquentiorem Demoſthene, ſubtiliorem Ariſtotele, moderatiorem Socrate, diſcretiorem Platone.*

Nicolaus Monachus S. Albani ad Petrum Cellenſem *c* *initauit* (S. Bernardus) *in gaudium Domini ſui, qui in diebus ſuis ſanctitate venerabilis, opinione ſingularis, eloquentia*

c Eſt 166. inter Cellenſis Epiſtolas.

quentia ſuauis, & ſignorum innouatione, immutationéque mirabilium, extitit mirabilis.]

Otho Friſingenſis in opere de rebus geſtis Friderici primi Imperatoris *d.* *Erat illo in tempore in Gallia, cœnobij Claræuallenſis Abbas quidam. Bernardus dictus, vita & moribus venerabilis, religionis ordine conſpicuus, ſapientia literarúmque ſcientia præditus, ſignis & miraculis clarus. Hunc Principes vocandum, ab eóque quid de hac re fieri oportèret, tanquam à diuino oraculo conſulendum, decernunt.*

d Lib. 1. c. 34.

Andreas Sauſſayus, Epiſcopus Tullenſis S.R.I. Princeps & Hagiologus inſiguis, S. Bernardi elogium prolixum, inſertum in Martyrologium Gallicanum 20. Auguſti hac clauſula obſignat *Bernardus, cum in tantũ, vita, virtutibus & doctrina, clarus fulſiſſet, vt nullus ei exiſteret in orbe ſecundus, igenio, ore, ſtylo, ſignis ſanctitate, ſeruus Dei fidelisſimus; Deiparæ beatisſimæ cultor, encomiaſtéſque præcipuus, Eccleſiæ catholicæ ſol lucidisſimus, ordinísq; ſui decus immortale: poſt vindicatam Sedis Apoſtolicæ libertatem, aſſertam vnitatem Eccleſiæ, Galliam Sanctitate repletam, orbem Chriſtianum ſignis admirabilibus, ſcriptíſque piisſimis, eruditisſimis, imo planè cæleſtibus ac diuinis illuſtratum, fundata centum ſexaginta ordinis ſui monaſteria, aliáque incredibilia diuinè prorſus patrata, conſummatis feliciter vitæ diebus, & annis circiter 63. expletis, inter filiorum ſuorum gemitus ad obuia perrexit Angelorum agmina, quorum puritatis, gratiæ, zeli, officij particeps fuerat, imitatórque ſanctarum exercitationum, quibus in terris Dei gloria & ſalus hominum propagatur, regníque cæleſtis decora inſtaurantur.*]

Sat aggeſtum eſt florulentorum Sertorum in S. Bernardi decus Plura ſuppeditabunt, Andreas Fontebraldenſis, *a* Guerricus Igniacenſis, *b* Diſcipulus S. Anſelmi, *c* Petrus Cellenſis, *d* Cæſarius, *e* Bonauentura Patauinus, *f* Iacobus de Vitriaco , *g* Henricus Gandau. *h* Goffridus *i* Nicolaus Ricuallenſis , *k* Gerſo, *l* Philotheus Monachus *m* Baptiſta Hiſpaniolus, cognomento Mantua

a In vita Roberti Abruſc. pag. 250. *b*. Serm. *c* Apolog.

Mantuanus *n* Card. Baronius ad annum Chriſti 1153. & nuperrimè Stephanus Le Grand, autor hiſtoriæ ſacrę vrbis Caſtellionis ad Sequanã, *o* aliíque omnino multi Recentiores, qui plena encomia, meritis haud quaquam ſuperiora S.Bernardo panxerunt, quæ breuitati conſulens, prætereo. Mihi fragrat immensùm, breue illud *Apis Gallica.* Ac ne illud quidem cum vno quopiam antedictorum, queritans vrgeo, S.Bernardum dici duntaxat *honeſto loco natũ*, qui dicendus fuiſſet *nobiliſsimo loco* aut *ſtirpe perilluſtri* natus: quippe qui è Comitum Caſtellionenſium clariſſima progenie ſatus, neceſſitudine attingeret præpotentes & iuxta ſeculum illuſtriſſimas familias: connubialibus verò ſuorum affinitatibus, etiam Ducum Burgundiæ celſiſſimo generi conſereretur. Hoc de S. Bernardo taceri, vel etiam obſoletioribus vocibus obſcurari, haud inuitus audio; qui docente ipſo B. Bernardo comperi, quantum ac quale ſit mortalibus decus à genere: in cœlo autem eiuſmodi ornamentum ad tot alia micantiſſima indulta diuinitus, hoc eſſe quod eſt cicindela ad ſolem, cui admota ne comparet quidem. Itaque laudaui ſatis Bernardum, cum APEM dixi, vltra quod non habuit Seuerus *a* quo B. Auguſtini laudes ſuſtolleret.

Sed quod viro ſancto, de more cæterorum Cœlitum, pluris ſit habere imitatores factorum ſuorum, quàm laudatores; Satagendum eſt, vt boni æmulatores ſimus, geſtorum quæ in eo ſuſpeximus. Exprimendum imitatione, eius opificium, vniuerſum, ſiue cerificatio, ſiue mellificium. Cera paranda ſed pura, quæ non flexilitate ac mollitudine ad vitium, ſed formabilitate per diuinam manum, & ſequacitate ad omnes eius nutus ac ductus, definiatur. Mel legendum; at non inſanioſum, quale apud Xenophontem: *a* non venenatum, quale Heracleenſe ex aconitis lectum, *b* nec non Sardoum, autore Dioſcoride. *c* non amarulentum, quale Martiali

pro lib. de concep. virg. *d* Ep. 112. *e* Lib. 14. mir. c. 17. *f* Cap. 36. medit. *g* Hiſtor. Occid. c. 14. *h* Lib. de ſcriptor. *i* L. 1. vitæ S.Ber. c. 1. *k* Carm. de S. Bernardo. Extat. in Bibl. S. Victoris. *l* Parte 2. ſerm. de S. Bernardo. *m* Carm. de S. Bernardo. *n* L. 8. Faſtor. *o* Cap. 10. ſecundæ partis.

XCIX. *Imitatione exprimenda S. Bernardi Apis Gallicæ, cerificatio, & mellificatio.*

a Lib. 4. de Cyri expi.

li *d* referente, Corſicanum, & quod ſacræ literæ mel ſylueſtre nominant, paſtum eo in deſerto Baptiſtam prodentes. Fuiſſe enim amariſſimum, Iſidorus Peluſiota *e* confirmat; tametſi Beda, *f* mel illud negat aliud fuiſſe quàm frondes lactei coloris, & ſaporis melliti, cõfricatione edules. Pro hoc multiplici melle improbato, placeat mel concordiæ & pacis, mel exquiſitæ deuotionis, mel virtutum quarumcunque.

b Dioſcor. l. 6. cap. 8.
c Lib. 2. c. 75.
d Lib. 9.
e Lib. 1. ep. 132.
f Lib. de locis ſãct. c. 1.

C. *Quatenus eius exemplo apes eſſe debeamus.*

Simus nos quoque Chriſti apiarium. Simus apes quas prudentia exornet, integritas & puritatis amor honeſtet, turpitudinis auerſatio commendet. Simus apes, non muſcæ, aliena bona ſuauiãtes atque inuolantes in vlcera. Vt enim ſapienter ac verè à SS. Iuſtino, *a* Baſilio, *b* Chryſoſtomo *c* notatum memini; ſunt ingenia muſcas referentia; quæ vbi morboſum aliquid aut exulceratum deprehenderint, illicò accurrunt; contra quàm apes faciunt, quæ fœda prætereuolant, ſolis odoratis inſidentes. Itaque S. Chryſoſtomus de prurigine alienos defectus ſugillandi multa prolocutus, concludit. [Ne mordeamus, neque arrodamus aliena vulnera. Ne muſcas imitemur, ſed apes æmulemur. Muſcæ vulneribus inſident, eáque mordent, apes in flores inuolant. Idcirco iſtæ fauos concinnant, illæ morbos corporibus inuehunt quibus inſederint. Atque hæ quidem deteſtandæ ſunt, illæ verò amabiles ſunt. Et nos igitur faciamus, vt in pratum virtutis ſanctorum anima noſtra inuolet, & ſuauem rectè factorum odorem ab illis effuſum excitemus, proximorum verò vulnera ne vellicemus. Quinimo ſi quos id agentes viderimus, os illis occludamus, ſupplicij metum illis obiiciamus, & cognationis illius memoriam refricemus, quæ illis cum fratribus intercedit. Quod ſi nihil horum illos moueat, muſcas illos appellemus, vt huius ſaltẽ appellationis probro, à prauo hoc inſtituto reuocentur

a Dialo. cum Tryphone.
b Homil. 11. ex variis.
c Serm. 2. de prophet. obſcur.

Digitized by Google

centur & ab hoc inutili otio abducti, malorum ſuorum inquiſitioni otium omne impendant.] Muſcæ planè non apes, quotquot alienas purulentias exſugunt, & vulnera exacerbant, prę otioſitate à propriis ad aliena malè auocati. Tales ne ſimus, ſed apes potiùs æmulemur. Simus humiliter & ſanctè negotioſi, parantes cibum in tempore qui in æternam vitam permaneat: ad quod prętandum, vrget hominem, apum exemplo S. Paulinus. *g* Ne ſimus quod fuci ignaui, & à pręſepibus arcendi. Ne veſpæ, quæ item fauos faciunt, vt Tertullianus admonet, *h* ſed improbatos ac degeneres. Ne crabrones, ſola nocendi pertinacia & aculei virulentia nobiles. Ac ne apes quidem ſimus omni ex parte. Infigit apis aculeum, & vulneri ſuo immoritur. [Habet ſpiculum ſuum, & inter mella fundit venenum ſi fuerit laceſſita, animámque ponit in vulnere ardore vindictæ;] vt D. Ambroſius obſeruauit. *i* En imago auidi vltionis. Eum proinde S. Chryſoſtomus, ex hoc exemplo ita affatur. *l* [Nonne vides apem quemadmodùm immoritur aculeo? Per illud animal nos docet Deus, ne proximos afficiamus triſtitia. Ipſi namque priùs mortem excipimus. Et illos quidem fortè paululum lædimus: nos autem non ampliùs viuemus quemadmodùm nec illud animal. Et ſi laudat illud Scriptura, quod operarium ſit, aſſerens, *cuius opus, Reges & priuati ad ſanitatem offerunt*, nihilo tamen ipſi prodeſt ne moriatur, ſed omnino moriatur eſt opus. Ergo, ſi illam non liberat malefacientem in reliquis præſtantia, multo minus nos.]

g Epiſt. 3. ad Amandum.
h L. 4. in Marcio.
i L. 5. hexaëm. c. 21.
l Hom. 68. ad pop. initio.

Eſt apis Symbolum palponum, qui ore mel præferunt, ſed aculeis pungunt; collaudant præſentem, & palam demulcent, abſentem pungunt, & ſpiculis obtrectationum clam figunt. In quam rem concinnè diſſerens Petrus Damiani *a*, ait id eſſe quod expoſtulabat S. Dauid pſal. 117. *circumdederunt me ſicut apes.* Eo item

a L. 2. Epiſtol. 9.

item accommodat, [quòd Iſraëlitæ dum ire per deſertum ad terram repromiſſionis properant, priùs caſtrametati ſunt ſicut vetus habet editio in Gaï, deinde veniunt in Dibongad. Gaï nimirum interpretatur *cahos.* Et quid per cahos niſi cor intelligitur hominum peruerſorum, obſcurum, tetrum, atque profundum? *Prauum eſt enim cor hominis,* ſicut Scriptura dicit, *& inſcrutabile, & quis hominum cognoſcit illud?* Dibongad tamen ſignificat Apiarium tentationum. Poſt chaos itaque ad Apiarium peruenitur, quia poſtquam cor obſcurum doloſum atque profundum, more chaï, caligo malitiæ ac fraudis obtenebrat, ad hoc etiam quandoque per iniquitatis augmenta progreditur, vt proximos quoſque, velut apes, & præſentes aſſentationis melle demulceant & abſentes, obtrectationum aculeis pungant. De Gaï ergo in Digonbad, de chao venitur ad Apiarium, quia de fraudulenta malitia tenebroſi cordis, prauus quiſque progreditur ad infligenda ſpicula detractionis] Clemens Romanus & maledicum ac conuiciatorem api confert, & aliam adducit analogiæ illius rationem, ſic admonens. [Si pax ad illos rurſus redit qui eam præmiſerunt, quia non reperit qui eâ eſſent digni, multo magis maledictio in caput eius qui iniquè eam iecit, reuertitur, quia is in quem iacta eſt, non ſit ea dignus. Quiſquis enim ſine cauſa conuicium facit, ſibi maledicit, vt Salomon ait, *ſicut aues volant & paſſeres, ſic maledictio vana non abibit in nihilum.* Et rurſus ait. *Qui conuicia inferunt, imprudentiſſimi ſunt.* Vt autem apis infirmis viribus prædita, poſtquàm pupugerit, aculeum amittit, ſteriliſque efficitur, ſic vos quam iniuriam aliis feceritis, hanc vobis facietis. *Lacum* (inquit) *aperuit, & effodit eum, incidit in foueam quam fecit.*] Eo retulerim quod apes mediæ eſſe naturæ inter fera & mitia animalia oſtendit Hieronimus Magius, quod mitibus ſuccenſeant non feris. Sic enim

3. conſtit. c. 15.

L. 1. miſcell. c. 3.

Digitized by Google

enim maledici, & aliorum (vt ſic dicam) ſpiculatores, à quibus abſtinere maximè oporteret, eos configunt, quos autem præ malignitate inſectari ius & fas foret, ab iis abſtinent.

Vetamur planè ad eum modum apes eſſe. Vetamur & illo, quo apis è terra Aſſur, arrogantem referens iuxta Drogonem *b*, vel voluptarium iuxta Philippum Abbatem *c*, ſanctimoniæ infeſta eſt, & iis quibuſcnm degit exitialis. Laudat Philippus pro ea mellis & voluptatis analogia Boëtium *d*, quem item à Ioanne Satisbenenſi *e* in eam rem ex ſcriptum memini, ſic canentem.

b Lib. de poſſ.dom. ſacram.
c L. de ſilentio Cleric. c.25.31. 36.ac 37.
d L.3.de conſolat. metro.7.
e L. 6.polycr.c. 23.

Habet hoc voluptas omnis;
Stimulis agit furentes:
Apiúmque par volantum;
Vbi grata mella fudit,
Fugit & enim tenaci
Ferit icta corda morſu.

[Vides (ait Philippus) quia voluptas in modum apis volantis, mella fundit; & fugit; quia quod in ea libet, (inquit, & libido nominatur) & occurrit volatu ſubito vt quaſi auicula videatur, & pertranſit velociter, cum effectu miſero conſummatur. Eo autem conſummato cuius libens caro lenocinium experitur, præſenti cuius experientia carnalis etiam animus delinitur, graui morſu & læſura miſerum cor feritur, & ſuper re conſummata, graui iudicio cōuenitur.] Sic ſe habet apis de terra Aſſur, donec ſibilante, & aflante aura tenui auocante à cœno, euadat qualem ſuſpicimus Magdalenam, de qua illud Iſaiæ 7. accipit Drogo *a*. *In die illa ſibilabit Dominus muſcæ quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ eſt terra Aſſur, & venient & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis & in vniuerſis foraminibus.* Sibilante gratia, muſca & apis de extremo ſeptem Ægypti

a Supra.

fluminum, de luxuriæ inquam præterfluentis immundiſſimo gurgite, de elationis Aſſyriæ infœcundo boni tumore, euocatur maſca ſimul & apis, in populationem frutetorum omnium, & quietem in torrente inſtabili deiectionum, & ſanctorum ſui ipſius vexationem vltrò aſſumptarum, ad ſordium priùs contractarum abſterſionem; quod Magdalena, vt idem Drogo piiſſimè conſiderat, præſtitit exquiſitiſſimè.

Simus plane ad eum modum apes, deinceps fructus dulcedine claræ, & idoneæ paſcendo Emmanueli. Origenes rationem docet *b*. [Qui natus eſt virgine, *Butirum* & mel manducat, & quærit ab vnoquoque noſtrum, butyrum manducare, Quomodo à *ſingulis* noſtrum butyrum quærit & mel, *ſermo edocebit*. Opera noſtra dulcia, ſermones noſtri ſuauiſſimi, & vtiles Mella ſunt quæ manducat Emanuel, quæ manducat iſte qui natus eſt de Virgine. Si verò ſermones noſtri amaritudine pleni ſint, Ira, animoſitate, moleſtia, turpiloquio, vitiis, & contentione, dedi in os meum fel, & non comedit ex his ſermonibus ſaluator. Comedit autem ſaluator, de ſermonibus qui ſunt apud homines, ſi fuerint ſermones eorum mel.] Quàm dignum, ſic paſcere eum, qui in dulcedine ſua parauit pauperi vnde paſceretur & reficeretur ſuauiſſimè. Impij, ingratiſſimè dant in eſcam eius fel. Boni, dulces ei cibos inferunt quibus libenter veſcitur, mella operum & ſermonum piorum. Hoc fecit Bernardus, apis Chriſti. Faciamus & nos vniuerſi. Eius ſedulitatem ſanctè æmulemur, nitorem, negotium, dulcedinem, imitatione exprimamus, & quod D. Auguſtinus *c* ad Aurelium fidelibus Chartaginenſibus optauit, valeat in omnibus, [Fragrent opera ſanctarum apum, feratur fructus in tolerantia, cum ſalute perſeuerandi vſque in finem.]

b Hom. 2. in Iſaiam.

c Epiſt. 77.

HOMO

HOMO DEI
CÆSAR DE BVS,
COECVS VIDENS,
FORTIS ET PATIENS,
STRICTVS VT MALLEA-
toris incus.

Tt 2

Digitized by Google

PERILLVSTRI

ET ORNATISSIMO

DOMINO,

D. MELCHIORI

DE BVS, I. V. D.

CONSCRIPTO, PATRITIO

AVENIONENSI.

Gentilitiæ Nobilitatis SACRAM, in PROPATRVI anima, & corpore, encauſto cœleſti exaratam, rudi hoc ectypo, qualiſcunque exſcriptionis atramento decoloratam; alterum obſeruantiæ pignus exhibet,

THEOPHILVS RAYNAVDVS
ex Societate IESV.

Digitized by Google

SVMMA TRACTATIONIS CAPITA.

I.

MIRA contrariorum conſertio.

II. *Ignis & aqua, cohabitantes, ſymbolum Incarnationis.*

III. *Alia exempla conſertionis naturarum contrariarum.*

IV. *Mirabilior conſertio priuatiuè oppoſitorum.*

V. *In homine Dei, Caſare de Bus, cœcitas ſimul & oculatio; & ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Hoc quid Pſalti, ad literam.*

VI. *Aliæ verborum Pſaltis gloſſæ, præſertim de bonorum ſimul ac malorum, mœroris & gaudij conſociatione.*

VII. *Micat in Cæſare talis conſociatio, & ad eam reſtricta hæc diſſertatio.*

VIII. *Reciſa tenebroſa lux, triluſtris fulgoris ſeculi.*

IX. *Triplex ille ſeculi fulgor, in Cæſare, & quibuſvis nobilibus tenebroſus.*

X. *Cæſari virtutis Tyroni, lumen à Deo per opificem vnum, & pauperculam fœminam, vnam.*

XI. *Fœmina non raro, inſtrumentum pietatis.*

XII. *Virtutis in Cæſare, tyrocinium, quale.*

XIII. *Iuueniles ſcriptiones, ab eo flammis traditæ.*

XIV. *Inſignis eiuſdem de ſe ipſo victoria, prælato diuinæ Euchariſtiæ, funali, præter Nobilium tunc morem.*

XV. *Seculari, (qualis tunc Cæſar erat,) ſermones deſpuere, arduum.*

XVI. *Optimum, ignauiæ non abblandiri in initiis; & ita à Cæſare factum.*

XVII. *Nubila his geſtis admiſta, purum lumen excepit, & Cæſarem ſerenauit.*

XVIII. *Rurſus nubila & tenebræ, poſt nonnullum lucis interuſurium.*

XIX. *Mos idem, Sanctorum omnium.*

XX. *Horror tenebroſus ærumnarum Cæſaris, exacto virtutis tyrocinio.*

XXI. *Moles internorum Cæſaris angorum in eo ſtatu; Primùm per tentationes circa res fidei.*

XXII. *Deinde per carnis, rebellionem molientis, contumaciam; Cæſari cum pleriſque magnis Sanctis communem.*

XXIII. *Diuina ea in parte, agendi ratio, mirabilis, ſed ſapientia pleniſſima.*

XXIV. *Alia interna Cæſaris vexatio, per deſertionem*

tionem à Deo, & ariditatem prælongam.

XXV. *Item alia per deſertionem à ſociis.*

XXVI. *Adhæc alia, per calumnias, & famæ conſciſsiones.*

XXVII. *Tranſitum ad ærumnas Cæſaris à corpore diuxato; Primùm per vltrò ſuſceptam duram tractationem.*

XXVIII. *Ea veluti cultura terræ ſuæ, quàm illi ferax bonorum.*

XXIX. *Ad recenſionem aliarum Cæſaris in corpore vexationum, præmunitio.*

XXX. *Prætacta Satanæ in Sanctorum corpora efferatio.*

XXXI. *Dira Cæſaris flagellatio, à Satana.*

XXXII. *Omnigeni morbi Cæſaris, velut noui Iobi, immiſsiones per Angelos malos.*

XXXIII. *Cæſar ſupra Iobum, cæcitate mulctatus, & hoc quantum.*

XXXIV. *Ridiculi, cæcitatis laudatores.*

XXXV. *Eorundem cæcitatis Encomiaſtarum reuictio, ex ſummo vſu quo toti corpori eſt viſus.*

XXXVI. *Fabrica oculorum in eum finem, quàm concinna.*

XXXVII. *Etiam animæ, ad ſcientiam parandam, neceſſarius viſus, & idcirco dilectiſſimus.*

XXXVIII.

XXXVIII. *Neceſſarius item animæ, corporis viſus, ad affectus; amoris præſertim ac gaudij.*

XXXIX. *Aggrauatio cæci per jura humana, eum variis functionibus prohibentia.*

XL. *Fæx malorum cæci, priuatio lectionis ac ſcriptionis.*

XLI. *Concluditur, iure cæcitatem, dictam corporearum Cæſaris calamitatum extremam.*

XLII. *Moles malorum Cæſaris, ex tot ſimul morbis ad animæ moleſtias adiunctis.*

XLIII. *Inde Cæſar, quadantenùs viuus Martyr.*

XLIV. *Conſectaria, tanta Cæſaris patientiæ qualia patientiæ Martyrum.*

XLV. *Multiplex oculatio Cæſaris in cæcitate, & lumen in tam denſis malorum tenebris.*

XLVI. *Intentio pura, oculus internus expeditus, & lux animæ.*

XLVII. *Cæſaris intentio, quàm pura.*

XLVIII. *Doctrina, lux & oculus, animi.*

XLIX. *Chriſtiani cæci, videntes præ doctrina.*

L. *Doctrina Cæſaris, diuinitus (vt videtur) inſpirata, magna ex parte.*

LI. *Alia Cæſaris Doctrina, quàm cæcorum doctrina inſtructorum, ante amiſſum videndi vſum.*

LII.

Digitized by

L II. *Viſus animæ, & lumen internum per diuinas viſiones, cuiuſmodi in Cæſare.*

L III. *Dexteritas in negotiis, lux & oculus animæ, in cæcis quibuſdam mirabilis.*

L IV. *Eiuſdem in cæcis ſolertiæ, exemplum nouum, ſupra naturam.*

L V. *Quanta Cæſaris in negotiis dexteritas.*

L VI. *Rectrix prudentia, oculus internus, & animæ lumen.*

L VII. *Quanta in Cæſare, ea prudentia.*

L VIII. *Prudentia iuſtorum, oculus & lux animæ, in Cæſare eximia.*

L IX. *Cæſar cum Sanctis cæcis, interiùs oculatis, hac ex parte compoſitus.*

L X. *Et cum Sinenſi Catechumeno, ad ſolum cælum, oculato.*

L XI. *Studium Cæſaris, de tutando & exacuendo interno viſu.*

L XII. *Fidelium paſſim incuria, ea in parte.*

L XIII. *Inde tam multi, in loco videntium, cæci.*

L XIV. *Cæſaris interni oculi, ob contrarias cauſas, exquiſitè perſpicaces.*

L XV. *Cæſaris, ſicut tenebræ, ita & lumen, in cælo, & in terra.*

L XVI. *Terminalis allocutio, prior; ad viciniæ*

niæ noſtræ Hæreticos, interiùs tenebratos ac cæcos.

LXVII. *Allocutio altera, ad domeſticos fidei, quoſcunque.*

LXIII. *Specialiter ad ſacruus cœtum à Cæſare conſtitutum, gratulatio pro tali Patre; viciſſimque Cæſari patri, pro talibus filiis.*

PROPOSI

Digitized by Google

PROPOSITVM.

SICVT TENEBRÆ EIVS, ita & lumen eius. Pſalm. 138.

OMNINO mira ſunt, quæ de variorum contrariorum, amica interdum conſociatione & pacifica cohabitatione, à probatis Scriptoribus prodita accepimus; ſiue quaſi ludente natura ſic fœderari contigerit paria cæteroqui hoſtilia; ſiue Deo naturæ autore, ſuiſmet vniuerſalibus legibus de contrariorum infeſta inuicem vi, ſoluente naturam cum placuit; vt rerum omnium Autor & Dominus, quocunque naturali diſſidio ſuperior, nulla aſtrictus lege, agnoſceretur.

I. *Mira contrariorum coniunctio.*

SVNT ad manum vtriuſque illius modi conſociationis contrariorum exempla complura; eo etiam non annumerato contrariorum coniugio, quod eſt nobis adeò inteſtinum, vt eorum conſertio, noſtra ſit compactio; luti inquam noſtri cum ſpiritu, carnis cum anima, terreni plaſmatis cum cœleſti pneumate. Hunc adeò pugnantium rerum coalitum, ſuſpiciendum permitto Gregorio Nazianzeno *, & Autori libri de ſpiritu & anima †, qui plenum in hac conſertione miraculum agnoſcit. Eſtque ſine dubio adeò referta admirabilitatis, vt niſi vulgatio tanta prohiberet, omnes ſtupore defigeret. Sed hoc naturæ miraculum, & prædelineationem adumbrationémque eius conſociationis, qua prodigioſo, & (vt Magnus Ignatius *, approbante Da-

* *Orat.* 1. *& carm. de natur. hum.*
† *cap.* 14.
* *Epiſt. ad Epheſ.*

† *Orat. 3. de natiu. Virg.*

maſceno † loquitur) *verè clamoris myſterio*, Deus verbum luto ſe noſtro adiunxit, malo præteritum, inſtiturus inferiorum nobis contrariorum, pacifico interdum concurſui.

Quæ verò magis aduerſantes diſſidentéſve naturæ, quàm ignis & aquæ? Eas tamen àmicè fœderatas cohæſiſſe, non raro legimus, aut etiam deprehendimus. [Sal (inquit S. Hilarius *) eſt in ſe vno, continens aquæ & ignis elementum, & hoc ex duobus eſt vnum.] Ex quo infert, Baptiſmum quo in Spiritu ſancto & igni ad aquam adiuncto initiamur, Sacramentum ſalis exprimere, & terram ſaliendo defatuare. Quãvis enim nullum ſit ſal quod poſſit terræ elementum ſaliendo condire: tamen myſticam terram noſtram, mixtura hæc ignis & aquæ in Baptiſmo admota, veluti per ſalem aſperſa, ſalit & incorruptione condecorat. In exortu fulguris è nube, S. Chryſoſtomus eandem ignis & aquæ conſociationem agnoſcit ac ſuſpicit, expendens illud Pſaltis *, *Fulgura in pluuiam fecit.* Margaritum, intra conchylium, fulguris ignei in aquam delapſu progigni, multorum ſententia tulit, & adſcriptus eſt S. Ephrem †. Fontem ad Gratianopolim conſpeximus ipſi, in quo ignis aquæ admixtus, citra alterutrius noxam, & vſurpatur oculis, & manibus attrectatur. Meminit eius fontis ex idoneorum teſtium relatione S. Auguſtinus †, illúmque iuſto opere illuſtratum dedit doctus Medicus, Ioannes Tardinus. Æquè flammis & aquis diuitem apud Siculos fontem, Theophraſtus in opere de admirandis auditionibus *, memorat: Cui verò ignotus Aponus Ennodianus †, in quo,

* *Can. 4. in Mauth.*

* *Pſal. 134.*

† *Tract. de margarita pretio.*

† *21. ciuit. cap. 7.*

* *c. 109.*

† *lib. 5. epiſt. 8.*

Pacificus mixtis ignis anhelat aquis.
Vnda focos ſeruat, non ſorbet flamma liquorem:
Infuſo crepitat fons ſacer inde rogo.
Ebrius hic cunctis Medicinam ſuggerit ardor;

Corpora

Digitized by Google

Corpora deſiccans rore vaporifero.
Hic pyra gurgitibus,ſcintillis fluctuat humor:
Viuitur alternæ mortis amicitia.

Sunt quidem alibi,ignis & aqua, ſibi inuicem *mors*; at in hoc fonte, inconciliabilia alibi elementa, pacatè coniunguntur, quod Claudianum * quoque,& Caſſiodorum † ſuſpicere memini.

* *Carm. de Apono.*
† *1. Epiſt. 39.*

II. *Ignis & aqua cohabitantes, ſymbolum Incarnationis.*

Adumbrationem conſertionis Verbi Dei cum carne noſtra in huiuſmodi aquæ & ignis coniugio mirabiliter facto, celebrant nonnulli Patres quorum dicta nolim ad ſcholæ argutias exigi. Sic Margaritum intra conchylium, fulgoris ignei in aquam delapſu progigni,cenſuit S.Ephrem *, ſtatuens hunc eſſe typum Verbi Dei,(qui ignis conſumens eſt) in aquea fluxæ naturæ noſtræ mollitudine corporati. Anaſtaſius Sinaïta †, ignem & aquam in Lyciæ fontibus pacificè iungi teſtatus,inde petit imaginem coalitus Verbi diuini, & humanitatis noſtræ in vnam perſonam. Eiuſdem Sacramenti à ſæculo abſconditi imaginem in facta diuinitùs, roris qui vtique aqua eſt, & flammæ Babylonicæ cohæſione, agnoſcit Theodotus Ancyranus,celebrans Chriſti natiuitatem in Concilio Epheſino. Opponit enim ſibi ambigentem Incarnationis Verbi hoſtem, quomodò Vnigenitus manens quod erat,fieri potuit quod non erat. Reſpondet verò. [Si vis hoc cognoſcere, diſce quia factus eſt: quomodò verò factus ſit, ſolus ille miraculorum opifex nouit, *&c.* Babylonica flamma,quomodò ros,tribus facta eſt pueris? Nam & flamma erat,& ros facta eſt; & ambo hæc,ipſo oſtenduntur effectu. Quia quidem ros erat, tres edocent pueri, per hanc refrigerati: quia verò etiam flamma erat,qui per hanc exuſti ſunt, indicant Babylonij. Vides quemadmodùm ignis manſit ignis & ros eſt factus: non duæ res, neque duæ naturæ, ſed vnum erat, idémque quod videbatur. Quod erat

* *Tract. de margar.*
† *lib. 3. in Hexaëm, ad finem.*

flamma, hoc factum eſt ros; non flamma mutata, (& manifeſtant hoc Babylonij;) ſed manente quod erat, facta eſt ros, & id teſtantur iuſti. Nequaquam ergò interroges me vltra, modum ſignorum Dei. Rursùs enim dicam tibi; miracula oſtendunt quidem, quia facta ſunt. Deo autem relinquo, miraculorum noſſe rationem. Proinde dic mihi; hæc miracula fecit Deus, & flammam rorem fecit; neque flammam mutans & in rorem illam conuertens, ſoluere volens Tyranni ſentẽtiam, & vindicare ſtudens iniuſtitiam paſſos, atque noxios cõſumere Barbaros; & huiuſmodi miracula Deus
5 operatus eſt, ignem in ſuis cuſtodiens terminis, & rorem oſtendens, *&c.* non indiguit flammam mutare vt rorem efficeret: Et ipſe fieri volens homo propter ſalutem hominum, ſuam naturam permutare neceſſe habuit? Ignis manens, factus eſt ros, & tu dicis, quomodò permanet Deus & fit homo?] Non potuit explicatiùs aperire mentem ſuam, de concordi aquæ roruIentæ, & ignis cohæſione, ad commercij admirabilis, Verbum inter & humanitatem, diuinitùs editam, adumbrationem.

III. *Alia exempla conſertionis naturarum contrariarum.*

Exemplis aliarum pugnantium ex ſe naturarum, diuinitùs adunatarum, non minùs admirabilitatis habentium, minimè deſtituimur. Eiuſmodi enim haud immeritò cenſeri debet, dulcium laticum eruptio, intra ſalſedinem ponti teſtatiſſimæ amaritudinis. Tametſi enim æquè diſſident dulce & amarum, ac calidum & frigidum; tamen eam dulcis & ſalſæ aquæ ſocietatẽ, exempla cõplura confirmant. Plinius * ſanè & Georgius Agricola †, dulcẽ hauſtũ è Gaditano Oceano ſuppetere, referunt; nec non ad Chelidonias Inſulas, & in Heraclea Ponti, teſte Democrito, qui de aquarum veſtigatione opus contexuit. Iuxta Iamaïcam Inſulam, cui nunc à *S. Iacobo* nomen, ad bis millia paſſuum procul à littore, fons aquæ dulcis alto mari erumpit,

** l.5.c.31.*
† lib.3.de effluent. è terra,c.2.

pit; marinam aquam incorruptus, è fundo ad ſummam vſque ſuperficiem penetrans, vt ſcribit Oveten-*. Sed & Leander Campaniam felicem deſcribens, dulcis aquæ fontem in Puteolano mari erumpentem repræſentat. Lætis denique Macedoniæ, dulcem fonticulum è lacu ſalſo atque nitroſo exilire, ex Plinio † didicimus. Hæ adeò diſſidentes naturæ, fœderantur & pacificè cohabitant; oſtentante autore naturæ vires ſuas nullis aſtrictas legibus, & naturale quodvis diſſidium facile ſuperantes.

* *lib. 6. hiſt. c. 12.*
† *lib. 31. cap. 10.*

Aduocabo huc rurſus Theodotum Ancyranum, qui corporati Verbi myſterium ſuadet, adhibita aquæ & ſanguinis cohæſione in Nilo flumine. Sic enim philoſophatur in eum cui difficile videretur intelligere, quomodò Deus manens quod erat, (vt ſanè non poterat non manere) factus eſſet quod non erat. [Neque tu mihi dicere poteris, quomodò Ægyptiorum fluuius, ſanguis eſt factus, immutabili aquarum permanente natura. Etenim velut aqua quidem, vtebantur Hebræi: ſanguis autem Ægyptiis Nilus eſt factus; & factus eſt quod non erat, manens quod erat. Dic mihi modum Sed non poteris dicere. Miraculum námque eſt, fugiens rationem, &c. Quomodò ergò aqua Nili, manens aqua, ſanguis eſt facta? Non enim corrupta eſt aquarum natura, quod oſtendebant Hebræi, hanc habentes potabilem, ſed manſit ipſa natura in ſuis terminis, & facta eſt ſanguis, quod non erat: Deo quippè vltra rationem oſtendente miraculum.]

Neque illum alium admirabilitatis refertiſſimum contrariorum coalitum, volo præteritum. Quid enim inter res naturæ ordine comprehenſas, minùs conſentiens, quàm æſtas & hyems? Hæc horrenti & informi ſpecie, viduatas foliis arbores, & fructuum exortes exhibet, mœrentia prata, hortos inhonores, pœnis ſuis horrendos montes, prohibitos decurſu ſtrictos ge-

fontium latices: Triſtitia & lugubria per eam omnia, vt propterea nigram hyemi pecudem addicat Poëta †. *† 3. Æneid.* Æſtas verò, fœcunditate & ornatu plantarum veluti exultat, & ruſticanas opes in arboribus oſtentat. Vtramque propè incredibili, ſed tamen abundè comperto ac vero ſpectaculo, in arboribus Perüanis, media parte virentibus ac fructuum copia inſtructis; altera dimidia parte horridis, & hybernam aſperitatem præferentibus, conſpicari licet. Quo in genere, celebris nominatim eſt ficus vrbis Mallæ, deſcripta à Ioſepho à Coſta †.

† lib. 4. hiſt. cap. 32.

IV. *Mirabilior conſertio priuatiuè oppoſitorum.*

SVNT hæ diſſidentium naturarum pacificæ Synorides, non leue admirationis argumentum. Et tamen ſunt cōtrariorum tantùm, latè ac extra philoſophicum rigorem vſurpata *contrarietatis* voce, quæ ad ſolas arctaretur qualitates, niſi laxata eius notione hîc vteremur. Sunt igitur Syzygiarum propoſitarum pacificæ cohæſionis exempla, eo minùs admirabilia, quod ſunt contrariorum tantùm, quibus tametſi naturæ ordine inconciliabilibus, tamen Deo ſupra naturam operante, nihil verat eſſe concordiam. Multo autem magis ſtupenda eſt cohæſio contradictoriorum, ſiue formæ ac priuationis; quorum commercium humana ſapientia ſemper deſperauit; ita vt apud ſeculi Philoſophos, velut effatum habeatur, formæ & priuationis cohæſionem, nulla vi poſſe contingere. Et tamen Deus qui perdit ſapientiam ſapientum, vanam philoſophiam, cum libuit, demonſtrauit.

Ita factum in columna, Hebræorum per deſertum, ductrice, quæ lucem & tenebras, mirabili coalitu, habuit adunatas. Adeò quippè ſplendebat per noctem, vt pro face eſſet Hebræis, ac numeroſiſſimo ſexcentorum millium exercitui præluceret. Simul verò adeò erat obſcura, vt per diem eſſet pro vmbraculo; & aduersùs ardentes ſolis radios, in regione æſtuoſiſſima

populum

tegeret. Vnam porrò eandémque fuiſſe columnam, quæ per diem opacaret obnuberétque exercitum Domini, noctu autem caliginem diſpelleret, obſeruarunt probatiores Interpretes, Toſtatus, Pererius, Cornelius, Tyrinus *, lateque confirmat in Opticis Aguilonius. Stupendo prætereà coalitu, diem ſimul ac noctem, eidem aëri Ægyptiaco inſediſſe, Theodotus Ancyranus in Epheſino Concilio agens †, affirmauit. Eius hæc ſunt verba. [Quomodò lumen in Æypto, factæ ſunt tenebræ, non extincto lumine ſed manente quod erat? Dies enim Iſraëlitis erat, & clarum eos circumfulgebat lumen: Ægyptiis autem, hoc lumen, factæ ſunt tenebræ: & cum vnum eſſet quod videbatur, lumen erat ſimul & tenebræ, neque ex hoc mutatum & aliud factum, Non enim lumine patiente, tenebræ ſunt factæ: Deo nimirum faciente miracula, & rationem non expectante naturæ. Quomodò ergo in ſua natura manens lumen, tenebræ factæ ſunt?]

** Exod. 14.*

† Homil. de Chriſti natiu.

V.

In homine Dei, Cæſare de Bus, cæcitas ſimul, & oculatio: & ſicut tenebræ eius, ita & lumē eius. Hoc quid Pſalti, ad literam.

QVID procul abiuncta conquiro, & antiquorum ſeriem temporum repeto, cum ſit ad manum æui noſtri exemplum illuſtriſſimum, in quo lux & tenebræ, Deo cæcitatem oculante, mirabiliter cohæſerunt; & quidem adeò commenſæ, vt poſſit per accommodationem nequaquam abſurdam, quadrare in hunc hominem Dei, cæcitate & aliis temporariis in hac vita tenebris perculſum, quod Pſaltes dixit, ***Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius?*** Hoc video iuxta literę corticem, enunciari de Deo, cuius obtutibus omnia ſunt peruia. Nox ei æquè clara eſt, ac dies meridianus. Nullo diſcrimine illi patent abdita quæque, perinde ac manifeſta. Vnde meritò Syracides *, craſſæ ignorantiæ arguit peccatorem, ***Contemnentem in animam ſuam, & dicentem, quis me videt? Tenebræ circumdant me; parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me. Quem vereor?*** Stulta prorsùs, & ſupinę ignorantię referta cogitatio, qua homo

** cap. 23.*

non agnoſcit, *Quoniam oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* S. Theodoram ſimplicitatis nimię fœminam, ſpurciloqua lęna pertraxit in præcipitium; & vt fidem coniugij falleret perſuaſit, poſt longam ſceleris recuſationem, ne in conſpectu Dei peccaret: Quod læna negauit timendum eſſe poſt ſolis occaſum, quaſi tenebræ ſubducerēt Deo flagitij contuitum. At eam falſam perſuaſionem; quod peccator ſibi videatur à Deo abſcondi, originem eſſe non illius tantùm iniquitatis, ſed peccatorum planè omnium, Spiritus ſanctus admonuit per Salomonem †, ac Syracidem * alibi, ac per Iſaiam †, atque Ieremiam *. Et confirmant Patres: qui peccare volentem, iubent locum quærere Deo inuiſum; eóque reperto, laxant habenas licentiæ. Ita S. Ambroſius *, & S. Auguſtinus †. Videt ergò Deus etiam in tenebris, quod de Tiberio, radios ex oculis, in tenebris quoque eiaculante, eſt proditum. Nulla caligo aliquid Deo ſubducit. Idque eſt quod Dauid dicto Pſalmo, ſuam in peccati nocte ignorantiam faſſus, ait; alloquens Deum. *Dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.* Iuxta Euthymiū, *ſuas delicias*, Deum appellat; agnoſcitque ſe apud Deū; vel ab ipſa noctis caligine illuſtrari, eo quod apud has ſuas delicias nihil ſit obſcurū; nóxq; æquè ac dies ſit conſpicua. De communiore tamen ſententia, Dauid in ſua aut peccatorum perſona, ait; dum per noctem capto delicias in operibus tenebrarum, adeò aberraui, vt arbitrarer me tenebris operiendum, nec aliter occultandum, quàm quæ calcantur pede, obtecta latent. Sed ipſa nox, clara apud te, ó Deus, & mea opera luce perfundens, latere me tibi prohibuit: *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur; ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Sicut diei lux, tibi

eſt

† c. 9. Eccl.
* 16. & 17.
† cap. 29.
* cap. 23.

* Serm. 1. in Pſal. 118. ad v. 2.
† Serm. 46. de verb. Domino.

Digitized by Google

eſt perſpicua;ita & noctis caligo. Vtraque apud te eodem eſt loco,ambæ ſplendent tibi, ac exquiſitè collucent.

VI. *Alia verborũ Pſaltis gloſſa; præſertim de bonorũ ſimul ac malorum, mœroris & gaudij conſociatione.*

Hvnc Pſaltis eo loco ſenſum, nolo conuulſum; quippè fundamentarium & verborum extimo cortici ſubſtratum. Video tamen, Patres, propoſitum Pſaltis locum, intellectu ſpiritali aliò flectere. S. Paulinus * ad paſſionem Domini retulit, dicens, eam fuiſſe noctem dies illuminantem. S. Auguſtinus * de Verbo incarnato eſt interpretatus. S. Gregorius † verſans illud Iobi, *Quare miſero data eſt lux?* per noctem res aduerſas,per lumen,proſperas accipit. Ait enim. [In Scriptura ſacra,nonnunquam *lucis* appellatione proſperitas; noctis autem nomine,huius mundi aduerſitas deſignatur. Vnde & benè per Pſalmiſtam dicitur, *Sicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Quia enim Sancti viri, ita proſperitatem ſæculi deſpicientes calcant, ſicut aduerſitatem eius calcantes tolerant, per magnam mentis celſitudinem, mundi ſibi & aduerſa & proſpera ſubſternentes, dicunt: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Ac ſi apertiùs dicant; ſicut intentionis noſtræ fortitudinem, eius triſtia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.] Contermina eſt atque confinis interpretatio Chryſoſtomi,cui plerique Græcorum adſcribuntur. [Tenebræ (inquit Chryſoſtomus) hîc ſignificant afflictionem.Quod autem dicit, eſt huiuſmodi. Circumſeſſus ſum à malis: & dixi mihi ipſi, ſuperabunt me mala. Hoc enim ſibi vult illud, *Tenebræ me conculcabunt*, &c. Quid hoc eſt? Ego quidem hoc dixi (inquit) ex rerum natura reputans. Sæpè autem mala mutata ſunt in bona. Imò verò quod eſt maius,mala non ſunt mutata in bona,ſed malis manentibus,magnam ſenſi benignitatem. Non enim, *nox deleta eſt*,ſed,*nox fuit lucida.* Hoc eſt, nox manens nox; mala ſcilicet & calamitates, (ea enim *noctis* nomine

* *Epiſt.* 4.
* *in Pſal.* 138.
† 15. *mor. c.* 2.

ſignificat; non potuerunt me conculcare,ſed fuit lux in nocte,hoc eſt, mei extitit defenſio.Contraria enim in contrariis,& fiunt & apparent,quando vult Deus, *&c.* Naturæ enim rerum ſemper eſt Dominus, qui fecit naturam; non vt producat quæ non ſunt,ſed vt mutet. Non vt mutet ſolùm, ſed vt manentia in natura, aliter apparere efficiat. *Quia tenebræ non obſcurabūtur à te.* Aliùs *apud te.* Rectè dixit,*apud te*; ſignificans; ſi volueris, tenebræ non erunt tenebræ,ſed lucem oſtendent; & ideò ſubiunxit. *Nox ſicut dies illuminabitur*,reddens quod præcedit apertius. Et oſtendit quod quæ ſunt diei nox oſtendet, non ſecus ac ea quæ ſunt eius propria. Quando enim Deus voluerit, operatio elementorum traducitur in contraria: adeò inquam perfectè contraria, quàm ſunt propria quæ ab initio attributa fuerant. Si tu enim voluris, ita erit nox, & ita habebit lucem ſibi attributam,quemadmodum tenebras. Quocirca hoc quoque ſignificans,ſubiunxit,*ſicut tenebræ eius, & lumen eius.* Hæc de elementis dicta quidem propriè ſunt; metaphoricè autem, etiam de rebus. Ex quibus oſtenditur, poſſe Deum tantam afferre requiem ac recreationem iis qui in afflictiones incidunt, quantam habent ij qui vtuntur rebus ſecundis.]

VIII. *Micat in Cæſare talis conſociatio; & ad eam reſtricta hæc diſſertatio.*

Exoſculor hanc Chryſoſtomi interpretationem, eíque inſiſtens, tenebras, hoc eſt, angores, calamitates, mœſtitias luctus, ac perpeſſiones, in hoc homine Dei, nexas fuiſſe lumini ac ſplendori diuino; lætitiis inquam, ac conſolationibus eximiis quibus inter tot aſpera eſt delibutus, demonſtrandum recipio. Lucem illi cœleſtium ſuauitatum,in ærumnarum grauiſſimarum denſa caligine,affulſiſſe copioſam, iuſſiſſéque Deum lucem illi de tenebris ſplendeſcere, ac per cœcitatem quæ Artemidoro dutiſſimarum calamitatum ſymbolum eſt,oculaſſe,& lectiſſimis de cœlo bonis,præſertímque inſigni perſpicacitate viſus interni,famulum ſuum

ſuum cumulaſſe, qua licebit breuitate teſtatum dabo, recisis cæteris ad hiſtoricam de eius vita narrationem ſpectantibus; quæ quod ab obtimæ notæ ſcriptoribus, Iacobo Marcello, Iacobo Bauuais, aliiſq; ſint cõſignata, meã operã non depoſcũt. Sed iis præteritis, ex ſapientiſſimo Pontij * monito, vnde Deus auſpicatus eſt naturæ debitã in hoc ſeruo ſuo operationem, inde ſumam initiũ dicendi; & cum Deo progrediens, per duplicem quem in hoc ſeruo Dei notare licet, virtutis ſtatum decurram; tam in rudi, quàm in expolita eius ſanctitudine oſtendens, ſicut tenebras eius, ita & lumen eius fuiſſe; ac vtrobique, cum externa eius cœcatione, internam oculationem à Deo inditam, fuiſſe coniunctam.

** In Actis S. Cypriani.*

Itaque eam tenens agendi de hoc Dei homine rationem, lucem ſæculi denſis reuera ſuffuſam tenebris, cui profanus Orator inſiſteret, dimittendam video. Rhetor quippè de ſæculo, vt S. Baſilius ac Nyſſenus admonent; primùm omnium, ſanguinis claritatem & illuſtrem generis fulgorem expanderet, & egregia Maiorum facta cum ſobole communicans, pro luce aliena ei affundenda ſatageret. Idem ſi aulica, ſi militaria decora, quibus illuſtraret quem laudandum ſuſceperit, in promptu eſſent; vt exultaret, vt paſſis eloquentiæ velis illud veluti mare ſulcaret? Hoc enim demum eſt ſæculi hominibus, in luce ac ſplendore depulſis tenebris, ſolutáque caligine diuerſari. Exſolutum me ea Rhetorum lege, ex præſtitutis orationis finibus liquet; tametſi omni illa luce, qualiſcunque eſt, colluſtratum eximiè hunc Dei hominem, monſtrare licuiſſet, ſi illis libuiſſet inſiſtere. Sanè nobiliſſimi ſtemmatis gloriam, Como apud Inſubres repetitam; & quod decus eſt planè ſingulare, S. Franciſcæ Romanæ eodem cretæ ſanguine, micantiſſimo fulgore cumulatam, oſtentare cum pompa poſſem. Eiuſdem quippè ſtirpis propa-

VIII. *Reciſa tenebroſa lux, triluſtris fulgoris ſæculi.*

gines conſtat fuiſſe, Cæſarem noſtrum, & mulierem illam fortẽ, de qua illud verè dixerim, *ſicut ſol oriens mũdo in altiſſimis Dei. ſic mulieris bonæ ſpecies, in ornamentum domus eius; lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum.* Argumentum eiuſdem vtrique ſtirpis, ſuppeditat ſcutaria gentis teſſera, leo proſerpens in arborem ramis exputatam, per aream cyaneo infectam. Tantam ſanctimoniæ gemmam, ex eadem latumia eductam, ad ſtirpis claritatem in Cæſare noſtro celebrandam abũdè fore, fruſtra admonerem. Iam quæ fons nobilitatis ſecularis eſſe videtur, militia; (adeò vt apud medij æui ſcriptores, *Miles* nobilem ſonet;) eo illuſtriorem ſplendorem Cæſari noſtro accerſeret, quo ſanctiore Sacramento obligatus eſt ad militandum: Nam ſub reformatæ religionis ſpecioſo nomine, vitæ licentiam & exſolutionem à legitimi Principis autoritate, captantibus ad Caluini buccinam rebellibus lumini, Comes à Tenda Prouinciæ Salvum pro Rege Carolo IX. præfectus, militem conſcripſit, oram ſibi concreditam vendicaturus: præſertim cum vetus fermentum in Merindoli atque Caprariæ viculis, iam à Valdonis ætate deliteſceret. Fallitur quippè vir doctus †, qui eas fuiſſe Valdenſium reliquias negauit, ratus fuiſſe Lutheranos aut etiam Caluinianos; quod initum cum eis à Luthero fœdus per literas, & gratulatio de retenta antiquiore Valdonis ſuperſtitione, reuincit falſitatis: ſed ad rem. Cum in hos & eorum gregales, militem conſcriberet Comes qui Regis nomine Prouinciam moderabatur, Cæſar noſter in eam militiam nomen dedit, vix primùm duodeuicennis. Idem aulam triuit accitu fratris cui nomen *Alexandro*, apud Reges Carolum IX. ac Henricum III. gratioſiſſimi: qui & Cubiculariorum munere in Regia honeſtatus, mox etiam Prætorij Præſidij Princeps fuit, ac Tribunus Legionarius, & in nauali expeditione Luſitana, Franciſci Stroſſij Prætoris

† *Gretſerus in proleg. ad Scriptores de Valdenſ. error. c. 8.*

toris

toris Caſtrenſis Vicarius : Angræ denique in Terceria inſula abs ſe expugnatæ , ex lethali vulnere deſiit viuere. Vir bellica fortitudine inſignis, in cuius ſummo vertice occupando , ſola eum ætas defecit, ſucciſum anno ętatis ſecundo ſupra triceſimum. Ad hunc, in Regiam accitus Cæſar , hęſit in aula ſolido triennio bibens de calice aureo Babylonis.

XI. *Triplex ille ſæculi fulgor , in Cæſare, & quibuſuis nobilibus tenebroſus.*

Hunc triluſtrem ſeculi fulgorem, ex præſtitutis orationis finibus omiſſum volo. Tametſi luminis ac tenebrarum conſociationem,quam in Cæſare noſtro habeo propoſitam,facilè erat in ea quoque multiplici luce notare:ita vt comprobaretur hac item in parte illud Dauidicum , *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Fauendum Bleſillæ nobiliſſimæ fœminæ decernebat Hieronymus *,quod deſiiſſet eſſe cum habitantibus Cedar;quo nomine tenebras ſonante , caliginoſum quemcumque ſæculi ſplendorem , inſinuatum ſignificat. Nobilitatis ſanè,ſi Saluianum † audimus,tot ſunt furuæ maculæ,vt meritò luna patricia nobilitatis ſymbolum,nigræ alutæ ſubtexeretur: præter eam tenebricoſitatem fulgoris illius alieni;qua pleroſque Regibus ſatos (quod S.Chryſoſtomus * obſeruauit) ad inglorium agaſonum & opificum ſtatum deiectos, etiam extra obſoletas hiſtorias eſt deprehendere. Quid quod vulgò dicta nobilita , de corruptione generatur,vt ſapientiſſimè philoſophatur Nazianzenus †, atque adeò procul abeſt à pura luce ? De militiæ autem caliginoſo iubare , vtcunque aliter ex ſæculi ſenſu pronunciandum videatur , ſat eſſe poſſit S.Bernardi * iudicium ; qui *militiam & malitiam*, vt cortice vocum,ſic ſignificatione affines dixit : omninò verè quoad permultos, quibus effrœnata vitæ licentia, & libera cuiuſvis flagitij deſignandi facultas,obduci titulo militiæ videtur: hominibus adeò in ſalutem ſuam æternam malè animatis, (quod idem ſanctus Bernardus meritiſſimò ſuſpicit;) vt cum iuges ſint in ſummis

*Epiſt.25.

† *lib. 4. de prouid.*

* *Hom. in Matt. 59.*

† *Orat. 28.n.14.*

* *Serm. ad milit. templi.*

vitæ

vitæ periculis, & à momento vnde pendet æternitas adeò modicè abiunguntur; ſecuri tamen bibant iniquitatem ſicut aquam; perinde ac ſi cœleſti diplomate aduerſùs vulnerum inflictus communirentur; aut leges omnibus poſitæ, de æterna clade mortem in lethali culpa oppetitam exceptura, refigi per eorum contemptionem ac temeritatis immanitatem poſſent. Aulæ denique miniſteriorum euanidam lucem denſa circumſeptam caligine, meritò ſepoſitam volui, qui meminerim furuam admodùm eſſe aulæ faciem de plurimorum à me alibi * laudatorum ſententia, confirmata à Iacobo Reynero aulici Alphabeti concinnatore, & à Nupero Alciati Emblematum Interprete †. Planè lux hæc vniuerſa; ſplendor inquam, ſiue natalium, ſiue militarium aut aulicorum munerum, qui apud ſæculum tanti eſt, & multorum luſcioſorum præſtinguit oculos, eam clibani fumantis & igneæ lampadis tranſeuntis caliginoſam lucem quæ Abrahamo obiecta eſt *, appoſitè refert. Quanquam vtrius ſint potiores partes, lucíſne an caliginis, vix poſſit eſſe contentio, adeò parcè in tam denſis tenebris obſepientibus, lux ſpicula micat; ac proinde non ſicut tenebræ, ita & lumen, ſi accuratè inſtituatur comparatio. His itaque omnibus ablegatis, inſiſtamus Dei in ſeruo ſuo operationibus; & in quas tenebras cœleſti luce dilutas eum immiſerit, cum in tyrocinio, tum in adultæ ac conſummatæ virtutis ſtatu, vt monſtrandum receperam, conſideremus; vtrobique comprobantes, verè de eo dictum, *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

lib. de Martyr. p. 1. c. 6. a. n. 18.

† *Ad Emblema 87.*

* *Geneſ. 15.*

X.

Cæſari virtutis Tyroni, lumen à Deo per opificem vnum, & pauperculã

Tyrocinium virtuti: Cæſaris noſtri dico, tempus illud quo ex Aula redux, domi ſuæ hærens, cum adhuc ambularet in vanitate ſenſus ſui, illucente pro benignitate ſua Deo, de tenebris ſeculi vocatus ab eo eſt in admirabile lumen ſuum; ſequeſtro (quis credat?) viro vno coactilitij operis artifice, & muliere vna infimæ ſortis.

ſortis. Viro verè ſimplici,& recto,ac timenti Deum, nomen *Ludouico Guiotio*, qui Cauallicæ in Cæſaris patria degebat,erátque (vt S. Chryſoſtomus bonum ciuem appellat,) pietatis in vrbe fermentum. Is quàm commodus Cæſari ad ſancta conſilia adiutor affuerit; quàm principio ſubtimidum, ad generosè audendum animarit,proximè intelligetur. Sed præſertim in Cæſare ad capeſſenda nouæ vitæ ſtudia incendendo, conſilij ſui ſequeſtram adhibuit Deus, pauperculam mulierem maximè piam,cui nomen *Antonia*.Hæc vidua ab annis compluribus,non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.Quod enim S. Sidonius *, viduuium (vt vocat) Eutropiæ matronæ deſcribens ſcitè dixit, huc bellè cadit, [Venerabilis matrona ſingularis exempli, quæ parſimonia & humanitate certantibus,non minùs ſe ieiuniis,quàm cibis pauperes paſcit,& in Chriſti cultu peruigil, ſola in ſe compellit peccata dormire.] Hæc & quoad largitatem in pauperes pro facultate, & quoad iuges in Chriſti obſequio excubias, bellè in hanc viduam ceciderunt. Nouam Annam diceres,Euangelico præconio celebrem. Auſim ego licendo adiicere, & Euangeliſtæ opus profiteri. Nam cum Arauſione, per temporum iniquitatem Religio Catholica valdè afflicta eſſet, ita vt pauca quę ſupererant Eccleſiæ germina, incruenti ſacrificij vſu,& Catholicæ doctrinæ rigatione deſtituta, & à non modico tempore diuinorum Officiorum culturę expertia, degenerarent in ſyluaticas plantas; Antonia opus aggreſſa (ſi humano ſenſu res æſtimetur) ſupra ſexum & conditionem ſuam,ad Catholicos Arauſionenſes in auita fide ſeruandos, intrepida adiit vrbem in qua Hæretici rerum potiebantur: Et eo ipſo tempore adiit, quo adunati magno numero corruptæ doctrinæ Magiſtri, ſtupam collectam, (ex Prophetæ oraculo) mox in pabulum ignis ceſſuram, præferebant.

* *lib. 6. Epiſt. 2.*

bant. Ibi Catholicos certa ſpe proximè affuturę lucis, quæ reipſa conſecuta eſt, animauit. Sectarios, nihil verita, coarguit abiectæ Maiorum fidei; & eorum furori diuinitùs erepta; (aoraſia ſi quidem percuſſi, digredientem lædere, ac ne videre quidem valuerunt;) ad ſuos remeauit incolumis. Videor mihi ad hanc mulierem non incongruè aptaturus quæ Ioannes Gerſo rei aſceticæ ſcientiſſimus in reſponſo ad Canonicum Remenſem ſcripſit de pia & ſimplici muliere quę per ea tempora lluſtribus de cœlo ditata chariſmatibus ferebatur. Narratis enim variis ac ſingularibus eius factis, concludit Gerſo his verbis. [Hæc fœmina paupercula, anus abſque literis & opibus, data mihi videtur in argumentum non mediocre veritatis illius Apoſtolicæ, quod *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* Et numquid dæmones ſunt fortes, de quorum Principe dicit Scriptura, quod non eſt fortitudo ſuper terram, quæ huic debeat comparari? Sed quæ confuſio maior fortibus illis potuit fieri, vel quæ illuſio inſignior dari draconi qui factus eſt ad illudendum ei, quàm vt à muliercula, & tali muliere tam crebrò & turpiter vinceretur? Planè mihi videtur, vidiſſe, inſaniiſſe & frenduiſſe dentibus atque tabuiſſe, cum periret deſiderium peccatorum.] Quadrant perbellè in Antoniam & eius in Satanam certamina, hæc Gerſonis de alia Gallicana muliere pia. Imo multo magis in Antoniam cadunt; quæ non ſecus ac apud Græcos Magdalena & Thecla audire poſſit *Iſapoſtola*, auſa in Apoſtolicam meſſem falcem mittere. Sed vt inuidioſis contentionibus abſtineam, parciùs ſecurè dico. In ſumma, hæc mulier, Ectypon viduæ ab Apoſtolo deſcriptæ, omne opus bonum ſubſequebatur. Eius præſertim operam Deus, in Cæſare è tenebris, quibus hactenus inhæſerat, eruendo, & in partem ſortis Sanctorum in lumine miſericorditer transferendo, adhibuit. Nam per occaſionem Viciniæ,

4.p.operũ.

Digitized by Google

ciniæ, in Cęſaris familiaritatem irrepens,ſanctis monitis aſſiduè ingeminatis,& numquam repulſas faſtidiente charitate,ſed maximè incenſis apud Deum precibus ac lachrymis & ſeuera ſui tractatione, eo denique hominem ſancta importunitate fatigatum adegit, vt lectione piorum librorum vſurpata, & interpellatione numinis ad exorandam cœleſtem lucem adhibita, de vita componenda cogitationem ſuſciperet,nec ita multo poſt,reipſa perficeret. Dux fœmina facti.

[Gratias gratiæ Dei;reparauit enim ſexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanſerat, quia ab initio per mulierem peccatum, & propter hanc omnes morimur. Diabolus vnam Euam deiecit,ſed Chriſtus natus ex Virgine multas fœminas exaltauit.] Auguſtini * verba dedi,SS. Perpetuæ ac Felicitatis egregia facta pangentis. Sed illæmet voces, perbellè in Antoniam Cæſaris ad piam vitam informatricem cadunt. Benè itaque ſit mulieri, impactam ſexui molliori calumniam eo facto detergenti. Vt quid in oculos & aures noſtras toties incurrunt illæ voces & expoſtulationes? A muliere viri ruina, & ſeductio vniuerſę poſteritati pernicioſa manauit. Mulier viro in decipulam,& venatorum laqueus facta, pedicis ſuis incautum irretiit. Verba eius ſagena & laqueus.Parum abeſt,quin Anaſtaſius Sinaïta, falſum conſilio Deum, auſit pronunciare;quaſi mulierem viro adiutorium aſſignare arbitratus, exitij illecebram, & calamitatis conciliatricem adiunxerit. Audiui frequenter talia. Scatent libri,congeſtis ſtudioſè in hoc (vt Plato appellat) viri dimidium, probris; quę vna illa ſpongia exquiſitè detergere potis eſt; *Hic ſexus genuit Saluatorem* †; [Per Mariam (inquit S. Proclus *) beatę nuncupantur omnes mulieres : Non erit maledictus vltra, neque execrandus fœmineus ſexus, cum & genus hoc habeat quo Angelos ipſos ſuperet.] At pręter hunc vmbonem

XI. Fœmina nō raro inſtrumentum pietatis.

** lib. de tempore Barbar. c.5.*

lib.9. in Hexaëm.

†.Hieron. in Hilarione.

** Orat. 5.*

telis quibuſcunque impenetrabilem, illum etiam licet prętendere, quod ſexus fœmineus, variis occaſionibus, pietati fortioris ſexus, ipſiſque regnis ac Prouinciis vera Religione & ſycera pietate imbuendis, egregiè cõmodauit. Sic Clotildis Clodouæum cicurauit, & Francis fermentum veræ Religionis ac pietatis fuit. Sic Theodelinda Bauara, Agilulphum ac Longobardos gentem populoſiſſimam ac ferociſſimam, quâ ab Ethniciſmo, quâ ab Arrianiſmo, ad Chriſtianam mititatem & veram fidem traduxit. Sic Ingundes Franca, Gothos rerum in Hiſpania potientes, ab Ario ab abalienatos, Catholicæ Eccleſię agregauit. Vt videas verè affirmaſſe Chryſoſtomum †, multùm; planè inquam multùm, poſſe mulierem promouere cauſam pietatis ac Religionis. Id quod reipſa pleræque præſtiterunt. In hoc album eam refero, quæ cùm pleriſque aliis, tùm nominatim Cæſari noſtro, Magiſtra ſanctorum morum, & ſolidæ pietatis initiatrix fuit.

† *Epiſtol.* 170.

XII. *Virtutis in Cæſare Tyrocinium quale.*

Tyro Sanctimoniæ ex Antoniæ præſertim diſciplina Cæſar, ſub paludamento & militari habitu, (quod de Exuperantio aiebat S. Hieronymus *, agebat opera Prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vincebat interiori homine, qui formatus eſt ad imaginem Creatoris. Prioribus inquam inſtitutis veſte tenus inhærens, reipſa noua conſilia agitabat animo, & aliam à priore militiam, alteriuſque longè potioris Aulæ miniſteria, mente voluebat: principio nõ abſque reniſu aliquo, aut etiam horrore nouæ vitæ, (vt aſſolet,) ob inteſtinam luctam, & ſenſum difficultatis ab inolita conſuetudine, à torrente corrupti moris humani, à metu conciſionis per oblocutorum linguas, vnde ad tempus horror magnus & tenebroſus, (vt de Abrahamo proditum eſt †,) inuaſit eum. Hæ fuere Tyrocinij eius tenebræ, quas mox affuſum cœleſte lumen, & vbertas ſpiritualium ſuauitatum depulit. Orſus à

* *Epiſt.* 35.

† *Geneſ.* 15.

ſeria

Digitized by Google

ſeria & accurata conſcientiæ expiatione apud Petrum Pequetum è Societate IESV, inſignem per id tempus animarum Curatorem, vniuerſę vitæ noxas depoſuit. Neſcias, vtrius auctiore ſenſu pietatis. Pecquetus certè, deinceps in Cæſarem adeò fuit animatus, vt homo grauiſſimis diſtentus animarum iuuandarum curis, priuatim Cæſarem docere, & per humanam ſapientiam, eum aptare ad ſacram doctrinam, graue non duxerit. Sed hoc ab aliis proditum literis, ſciens prætereo. Quis item quantúſque Pecquetus fuerit, aliis exponendum permitto. Nunc illud vnum dico, ab eo dexterrimè & feliciſſimè in ſacro illo foro adiutum Cæſarem: qui vt ſeriò abs ſe actum cum Deo monſtraret, illuſtri planè facto, noua ſtudia, & commutatam mentem probauit. Digna quę in exemplum trahatur, à priſtinis inſtitutis auerſio, & idcircò non prętereunda.

XIII. *Iuueniales ſcriptiones ab eo flammis tradita.*

Profanę poëſi addictior fuerat Cæſar, & pro more conditionis illius ac ætatis hominum, illuſtrandis & in metri leges cogendis iuuenilibus ludicrarum ſcriptionum argumentis, dederat operam; ſed non abſque aliquo irritamento intemperantiæ, pro eius generis ſcriptorum licentia; quibus non licere eſſe tam pudicis, excuſatum iam olim eſt; non ab Ethnico duntaxat Eroticorum tractatore; ſed quod multò magis mirandum ac dolendum eſt, ab Auſonio, Chriſtiano quidem Poëta, ſed ſolutiore, & vitę parciùs, quàm pro Chriſtiano compoſitę: vt propterea fuerint, qui eſſétne Chriſtianus in dubium vocarent. Itaque Cęſar, cum ex hoc corrupto ſcribendi vſu, indulſiſſet calamo, illas (vt cum Themiſtio dicam †) † animi minùs puri reliquias, ad opera tenebrarum proludentes, cupiens funditus exterminatas, ſtudioſè ab amicis apud quos ſparſæ pridem erant, ſpecie recenſendi, & dignius quippiam cõmentandi recuperatas, Vulcano abſumendas dedit; partim dolentibus quibus concinnitas & venuſtas

† *Orat.* 13.

Digitized by Google

ſcriptionum illarum perſpecta erat; partim ſtupentibus ad inopinum factum ſociis,quibus ſtuporem intulit audire,pro torculo librario, cui mox ſubiiciendas eas ſcriptiones auidè expectabant,fuiſſe caminum.Fecere hoc ipſum quod Cæſar,alij quoque, ſed vix vllus maiori cum laude. Æneas Syluius cum in Pium II. euaſiſſet, ſcripta minùs eam perſonam decentia,ac nominatim olida quædam atque putentia,quę iuueni exciderant,perdita voluit.Quid mirum ſapere ſalem terrę & Eccleſiæ ſenilem ſapientiam, (ſic nomino cum Chryſoſtomo * Romanum Pontificem) exitiales illas nugas iuuenili licentia inconſideratè emiſſas, abolere voluiſſe? Ambroſius Catharinus †, ingentis lucri ſpem à Bibliopolis iuuenilia ſua expetentibus oſtentatam,flammis vltricibus abs ſe vaſtatam prædicat.Quid aliud ab homine,ſua damna, (quæ ibi non celat) denique experto, fuerat expectandum? Serò ſapiens & delicta iuuentutis abſterſa cupiens, ſtultum in eo libellorum genere laborem improbauit: optimo ille quidem conſilio,& iure collaudando,ſed tamen in illis adiunctis vix vllam inferente admirationem.

** in Encomio SS.Petri & Pauli.*

† Tract. de libris noxiis elimin.

4.p. Hiſt. ſoc.

Laurentius Gambara (vt apud Sacchinum legere eſt,) docente Antonio Poſſeuino ſcriptionum Eroticarum perniciem,eò deuenit,vt molem huiuſmodi ſcriptionum quas prelo maturas habebat, vltrò vaſtaret. Bernardinũ Realinum ſanctitatis poſtea compertiſſimæ virum,cum in ſeculo iuuenis, exegeſim vulgaſſet in Catulli carmen *de Nuptiis Pelei & Thetidos*, quo inſperſa ſunt pro argumenti neceſſitate, quædam reſipientia fermentum eroticum;produnt eius Acta, vbi cultior fuit in rebus diuinis,nulli ſiue ſumptui, ſiue diligẽtiæ peperciſſe,vt exemplaria illius ſcriptionis,à Bibliopolis penes quos diſtracta iam erant,recuperaret;& quotquot nanciſci potuit,igne damnauit.Quid mirum, viros in ſeculi cœnum leuiter infixos, maturiores factos,

cap. 3.

Digitized by Google

ctos, eam cogitationem de ſuis ludicris iuuenilibus ſuſcepiſſe? Cæſar noſter in ipſo ætatis flore, initia ſui ad Deum regreſſus, gratum hunc ſuffitum adolens, religiosè conſecrauit. Et quia iudicibus Ambroſio * atque Syneſio †, ſcriptiones veluti mentis fœtus, autoribus pro filiis ſunt, nihil vetat dicere. Cæſarem hoc facto, decus Abrahami filium immolare parati, eſſe æmulatum. Niſi quod Abraham hæſit in boni operis voluntate, cædem filij, lege naturæ haud diu poſt obituri, non exſecutus. Cæſar mentis ſobolem, quam ad ſęcula futuram ſuper (vt eſt autorum ſibi abblandientium ſenſus) ſperare poterat, reipſa ſuccidit. Quod Heliodorus iam Epiſcopus, ne intentata quidem per Synodum deiectione è gradu, impetrare abs ſe potuit circa Eroticæ ſcriptionis abolitionem; hoc iuuenis è ſæculo, in primis pietatis rudimentis, vltrò ac vrgente nemine, alacer præſtitit, anteriorem ſuum donorum Dei in gerras illas abuſum auerſatus, & contractas inde maculas eo lixiuio volens deterſas.

* *Epiſt. ad Sabinum.*
† *Epiſt. 1.*

Vtinam hoc vel ſerò, exprimerent imitatione, omninò multi, qui vt expoſtulat Philo †: [Facultate ſcribendi abuſi ſunt, tum in oratione ſoluta, tum in Poëmatibus, verſi ad comœdias & fabellas Sybariticas, nota turpitudinis obſcenitatíſque argumenta; cum debuiſſent naturæ donis vti ad prodendas res geſtas, vitáſque bonorum virorum; vt nec honeſta exempla, vetera nouáque, traderentur obliuioni ac ſilentio, cum prælucere poſſint poſteris: nec omiſſis melioribus argumentis, auditu indigna anteponerentur.] Cadunt in eos quoque, illa Prudentij in Symmachum, turpiter ac peſſimè prodigentem luculentum dicendi ac ſcribendi donum quod à Deo acceperat;

* *lib. 1. de vita Moſis* initio.

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij, cui cedat & ipſe
Tullius: Has fundit diues facundia gemmas?

Os

Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro
Si mallet laudare Deum, cui ſordida monſtra
Prætulit, & liquidam temerauit crimine vocem.
Haud aliter quàm ſi raſtris quis tentet eburnis
Cœnoſum verſare ſolum, limóque madentes
Excolere aureolis ſi fortè lignibus vluas;
Splendorem dentis nitidi ſcrobs inquinat atra;
Et precioſa acies ſqualenti ſordet in hara.

Epiſt. 41. inſi. Ita planè ſe hodiéque gerunt in aliis argumentis, plerique benè pexi & calamiſtrati ſcriptores, ornantes Diabolum, vt Licentio ſimilia ſcribenti obiectabat Auguſtinus, cũ oporteret, ſaltem poſt factum, ſupprimere malè vulgata. Nunc non nemo, Heliodorum potiùs, vel Achillem Tatium æmulatur. Hunc Photius & Suidas, euulgatis nec ſuppreſſis inuerecundis ſcriptionibus, admotum Eccleſiæ gubernaculo, prodiderunt.

XIV. *Inſignis eiuſdem de ſeipſo victoria, prælato diuinæ Euchariſtiæ funali, præter nobilium tunc morem.*

Longè generoſioris animi ſpecimen, ſed multo grauiore cum lucta, nec abſque præuiis magnis animi anguſtiis, & horrore tenebroſo, exhibuit Cæſar geſto altero, quod eius ſanctimoniȩ adultæ, (certè progredientis & inualeſcentis) fundamentarium dixerim. Adhuc ſplendidè amictus, & pro nobilium tunc vſu, præcinctus enſe ſcutula capulari inaurata, muſcario plumario inſignis, procedebat. Cum templum orationis gratia ſubiiſſet, & diuina Euchariſtia ad ægrum deferenda eſſet, iuſſus eſt à Ludouico Guiotto, (non alia prȩdito autoritate, quàm conciliata ſà teſtata hominis probitate, & à ſtudio Cæſaris profectum curandi,) exemplo tunc infrequentiſſimo, aut etiam nullo, facem prehendere, & Regi Regum aperto capite per vicos comitari. Abuſione non ferenda, per id tempus, ſacro Miniſtro diuinum cibum ad ægros geſtanti, vix vnus aliquis è ſimplici plebecula facem præferebat; nec rarò Curionius duntaxat famulus, manu altera laterna

instru

inſtructus, altera campanulæ ſonitu obuios officij admonens, pro vniuerſa pompa & deductione erat. Non (vti poſtea ſanctè inductum eſt,) longus funalium ordo maioris modi, præferentibus primariis quibuſque ciuibus; aliis ad contos, quibus vmbella diuino ferculo obtenditur, cum veneratione admotis, dignam Deo ſacris ſpeciebus abdito aſſectationem exhibebat. Omninò ingloria erat & indigna Chriſtianis, quippè ad fidem tanti myſterij non admenſa, diuinæ Euchariſtiæ ad ægros geſtatio. Heu temporum conditionem! Et miramur viluiſſe tunc ſectariis res noſtras, plenáque horroris Sacramenta, nullo fuiſſe loco, cum ipſimet Catholicis abditum ſipario ſpecierum Chriſtum fide agnoſcentibus, adeò iacerent, vt puerulo tantùm comitante, deferrentur? Iuſſus eſt Cæſar, ignobile, (pro corrupto ſæculi ſenſu) miniſterium obire: & iuſſus eſt ab homine ex Opificum numero, cui nullum eſſet in Cæſarem ius, autoritas nulla, niſi ab exiſtimatione probitatis. Collidebantur in Tyronis pij pectore cogitationes, nec modicus angor mœſtum animum occupabat. Sed maximè vrgebatur vano timore, ne ea ſpecie, ac piæ functioni intẽtus, incurreret in Põtificiæ Cauarum militiæ Præfectum Generalem; qui per eos dies Cauallicæ aderat. Videbor minutum quid proferre, ad præſentem ferè vbique morem, factum Ceſaris admetienti. Sed vt ferebant tunc tempora, & vſus, imò abuſus qui inualuerat, haud leuis fuit operæ, capeſſere imperium, & aduersùs corrupti moris torrentem obniti.

XV. *Seculari (qualis tũc Cæſar erat,) ſermones deſpuere, arduum.*

Ardua profectò res, malè putantium linguas, vt Auguſtinus loquitur, Chriſtiana generoſitate amputare, & cum Nazianzeno * dicere, [Atqui multis ſecus videtur? Quid verò mea intereſt, qui rei veritatem magis curo, imò ſolum curo? Quid aliis videatur, nihil ad me, quemadmodùm nec alienum ſomnium.] Non

**Orat. 27*

omnes hunc induunt animum, pleroſque cicad inæ diem ſttepentes (hoc enim ſunt iudice Ambroſio † homines ſeculi (remorantur à pietatis negotio;& cœlo tonante obſurdeſcentes,coaxantibus ranis aures adhibent. Pudet mortalium permultos, bonorum operum; pudet manuducentis ad ſanctimoniam inopiæ, quos non pudet ſcelerum, vt meritò deplorabat Richardus Victorinus †. Cæſar tamen afflante Dei Spiritu,recoluit frontem ſuam, linguam non expauit alienam. Ideò enim in fronte tanquam in ſede pudoris ſignum Crucis acceperat; & qui circumciſionem in latente carne non exceperat,ſed Chriſti ſignum in fronte libera,vt D. Auguſtinus † piiſſimè diſſerit, occultatione virtutis poſthabita,reuelationem adamauit. Itaque (quod idem S. Auguſtinus * de Victorino generosè ſeculum calcante dixit, (afflante Deo perſpecta Chriſtiana veritate, depuduit vanitati. Et quamvis quod verebatur accidit,& procedens cum face,in Pontificiæ militię ſupremum inibi præfectum & nobilium ingentem vim ei comitantem incurrit, tamen hæſit in officio, neglectis profanis iudiciis atque ſermonibus, quos inſanæ Sannæ condiunt. Quod quantum ſit virtutis robur,monſtrat frequenter Chryſoſtomus * nominatim tractans illud Moſis, *Noë inuenit gratiam coram Domino*; & crebrò quoque D. Auguſtinus †, qui præter cætera, huc pereleganter accommodat ficum fatuam,quam ſubeat neceſſe eſt, qui primùm, Zacchæi imitatione ad Chriſtum venit. Vno verbo rem confecit S. Cyprianus *; iuxta quem [Tunc omne fidei robur expanditur,ſi vincas quicquid profanus ſermo iactauerit. Vt cum aduerſo mari moles oppoſita reluctatur,feriant licet fluctus,& reuolutum æquor identidem pulſet, tamen hæret immobilis virtus,nec vndis circumſpumantibus adoperta ſumccumbit; donec per ſcopulos vis digeſta ſe ſupprimat;& ſuperiacens ſaxis, in

† *Epiſt. 6.*

† *In Beniamino minore, c. 46.*

† *Fragm. 27. tomo 10.*

* *lib. 8. conf. c. 2.*

* *Hom. 23. in Gen. & in Pſ. 5. ad illud,* Tu benedices iuſto. *& hom. 75. in Ioan. & hom. 46. in Act. & hõ. 12. in 1. Cor. & hõ. 5. in 2. Cor. & hom. 3. de verb. Eſaiæ,* Vi-

in aperta littoris ſpatia victum æquor euadat. Quid enim eſt in illis aliud, quàm ſermo vacuus, & inane colloquium; & inanium voluptas praua verborum? Sicut ſcriptum eſt, *Oculos habent & non vident.*] di Dominum.

Hic primus Cæſari, à tenebris ſeculi ad lucem iuſtitiæ & ad omnem ſanctimoniam gradus fuit. Multo quidem labore ſuperatus & animi ſecum luctantis, (qualem ſibi in primo conflictu fuiſſe deſcribit Augeſtinus *) operoſo ſanè conniſu; ne diuulſione dicam, ac veluti conſcerptione. Attamen credi vix poteſt, quantoperè molliti ſint generoſo hoc facinore, aditus ad perfectam abſolutámque ſanctimoniam. Tãti eſt non abblandiri ignauiæ in principiis, nec mulcere renitentem in virtutis negotio appetitum. Perſpectam habebat Guiottus, tam nobilis facti Cæſari autor, erectionem eius animi, longè alienam ab illorum imbecillitate, quibus ne frangantur, & ſub onere fatiſcant, neceſſaria eſt ea S. Ambroſij † admonitio. [Vt ſi puerulum literis imbuas, à ſingulis literarum elementis inchoandum eſt tibi, vt à ſingulis apicibus ad ſyllabas eum, per ordinem ad nomina orationémque deducas. Necc poteſt mare quiſpiam nauigare intrepidus, niſi qui ante in fluminibus nauigauerit.] Similia habet alibi *, imitatus S. Hilarium †, & vtrique adſcribitur florulentus ſcriptor Valerianus Cemelienſis *, cuius hæc eſt ſententia. [Virtus magna, in minoribus ſemper experimentum capit. Sic rudis miles priuſquàm ad pugnam veniat, aduerſùs arborem truncatam, robur exercet; & inducta manu vulnera ludendo componit. Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum curſu ventos imitatur. In tantum denique proficit ſtudium, vt penè minor labor ſit viciſſe hoſtem, quàm exercuiſſe virtutem. In ſimilibus ergò proludendum nobis eſt; & aptandus eſt ſtudiis, animus ad fortiora venturus. Virtus enim quæ in paruis præmittitur,

† *Serm. 18. de verb. Dom. ſer. 8. de verb. Apoſt. & Epiſt. 56. & in Pſ. 32. conc. 1. & in Pſ. 30. ad v. 20.*
* *l. de laude mart.*

XVII. *Optimum ignauiæ non abblandiri in initiis; & ita à Cæſare factum.*

* *lib. 8. conf. c. 5. & ſeqq.*
† *lib. 1. de Ab ab. c. 4.*
† *lib. 1. de Off. c. 10.*
* *lib. 1. de Trinit. in argumento libri. 11.*
* *Hom. 16.*

Digitized by Google

tur,faciliùs in maximis exhibetur. Sic dum conſueſcimus minora vincere,maiora vincere, maiora diſcimus tolerare.] Sint hæc,accommodata tenuitati imbecillium præludia,ne cadant animis, & fracti difficultate, iter initum faſtidiant,vel etiam retrocedant.Nobilibus verò pectoribus,congruentius eſt monitumCaſſiani †, hauſtum à Chryſoſtomo *; ducendum ab arduo quopiam facto initium ſuadentibus,& ſalebrarum quarumcunque complanationem inde ſecuturam ſpondentibus: cui doctrinæ inhæſit circa Cæſarem, magnorum eius ſpirituum conſcius Theodidactus Guiottus.

† Colla. 5. c.14.
** Hom.73. ad Pop.*

XVII. *Nubila his geſtis admiſſa, purum lumen excepit,& Cæſarem ſerenauit.*

† l. 1. vita c. 10.

Exercuit tantiſper in his principiis Tyronem ſuum Deus. Mox tamen à generosè iactis,per ea quæ dixi, nobilia geſta fundamentis,deterſo nubilo, & plena ſerenitate animo illata,lux affuſa eſt liquida; & ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius: Vt haud abs re,ſol ei per noctem obſeruatus referatur †, ſymbolum lucis plenæ, qua Deus illum abacta caligine prima, beneuolentiſſimè cumulauit. Luci commenſus calor adiunctus eſt, ac præferuidus erga diuina ſenſus, tanta ſuauitate delibutus, vt colliqueſcere in Chriſto videretur. Præ malacia & fluſtro mentis,ac dulciſſimo erga Deum affectu, Paradiſi delicias iam ex hac vita prægustabat.Nullum à carne,nullum ab inolitis moribus erat certamen. Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cor & intelligentiam eius,ex Apoſtoli voto,cuſtodiebat. In via mãdatorum Dei delectabatur; & dilatante cor eius Domino,ferebatur incitato ad omnem ſanctimoniam paſſu;nec progreſſione, ſed curſu, iter illud in quo tam multi languent, multi animo linquuntur, incredibili alacritate emetiebatur, numquam, vt ſibi videbatur, commouendus. Comprobatum in eo cenſeres, quod Dauid ex ſuo,vel pij cuiuſpiam ſenſu affirmabat; *Ego dixi in abundantia mea,non mouebor in æternum.*

Sed

Digitized by Google

Sed ô bonorum quorumnis noſtrorum, caducitatem! ô etiam ſpiritualium munerum, fluxam per huius vitæ tempus conditionem! Ab ea luce mentis atque lætitiis, Cæſar in tenebras & mœrores reuolutus eſt, eò horridiores, quo erat virtus eius facta ſolidior. Tenuerat fluſtrum & lucis ac ſuauitatum cœleſtium affluxus, vniuerſo propè Tyrocinij eius ad ſanctitatem decurſu; hoc eſt mox à primis initiis, nonnulla tenebrarum ac mœrorum admiſtione obſcuratis, per ſolidum propè quinquennium. Diceres, qui terminus ponendis Pythagoricæ ſapientiæ rudimentis conſtituebatur, eundem Cæſri in ſanctioris ſapientiæ ſchola fuiſſe præfixum. Ergò poſito per illud tempus ſpiritualis vitæ Tyrocinio, expertus comprobauit, verè ac ſapienter Petrum Damiani *, agentem cum Blanca, ex Comitiſſa illiſis ſeculo calcibus ſanctimoniali, quod obtingit in ſpiritualis vitæ primordiis fluſtrum, ex Dei indulgentia eſſe; futurum autem vt excipiant eam malaciam procellæ ac turbines, quod ita ferat humanæ naturæ conditio & auctius bonum noſtrum. Itaque idem ipſe Dauid, qui in abundantia ſua præfidenter iactarat, fore vt non moueretur in æternum, dedoctus errorem ſuum, ingenuè conteſtatur alloquens Deum, *Auertiſti faciem tuam à me, factus ſum conturbatus.* Ille ego proſperè fluentibus rebus adeò exiſtimatione mea inconcuſſus, vt labare non poſſem, miſerè agitor ac fluctuo, expertus æſtuaria hîc eſſe, non portus. Cæſar noſter haud diſſimiliter, diuinarum hîc, ſuauitatum minimè perpetuam vſuram, experimento ſuo deprehendit.

XVIII. *Rurſus nubila & tenebræ poſt nonnullum lucis interuſurium.*

* *lib. 7. Epiſt.* 19.

Nec tamen fuit hæc vel Dauidis, vel Cæſaris ſors propria. Omnes Dei ſerui in eadem ſemper naui fuerunt, ſi Sanctos diuini huius iuris conſultiſſimos audimus; Gregorium Magnum * præſertim, atque Bernardum. Ille hoc eſſe ait, viſitari diluculo, & ſubito probari:

XIX. *Mos idem Sanctorum omnium.*

* *l. 8. Moral. c.* 20. & 21.

bari : nec ſecus ac Salomonem, mox ab vbertate cœleſtis ſapientiæ collata, certamine turpium mulierum implicari · aut cum Paulo rapi ad tertium cœlum, & confeſtim in regreſſu, colaphizari ab Angelo Satanæ, & rebellem ſpiritui carnem gemere: Saliua à capite in os delapſa contingi, ſed glutitione eius, ac in ventrem demiſſione, prohiberi. Alibi † verò hoc eſſe ait, quod ex viſo Ioanni obiecto, in cœlo terreno, quod eſt Iuſti anima, ſilentium eſſe dicitur, quaſi media hora: Non per horam integram, ſed per dimidiam duntaxat, ac ne ipſam quidem ſolidam & plenam, cum adhibita minuente particula, dicatur non teneri ſilentium, niſi *quaſi*, vel *circiter* media hora; qua perbreui decurſa, illicò ſtrepitus & quietis abruptio reueniat. Bernardus * in eandem ſententiam plenè ac ex inſtituto diſſerit, præſentiam hanc eſſe ſponſi demonſtrans; conceſſam ad tempus, & tempus modicum; qui occurrens, ſe retineri non patiatur; ſed ſubitò iterum quaſi è manibus elabatur : & quamvis interdum ſponſa mente excedat Deo, [At quando hoc, aut quamdiu hoc? Dulce commercium, ſed breue momentum, & rarum experimentum.] Vtique neque diuturnum. Mox enim eam veluti æſtatem, excipit hyems; & claram diei lucem, alternans noctis caligo; ita vt quod in externa orbis facie & naturæ ordine liquidò deprehendimus, cernatur item in iuſti anima; quæ mundi ſpiritualis nomine non ſemel inſignitur. Definit Iob * præſentis vitæ tempus, lucem ac tenebras alternantes. *Terminum* (inquit) *circumdedit aquis donec finiantur lux & tenebræ.* Id eſt donec curſus ſeculorum obſignetur, & mundo apponatur clauſula, per quam ceſſent alternare lux & tenebræ, & lux nunquam defectura ſuccedat. Eadem nunc, in ſpirituali mundo hominis iuſti, tenebrarum ac lucis alternatio, ita vt fas ſemper ſit, de iuſtorum quolibet dicere, *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.*

† *lib. 1. in Ezech. hom. 14.*

* *Serm. 32. & 85. in Cant.*

* *cap. 26.*

Hac

Hac ſe ſorte futurum in labore hominum, ac cum hominibus flagellandum, & quidem caſtigatione in matutinis, non inquam tardè admodùm obuentura vexatione corripiendum in Dei miſericordia, diuino viſo poſt aliquantam in virrutis Tyrocinio pacem, præmonitus eſt Cęſar, cum ei aliquando orationem concludenti, vox illa inſonuit; *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Non eum diuini oraculi fides defecit. Tentationem, ab ea voce diuinitùs ad illum facta, per ſolidos ac iuges annos ſex ſupra viginti, perpeſſus eſt, à Deo qui tentauit Abraham, vt exploratam eius ſanctitatem redderet; à Satana tentante vt perderet; à carne iurato hoſte inteſtino, nihil non moliente vt conſtantiam animæ labefactaret, & in communem ſecum, ruinam æternam conuolueret. Non defuere aliæ præterea tentationum cauſæ: ſed hæ primariæ, quarum præſertim effectus in Cæſare diſcruciando perpendendi. Hæ quippè ſunt denſiores eius tenebræ, quibus adiunctum lumen, recepi demonſtrandum. Et me quidem in has tenebras ſubeuntem, ſanctus horror corripit, nec ſecus afficior, quàm viri ſanctiſſimi Nazianzenus atque Chryſoſtomus, affectos ſe fuiſſe profiteantur, cum Iobi tentationes & ærumnas agitarent animis. Cæſarem enim pro Iobi ectypo haud inuitus agnoſcam, tanta & animo & corpore excepit mala; vix vt nullius, homo oſtreo carnis concluſus, capax incommodi eſſe videatur, cuius particeps ipſe aliqua ex parte non fuerit. Audacter locutus videri volo, ſi me idonea & plena probatio deficiat. Neque tamen niſi ſpecimina vexationum, ipſáque inaccuratè, exhibebo; quod vel perfunctoria & indiligens commemoratio, ſatis ſupérque eſſe poſſit ad inſtitutum. XX. *Horror tenebroſius ærumnarũ Cæſaris, exacto virtutis Tyrocinio.*

Animo, incredibile propè fuerit aſſequi, quanta Cæſar pertulerit; ex quo veluti rude donatus eſt, ac virtu- XXI. *Moles internorum*

Digitized by Google

Cæſaris angoñ, in eo ſtatu; primũ per tentationes circa res fidei.

**Serm. 61.*

4. p. operũ, in fine.

virtutis Tyro eſſe deſiit. Tentatus enim eſt per omnia, adeóque exercitus animo, vt ſtuporem, (mihi quidem) intulerit non ſemel, tot & tantarum eius hac in parte ærumnarum recogitatio. Occupant tentationum ad animam pertinentium veluti verticem, cogitationes contra fidem. Primum fluminis Ægypti riuum deſcribens Petrus Damiani *, non omiſit hanc bonarum mentium carnificinam; obſeruans verſipellem hoſtem, aut (vt vocat) *contortorem*, omnia ad offendiculum & ſcandalum retorquere; ſi fortè conſenſum eliciat, & affectum quoquomodo inficiat. Itaque [offert horribilia de diuinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei inſtitutione: & in alueolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas vel in confeſſione, euomere peccator oneratus exhorret.] Hoc viuorum Purgatorium, vel etiam infernum, ſic deſcribit Ioãnes Gerſon Opuſculo quod ei addixit, & *de fœda tentatione* inſcripſit. [Tentatio *fœda*, quæ alio nomine, *blaſphemia* appellatur, ſolet eſſe admodùm grauis, & admodùm periculoſa, & damnum minans perſonis, quæ nouiter cor ſuum apponunt vt ſeruiant Deo, & ſibi à peccatis caueant, perueniántque ad bonam deuotionem. Homo enim ſe cruciat & turbat, opinatúrque ſe perditum iri; cum huiuſmodi fœdæ cogitationes contra honorem Dei, aut contra Sanctos vel Sanctas aliquas, aut contra fidem vel caſtitatem contingunt, tam impudenter vt ſit horrendum; nec ſciunt vel audent quærere remedium: quemadmodùm habemus de quodam Eremita, qui viginti annis taliter fuit afflictus, quod tandem ſe in deſperationem cogitabat proiicere, donec veniſſet ad ſanctum quendam Patrem, plorans & tam verecundus vt non auderet eum intueri, nec dicere potuit fœdam ſuam tentationem, imo eam ſcripto dedit.] Nimirum quàm ſancta ſunt, & cuiuis pretioſa noſtra myſteria, ita vt pro illis vitam prodigere glorioſum duceret; tam

refer

Digitized by Google

refertum verecundiæ eſt, videri circa illa nutaſſe, aut etiam lapſante veſtigio concidiſſe; quod tamen tremens, & in preſſuris anguſtiarum laborans anima, ne ſibi contigerit, pertimeſcit. Vnde tantus angor, vt tædeat præ eo, etiam viuere. Et fuere qui remedium à reſte peterent, leue præ tanto animi cruciatu exiſtimantes, in literam longam euadere. Acuit ſollicitudinem pendentis in eo nubilo animi, quod dubitatio circa fidei myſteria, ad infidelitatem ſufficiat, de certa Doctorum ſententia. Ideò enim D. Auguſtinus *, negat in fidem cadere *fortè*. Et D. Bernardus † confirmat, fidem (ſi quidem fides ſit) non habere ambiguum. Diſertè verò Pontifex Clemens * V. in Concilio Viennenſi, tangi dubitatione circa animæ rationalis immortalitatem fide Catholica ſanctam, notat infidelitatis; quod ipſum ad omnem fidei veritatem manifeſtè eſt extendendum. Quæ ergò & quanta eſt, animæ bonæ & ſalutem ſuam amanti angoris materia, hærere num fortè per dubitationem vltrò admiſſam, abiuncta ſit à cœtu fidelium, & præceps ruerit in illud barathrum quod eſt inferno continens, extorris facta à regno Dei, & tranſlata in ſortem Diaboli, procul à cõmunione Sanctorum? Hi enim ſunt fructus hæreſeos; ad cuius vel mentionem, bona anima, & ſalutis ſuæ ſitiens, cohorreſcit. Itaque metus ne fortè per cogitationis importunitatem, & intellectus irrequietam agitationem eò proruperit, infert angores, quantos nemo, aut in ſe, aut in alio cui moderaretur expertus, poſſit exponere; id quod conſultiſſimi harum vexationum, Gerſo, Gulielmus Pariſienſis †, Dionyſius Richelius *, Abbas Spanheimenſis, Binsfeldius † ac Nider confirmant. Senſit hanc carnificinam Cæſar. Nec obiter, vel ſemel aut iterum, ſed diu & acriter excoctus eſt in hoc camino. Nam quæ ſunt huius cruciatus † vehementiùs vrgentis cauſæ, ingenij celeritas atque viuiditas, &

* *Lib. 8. Trinit. c. V.*
† *Lib. 5. de conſid. c. 3.*
* *Clem. I. de ſumma Trinit.*
† *Gul. Par. lib. de tent.*
* *Richel. lib. de remed. tentat. art. 3.*
† *Binsfel. de tent. c. 6.*

Digitized by Google

labendi metus ad omnia quantumuis ſecura trepidus, valebant in eo plurimum.

XXII.

Deinde per carnis rebellionem moliuit, contumaciam, Cæſari cum pleriſque magnis Sanctis cõmunem.

† Serm. de rat. circunc.

Quid moleſtiæ à carne laſciuiente? Hæc iuxta creditum Cyprianum, † fornax eſt Babylonica, vbi quaſi pice & naphta conſperſi, libidinum ebulliunt appetitus; & inflammata caro, libertatis honore ſpoliatur. Beſtia eſt (iuxta eundem) inſaniens, corrupti anhelitus, catenis ferreis in vltimis animæ receſſibus alliganda, vt intus ſeipſam fractis dentibus concupiſcentia captiua maſticet atque corrodat: Vnde erubeſcentia propter ſenſum, & iniecta vigilantiæ ſumma neceſſitas, ne extorqueatur aſſenſus. Nec tamen peremptoria eſt contendentibus, ſed probatoria huius ſenſualitatis colluctatio tam veterna: ſed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, vt victor homo peccati & pœnæ, poſt triumphos ſolemnes coronetur in gloria, ſine infeſtationibus liber deinceps à peccato & pœna.]

** Lib. 5. contra Hær. c. 3.*
† Lib. 8. Mor. c. 20. & lib. 11. cap. 12.
** Epiſt. 4. & 8. & 128.*
† 2. Cor. 12. verſ. 7.
** Conc. 2. in Pſal. 58.*

Quid vereamur candidè agnoſcere, huic neceſſitati humanam compoſitionem aſſectanti, obnoxium fuiſſe Cæſarem, cum ipſe Apoſtolus confirmet, colaphizatum ſe ab hoc Angelo Satanæ, orantem reſtingui in ſe hanc rotæ natiuitatis inflammationem à gehenna, minimè exoraſſe? Id quod agnoſcunt Iræneus *, Gregorius Magnus †, & non vno loco Hieronymus *. Scio eſſe qui faciant Paulo perizomata, eiúſque verecundiæ obtendant tegmina; ſiue de perſecutionibus, ſiue de cephalalgia, aut ſtomachi vel renum cruciatu, aut iliaca paſſione vel podagra accipientes ſtimulum carnis, quem ipſe ſibi Angelo colaphizante impactum profitetur. Enim verò Apoſtolum carnalis œſtri grauare infamia, indignum eſſe exclamat Eraſmus †: nec minùs concitatur in eiuſmodi (vt putat) Pauli dehoneſtationem Iuſtinianus. Sed qui tricantur, & nodum in ſcirpo quærunt, præpoſterè pro Paulo æmulantes, Auguſtino * auſcultent. [Accepit Apoſtolus ſtimulum carnis

Digitized by Google

carnis à quo colaphizaretur. Quis noſtrûm hoc dicere auderet, niſi ille confiteri non erubeſceret?] Subſcribunt Auguſtino, Beda, S. Thomas, Theophilactus, Sedulius, Hervæus, Haymo, Lyranus, & graues recentiores, Bellarminus †, Eſtius, Cornelius *, pro quibus eſt planus literæ ſenſus, & alia Apoſtoli ipſius loca inferiùs proferenda, quibus apertiſſimè tradit, ſe cum carne rebellante conflictari, eámque ne ferociat, & animam laſciuiendo perdat, caſtigare, ac in ſeruitutem redigere. Vt proinde fruſtra aliò trahatur eiuſdẽ colaphizatio per Satanam, adacto carnis ſtimulo; cuius punctio, ſemoto aſſenſu, qui procul à Paulo abfuit, labe peccati vacat; nec vel ab Apoſtolo abhorret. Nam de Gregerio Nazianzeno, in extrema ſenecta his ſtimulis diuexato; & idcircò S. Baſilium dulciſſimum quondam ſocium iam cœlo illatum, ad huiuſmodi aculeorum retuſionem à Deo impetrandam interpellante, minùs fortaſsè admirationis inferat narratio, quanto minor Paulo erat Gregorius, tametſi præcellentis doctrinæ, & laborum pro fide Catholica exceptorum gloria, longè illuſtriſſimus. Nec audiendi Græculi, Nicetas & Nonnus, qui pro Theologo erubeſcentes, quod ipſe propalam & candidè de ſe profeſſus eſt, tegere artificiosè ſategerunt, de podagra interpretati, quod planus verborum ſenſus de ſtimulis carnis pronunciatum clamat; cum oratione extrema in Baſilium, tum explicatiſſimè quoque alibi *; vbi corporis tyrannidem immane quantum curuantem animam, comprimi poſtulat: aut ſi ſecus ferret diuinum conſilium, firmari aduersùs importunam inſectationem. Nec de ſuis ignibus ſilet †, Empuſam ac Mænadem ſuam, (ſic enim carnem appellat) exagitans, ac deplorans lugubri carmine, animæ ſuæ calamitates. Haud degenerem à Magiſtro fuiſſe S. Hieronymum *; ipſe, ſuas in Eremo luctas deſcribens prodidit. Idem talia de S. Hilarione

† *Lib. de Mon. c. 30.*
rat. 5.
* *2. Cor. 12. verſ. 7.*
* *Orat.*
* Orat. 42. in fine
† *Iamb. 7.*
* *Epiſt. 22.*

retulit,& de S.Benedicto Magnus Gregorius, ac de S. Franciſco,Bonuuentura. Nec ſuam iam ſenex luctam hac in parte, diſſimulauit S. Auguſtinus †: præfatus enim velimus nolimus, ſemper hic nobis infeſtas eſſe concupiſcentias,quamdiu vita ſuperet,concludit. [Ergò quamdiu viuitur,fratres,ſic eſt.Sic & nos qui ſenuimus in iſta militia, Minores quidem hoſtes habemus, ſed tamen habemus. Fatigati ſunt quodammodò hoſtes noſtri,iam etiam per ætatem:ſed tamen etiam fatigati,non ceſſant qualibuſcunque motibus infeſtare ſenectutis requiem. Acrior pugna iuuenum eſt. Nouimus eam, tranſiuimus per eam. Caro igitur concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem.] Poſterioribus ſeculis clari ſanctitate ſerui Dei & ancillæ,cum carne feraliter rebellante certare adacti ſunt,ea interdum corporis efferatione, vt ab ignitis remediis peterent ſubſidium ignem igne reſtincturi. Produxi in hanc rem exempla varia tractans † ſtigmata pia voluntaria: quibus addendum exemplum pij Monachi apud Petrum Damiani *: à quo candens culter & vomer, reſtinguendo carnis ardori ;imprimebatur carni. S. Angela Fulginas (quæ anno Chriſti 1353. Sanctitatis laude floruit,) viuos carbones locis ſuis impoſuiſſe proditur ad reſtinctionem libidinis,vt habēt eius acta. † Felicius per ignem cum igne certauit ſancta fœmina, quàm Maria illa Coronelia Hiſpana, quæ Ioannis Cerdæ viri ſui abſentian non ferens, extinctura libidinem,adacto ſibi per ea loca titione,vitã,poſuit, vt ſcribunt Mariana *, & Henricus Spondanus † Fortaſſis aliò pertinet,quod de S. Franciſca Romana proditum eſt in eius Actis,& à Raphaële Volaterrato memoratur ; nimirum ſtillicidio flagrante,adipis igne adhibito liquatæ,eadem loca maceraſſe. Et quod de S. Radegunde ſcribit Fortunatus,eam æra cādentia impreſſiſſe corpori. Fortaſſis enim binæ hę heroinæ,non ad reſtinguen

† Ser. 43. de Verb. Dom. c. 9.

† Lib. de ſtigmat. ſect. 1. c. 7.

** L. 6. Ep. 26.*

† c. 20. vitæ.

** Lib. 16. hiſtor. Hiſp. c. 17.*

† 1353. n. 10.

guen

guendum ignis interni impetum, ignem externum adhibebant, ſed ſtudio pœnitentiæ, & vt perceptam aliquando in coniugio voluptatem, etiam ſi honeſtam, penſarent ea carnis diſcruciatione. Mihi tamen planè non liquet, an idem fuerit ſtudium in ſæuis illis remediis aſſumendis, quod S. Angelę fuiſſe cõſtat, nempe ad ignem internum, externo igne reprimendum. Nam in ſanctis quoque ſæpe numero eo ignis ille ſuccẽditur. Eadem igitur ſorte factum Cæſarem per annos ſeptem ſupra viginti, diri huius tormenti atrocitatem abſque induciis ſubiiſſe, nemo ſanus ei probro verterit: ſed pro inſigni potiùs gloria celebrarit, quod adeò obfirmatum in allatratione Satanam, fortiſſimè ſemper repulerit, coronas ſibi triumphales ex iurati hoſtis immanitate contexens, nulla æui iniuria deterendas.

Mirabilis ſanè agendi ratio, ſed tamen diuina, & ideò ad calculos noſtros non reuocanda; qua hominem cœlo per ſancta deſideria illatum, & iugiter Deo copulari affectantem, trahi in eas ſordes non abnuit, ſimul cœlum & infernum nectens in vno homine, iuxta illud S. Gregorij *. [Ipſe eſt cœlum, cum iam per deſiderium ſummis inhæret: ipſe infernus, cum tentationum ſuarum caligine perturbatus, in infimis iacet.] Alibi † ait, hoc eſſe, quod inteſtina hoſtiæ Deo addictæ, & in holocauſti flammas mox ceſſuræ, priùs lauanda præcipiuntur; quia [cum cogitationes noſtras immunda tentatio inquinat, quid aliud quàm inteſtina noſtræ hoſtiæ ſtercus portant?] Sed eam adeò abiunctorum extremorum conſociationem, diuina in homine pio prouidentia, ſapientiſſimè dirigit; cum in fines de quibus per otium Caſſianus * & Auguſtinus †; tum de Iobi ſententia, vt fiat ventis pondus, ideſt, B. Gregorio * interprete, vt noſtra inſtabilitas quieto rerum fluxu facilè efferenda, ea veluti ſaburra firmetur. Nam [ventis pondus facere, eſt, conceſſam hic

XXIII. *Diuina ea in parte agendi ratio, mirabilis: ſed ſapientiæ pleniſſima.*

* *Lib.* 10. *mor. c.* 11.

† *Lib.* 9. *mor. c.* 40.

* *Collat.* 4. *à c.* 12. *& collat.* 12. *c.* 5.

† 16. *Ciuit. cap.* 32.

* 19. *Mor. c.* 4. *&* 5.

electis de virtutibus gloriam, permiſta infirmitate temperare; vnde ſubditur; *Et aquas appendit in menſura.* Quia Sancti ipſi, qui ſancto ſubleuante ſpiritu ad ſumma rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibuſdam tentationibus reprimuntur: vt nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt: ſed ne extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarum quædam menſura virtutum.] Illuſtrat hoc Eliæ exemplo, & conſimilem fuiſſe Sanctorum omnium ſortem docet; ſed Pauli maximè, quem obſeruat de ſe proderе dignatum †, quæ fruſtra aliqui præ incompoſito erga Paulum amore, improuidè pro eius honore ſolliciti, aliò detorquent, ac ſi fas eſſet, falſitatis inſimularent. [*Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ eſt in membris meis.* Ad ima quippè pertrahit caro, ne extollatur ſpiritus; & ad alta ſuſtollit ſpiritus, ne proſternat caro. Spiritus leuat, ne iaceamus in infimis; caro aggrauat, ne extollamur ex ſummis. Si non ſubleuante ſpiritu nos caro tentaret, pertractione proculdubio tentationis ſuæ, in ima deiiceret. Rurſum verò ſi non tentante carne ad ſumma nos ſpiritus ſubleuaret, in ſuperbiæ caſu, ipſa nos peius ſubleuatione proſterneret. Sed fit certo moderamine, vt dum vnuſquiſque Sanctorum, iam quidem interiùs ad ſumma rapitur, ſed adhuc tentatur exteriùs; nec deſperationis lapſum, nec elationis incurrat: quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio ſurſum trahit; nec rurſum intentio interior in ſuperbiam eleuat, quia tentatio exterior humiliat dum grauat. Sícque magno ordine cognoſcimus, in interiori profectu quid accipimus, in exteriori defectu quid ſumus. Et miro modo agitur, vt nec de virtute quiſquam extolli debeat, nec de tentatione deſperare: quia dum ſpiritus trahit, & caro retrahit, ſubtiliſſimo iudicij interni moderamine, infra

† *Rom.* 7.

ſum

Digitized by Google

ma, & ſupra infima, in quodam medio anima libratur.]

Hanc à Deo aquarum menſuram, hoc ventorum pondus, accepit Cæſar, in adeò obfirmata inteſtini hoſtis rebellione, & carnis numquam cicuratæ recalcitratione. Neque tamen officio deërat; ſiue in fatigando precibus Deo, vt medium fornacis faceret quaſi ventum roris flantem; ſiue in ſubducendo flammis fomite; ſiue in reſtinguendo affuſis copioſè aquis, igne profano. Aquas dico, cum iuges lachrymas, tum imbonitates corpus emaciantes atque contundentes. Quidni enim aquis aunumerem media ad ſubactionem & contuſionem corporis opportuna, cum teſte Chryſoſtomo *, aqua ferrum quoque emolliat & maceret; vſque eò, vt fuiſſe mancipia teſtetur, quæ ferreos compedes ſubegiſſent ac diffregiſſent, iniectione in aquam? Has imbonitates, ſancto erga ſe odio armatus Cæſar, quàm ſtudioſè aſſiduéque adhiberet, infra aperiam. Quare non poteſt ferocientis in eo carnis petulantia, ad blanditias quibus illam palparet, reuocari. Sed huiuſmodi, ærumnarum origo, extrinſeca erat; ipſéque imprimis Deus, inebrians animã eius abſynthio, vt eſſet vnde ei vberem coronarum materiam ſubminiſtraret; & pro hac caligine lucem rependeret, fierétque ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

* *Hom. 9. ad pop.*

XXIV. *Alia interna Caſaris vexatio, per deſertionem à Deo & ariditatem prælongam.*

Eminet inter animæ internas tenebras, in quibus verſamur, ariditas irrigui ſuperioris, quam non nemo expreſſam cenſuit tetra ſpecie viſi horrifici, obiecti Abrahamo *, cum occumbente ſole, *Horror magnus & tenebroſus inuaſit eum: Factáque eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones* animalium mactatorum. S. Gregorius † vſque eò interdum augeri obſcurationem illam animi affirmat, vt mens nihil aliud quàm tenebras videat: cum circumductos quolibet oculos obſcuritas obſideat, & arens

* *Geneſ. 15.*

† *Lib. 10. Mor. c. 10.*

arens anima penè in deſperationis confinium prę mœſtitia pertrahatur. Nihil cœleſtium ſapit, nauſeat faſtidiens anima ad quodvis ſpirituale; cœlum quod ſupra hominem eſt, æneum videtur. Nulla inde viſitationis inebriantis demiſſio, ac ne rorulenta quidem aſperſio. Itaque eſt anima Deo, ſicut terra ſine aqua; quæ humiditatis glutino deſtituta, abit in puluerē euanidum, fouendis plantis germinibúſque, ineptum. De hoc tristi & horrido ſtatu animæ, diffuſè Aſcetici; (& benè præter cæteros Iacobus Aluares *, ac Roſſignolius *:) magnam in eo crucem homini ſpirituali cœleſtibus aſſueto viſitationibus, fixam agnoſcentes: præſertim cum in eum ſtatum deuenitur, quem ipſi *deſolationem* appellant.

* *Lib. 2. de Orat. parte 3. c. 6 & 7.*

* *Lib. 2. de diſcipl. c. 39.*

Expertus eſt hanc animi ariditatem & terræ internæ veluti ſalſuginem, Cæſar, non ad vnum aut alterum menſem (vt pleriſque vſuuenit) ſed ad longam annorū ſeriem; tanta cœleſtium ſtillicidiorum parcitate, vel etiam pleno defectu, vt omnia illi ſpiritualia deſiperent, nec vel tenuiſſimo ſuauitatis internæ ſenſu afficerentur. Quem ipſe ſtatum, *quandam inferni adumbrationem* nominabat, & ſibi obtigiſſe, non diffitebatur. Neque tamen velim id trahi, ad minùs coniunctum Deo per id tempus Cæſaris affectum, aut ad culpam eius aliquam, propter quam prohibitæ illi eſſent pluuiæ de cœlo. Memini excellenter in hanc rem diſputare Abbatem Danielem †; & præmiſſa huius ſpiritualis faſtidij & horroris deſcriptione, triplicem omninò cauſam ſterilitatis huius internæ, à maioribus aſſignatam referre. [Aut enim de negligentia noſtra, aut de impugnatione Diaboli; aut de diſpenſatione Domini ac probatione deſcendit.] Huius autem diuinæ diſpenſationis duplicem profert rationem, ad quam facilè ſit reuocare illas ſeptem ſupra decem cauſas, huius à Deo plagæ quas ſigillatim recenſet, Gerſo *; nimirum vel vt à Domino ad horam

† *Collat. 4. c. 3. & 4. & 6.*

* *In myſtica Theolo practica induſt. 6.*

horam derelicti detumeſcamus; & priorem erga nos diuinam dignationem humiles agnoſcamus: vel vt ſollicitiores deinceps ſimus, de cauendo quocunque diuinæ erga nos largitatis obice; ſimúſque in recuperanda,& ſupplicibus votis emerenda prima alacritate, ſtudioſi. Qua ratione, deſertio illa Dei temporaria, cedit in magnum Sanctorum commodum,& in accrementa magna frugum Iuſtitiæ;id quod reipſa in Cæſare eſt comprobatum.

XXV. *Item alia per deſertionem à ſociis.*

Idem, quam fortitudinem exprompſit in deſertione à Deo,adactus quoque eſt expromere in deſertione à ſuis, qua vix eius animum, plus vlla plaga ſauciauit. Adunauerat multo labore ac ſtudio complures ſocios, ad opus Dei,& propoſitam in officia pietatis ac religionis operam. Adunatos excoluerat magna ſollicitudine & diligentia. Vt autem hac quoque in parte, Chriſtum Paſtorem diſperſis gregis ouibus derelictum,imitatione exprimeret, omnis is labor propè momento euanuit. Diſperſi quippè ſunt propè omnes,ſubitò veluti turbine,ad ingeſtam mentionem emittendi deinceps voti obedientiæ, vt diuini negotij adminiſtratio, ex Dei nutu per ſuperiores, facta voti interpoſitione penderet: ſimúlque vt humanæ inſtabilitati proſpiceretur,& decus virtutis illius quam Filius Dei vſque ad mortem adamauit,& à Deo per omnes rerum ordines conſtituta eſt, (vt diſputat Philippus Abbas *) cœtui ſuo non deeſſet. Quæ vox acceptiſſima omnibus eſſe debuerat,perculit propè omnes,cœtúmque disjecit, & auulſit ; vix vt germen radicum eius in terra remaneret ; magno hominis Dei cordolio ; quod æſtimare fas eſt,ex amore quo & in ſingulos abs ſe adunatos, & in cœtum vniuerſum ferebatur : ac etiam ex ardenti deſiderio quo flagrabat, fructus è cœtu ſuo in Dei horreum inferendos, vberes ac diuturnos colligendi. Sed diuina iudicia,adoranda illi ad tempus non diſcutienda

* *Lib.de obed.Cler. cap.1.*

fuerunt; ac mœroris ex ſociorum diſperſione contra-ċti,poculum,quantumvis amarum,æquanimiter exſorbendum.

XXVI. *Ad hæc alia per calumnias & famæ conſciſſiones.*

Spectat genus vnum externorum bonorum, famæ violatio; ſed ita vt eius ſenſus,ſoli animæ inferatur, & vniuerſus intus hæreat. Itaque pertinet ad animæ tenebras,eáſque internas Cæſaris ærumnas, in quibus adhuc verſamur,calumniarum irrogatio,& diſſeminatio falſa rumorum, quibus nomen eius denigraretur. Cuius ſortis Sanctorum,expertum eſſe Cæſarem, par non fuit: vt eſt fuítque ſemper Satanæ vſus,affictis criminibus, quia vera deficiunt, famam ſervorum Dei decolorare, ne niteant, ac exemplo vitæ innocentis labíſque puræ,præluceant;& detrahatur verbis eorum, pondus autoritatis,quibuſcum facta collidũtur. Inſigne in hoc genere patientiæ ſpecimen, præbuit Cæſar aliquando, Aquis Sextijs. Habuerat in ejus Metropolis Templo maximo cõcionem, auditorio & frequentiſſimo & fauentiſſimo.Exſcēdenti è ſacro ſuggeſto, literæ Cauallica à Fratre redduntur.queis certior fiebat, de impacta ipſi nota turpitudinis,ab ancillula quæ ex fœdo commercio grauida,matrem ſe ex Cæſare dixerat. Ingens, tametſi admodùm frequens ſacrorum hominum ab impoſtoribus infamia.Sic dehoneſtati, omninò multi homines Dei, Symmachus, Emmerannus, Othmarus, alij præterea abſque numero,ſollicitè egiſſe referuntur, vt inuſtam maculam detergerent. Nec malè;cum fama ſeruorum Dei,non quoad ipſos tantùm ſit pretioſiſſima,ſed aliis quoque quibus operam ſuam impendunt, nitens & pura ſit ſeruanda pro viribus; quod S.Auguſtinus de oblocutoribus ſuis agens,admonuit. Cæſar tamen, tam turpem notam quæ vniuerſos eius in proximum labores illata vaſtitate perditura videbatur, nihil commotus; ſimplici negatione dilutam,permiſit Deo; excipiens patienter hanc acceſſionem,

Digitized by Googl

nem, ad ærumnas quibuſcum conflictabatur. Quamquam Deus in ſuorum ſemper tutelam excubans, indidem vnde aſperſa fuerat, infamiam abſterſit. Nam effrons muliercula, qua pudoris detritione Cæſarem falſa noxa grauauerat; eâdem, mox, ritè mutata mente, publicè ſtropham retegens & innocentiæ hominis Dei eſt atteſtata; & concinnatores fabulæ à quibus ad criminandum virum innoxium impulſa malignè fuerat, amoto machinationis ſipario, proditos, confuſione perfudit.

Præterire verò ſatiùs duco, quàm exponere, fragores, qui in Cæſarem detonuerunt, & famæ proſciſſiones quas ſuſtinuit, cum beneficio Pontificij diplomatis, poſſeſſionem iniuit ædis ſacræ S. Ioannis; abductis inde ad S. Praxedem, Sanctimonialibus. Ab iis enim qui incommodatum ſibi per ſacri huius cœtus viciniam putabant, res geſta eſt adeò inconditè ac tumultuosè, vt Cæſar linguis propè omnium concideretur. Nec defuerunt qui maleuolentiæ felle ſuffuſi, eum in ſuſpicionem hæreſis vocarent; argumento ducto, ex methodo qua doctrinam Chriſtianam rudi plebeculæ exponebat. Eam quippè geminam eſſe methodi à Poppis Caluinianis in diſſeminando errorum lolio adhibitæ; atque adeò eodem Cæſarem & Caluini emiſſarios collimare, non pudebat dicere. Quâ ipſa & calumnioſa & ridicula criminatione, notatos Chriſtianæ Catecheſis adminiſtros, refert, & iure explodit Poſſeuinus *. Erant qui cauillarentur, adeò familiarem peccatorum quæ quiſque in ſtatu ac gradu ſuo defugere teneretur, expoſitionem, fieri rudibus in decipulã, vel in offenſaculum, ad quod impingerent; dum ſoluta ignoratione, eſſent agendi apud Deum rei culparum, quas adſcribi operantibus, prohibitura fuiſſet ignoratio. Nemo non videt, quàm malè materiatæ, imò quàm ab omni iudicio auerſæ ſint huiuſcemodi crimi-

* *Lib. de neceſſ. tra. Chriſt. doct. c. 2.*

nationes. Iis tamen apud inconditum vulgus ſparſis, & variorum pro more commentitiorum probrorum attextu amplificatis, immane quantum exercita eſt Cæſaris patientia, tentatáque conſtantia.

XXVII. *Tranſitum ad ærumnas Cæſaris à corpore diuexato; primùm per vltrò ſuſceptam durã tractationẽ.*

Ærumnarum Cæſaris internarum immenſam vim, paucis admodùm à me perſtrictam video. Sed modus adhibendus fuit orationi, vt progredi liceret ad corpore exceptas vexationes, quæ quod in ſenſus incurrant, faciliùs & exponuntur, & percipiuntur. Non erat caro Cæſaris ænea. Tam dura tamen, & tam dira, cum ipſemet vltroneus ſui perſecutor & hoſtis intulit, tum extrinſecùs aduenientia admiſit, vt perculſum me fatear ſacro horrore, in procinctu expoſitionis perfunctoriæ, eorum ad quæ me filum diſputationis deduxit. Facto autem ab vltrò ſuſceptis aſperitatibus initio, ſicut illas molliculi carnis curatores impensè ac perſtudiosè refugiunt; ita Cæſar tot & tantas ſumma in ſeipſum hoſtilitate ſuſcepit, vt dici de eo poſſe ad veritatem videatur, quod de æui ſui Lirinenſibus ſcriptum ab Eucherio recolo, cum aſſereret, eos Ægypti teſqua, & Nitriæ ac Thebaidos duritiem, in Gallicanas oras induxiſſe, præ ſancto odio, quo in corpora ſua exardeſcebant; nihil vt illis Orientalibus Monachis, de vitæ ſumma aſperitate, & duriſſima corporum tractatione, concederent. Cæſar, primùm, ter in hebdomade flagellis aſperrimè ſe diuerberabat. Tum diebus ſingulis, eam ſanctam in ſe ſæuitiam repetiit. Cilicinus amictus erat ei perpetuus, niſi cum illum hamato texto mutabat. Chameunias ad ſummum paucis paleis temperabat. Carnium ſibi ac piſcium abſtinentiam indixit; duriorem profectò apochem, quàm quorumvis in Dei Eccleſia à victus duritie; & certorum ciborum repudiatione, illuſtrium. Ieiunium feria quarta, & ſexta, & ſabatho, vſurpabat: & feria quidem ſexta, non niſi pane & aqua ad victum adhibitis.

Hor-

Digitized by Google

Horrent ad hunc tractationis horrorem, qui curam carnis faciunt in deſideriis. Sed Cæſar docente Deo, quantorum bonorum ferax eſſet ea terræ ſuæ cultura, didicerat. Audiuerat grauiſſimam in hanc rem Petri Cellenſis * ad Fratres de monte Dei allocutionem. [Quid corpus, niſi terra inanis? Quid anima, niſi abyſſus impenetrabilis? Quid Deus, niſi lux incomprehenſibilis? Igitur vt caro ſterilis & infœcunda imprægnetur, ieiuniis & vigiliis affligatur. Vt anima tetra & tenebroſa clarificetur, priſtinis vitiis & phantaſtica ignorantia exuatur. Caro abſtinendo fiat paradiſus deliciarum, anima orando & contemplando efficiatur ſereniſſimum cœlum. Cuſtos & operator paradiſi, deputetur ratio: Protector & inhabitator animæ, ipſius creator. Adhibeatur corpori diligens diſciplina, ne tanquam puer immaturus, in perniciem ſui efferatur. Cultura impendatur, ne velut ager neglectus, mala prole vrticarum inutiliter occupetur: vomere & ſarculo conſcindatur, & bono ſemine impleatur. Nam huius naturæ eſt hoc corpus, vt quo magis opprimitur, eò ampliùs multiplicetur. Terra huius carnis, niſi aratro diſciplinæ conuulſa fuerit, quaſi clauſa vulua, inutilis erit. At vbi fortiter concuſſa vel conſciſſa, ſemen Domini exercituum exceperit; germinare ſecundùm genus ſuum incipiet. Denique ſecundò vulnerata, tanquam gladio ancipiti, amore videlicet & timore, vberes fructus Iuſtitiæ; largiſſimas aquas internæ compunctionis, imò ſanguinem & aquam in redemptionem præuaricationum ſuarum, & emundationem originalium delictorum, in vitam æternam ſaliendo profluit. Atteratur itaque contritione valida, ne inſoleſcat; & pro frumento bonorum operum, ſpinas & tribulos deſideriorum malignorum afferat. Fodiatur, imò confodiatur lancea Saluatoris, ne animam in ſepulchro vitiorum defoſſam, æternis addicat incendiis. Duobus

XXVIII. *Ea veluti cultura terra ſuæ, quam illi ferax bonorum.*

* *Epiſt. 44.*

funiculis Dauid admetiatur, vno ad mortificandum, vno ad viuificandum: vt quod naturæ eſt conſerue-tur,& quod vitij,deſtruatur. Sic ſic quantumcunque lapidoſa,fiet mollis & tenera:quantumcunque ſalſugi-nis plena,fiet dulcis & bona. Fiet inquam de denedi-ctionibus cœli frugifera; fiet quaſi horti iuxta fluuios irrigui,quaſi areolæ conſitæ à pigmentariis,quaſi mons coagulatus & pinguis,tanquam vallis nemoroſa, velut terra ſancta & vberrima. De hac ſolummodò oritur veritas,in hanc Iuſtitia de cœlo proſpicit, hanc inhabi-tat & inambulat ſanctitas: ferrum de hac tollitur:mal-leus vniuerſæ terræ, & ſecuris ſuggeſtionis diabolicæ, in ea non auditur. Hæc terra, benedictioni proxima eſt.Hæc inquam accipit tanquam lac diuini vberis,pri-mam benedictionem in iuſtificatione,ſecundam in glo-rificatione.] De fructibus ſancto odio habitæ carnis,ad ſacram Cæſaris hac in parte Philoſophiam ritè perſpi-ciendam: & deprehendendum,vnde illi tot imbonita-tum perpeſſio, non patienter modò ferenda, ſed vltrò etiam ſuſcipienda videretur, plus ſatis.

XXIX. *Ad recenſionẽ aliarũ Cæſaris in corpore vexationum, præmunitio.*

Ad duriora & aſperiora progrediatur oratio. Ta-metſi enim quæ vltrò à Cæſare vſurpata retuli,contun-dendæ ac macerandæ carnis genera, ſunt reapſe du-riſſima,minùs tamen fuiſſe in eis acerbitatis videri po-teſt,eo quod ſponte aſſumerentur. Temperat enim moleſtiam,& aculeum doloris retundit, vſus libertatis, qui cuiuis eſt dulciſſimus: & moretum quod ſibi quiſ-que inriuerit, non eſt quod amaritudinis ingratiue ſaporis inſimulet: ſed quæ aliena manu ingeruntur, nec cogitanti;acorem ſuum retineut, nullo temperata expromptæ libertatis condimento. Hîc verò præmu-niendus mihi lector eſt,ne vel homini Dei extrinſecùs illatam corpoream diuexationem adeò multiplicem,& adeò diram quàm exhibuturus ſum, numinis abalie-nationem interpretetur, fallaci ſanè rubrica: Vel ne è

con

contrario, ad pompam, vanámque ſanctimoniæ Cæſaris oſtentationem, aliqua ſupra verum aucta, obtrudi putet. Neutra harum ſuſpicionum, habet hîc locum. Vt enim imponam lectoribus, nulla mihi cauſa eſt, nulla commodi mei, aut meorum illecebra, quæ ſolet eſſe fingendi irritamentum. At ſapienter pronunciatum memini, Fidele teſtimonium eſt, quod cauſas non habet mentiendi. De numinis autem in ſeruum ſuum beneuolo affectu, etiam in tot corporis ærumnis quantas referre aggredior, habemus denſa ſcripturarum oracula; quibus edocemur, Deum cum ſuis eſſe in tribulatione, & cum iiſdem in fornacem deſcendere, ac perpeſſionum corporis patienter excipiendarum adiutorem aſtare. Nec corporis habitus bonus, ac ſanitas, adeò magnum bonum eſt, quin ſæpè auerſis à Deo concedatur, negetur piis, vt egregiè diſſerit Saluianus *: qui etiam Catturam ſororem informans, de corporeæ ægritudinis commodis habet complura, quæ perſtrinxit quàm pauciſſimis S. Ambroſius †, infirmitatem appellans, *Officinam virtutis*. Quibus ita conſtitutis, reliquarum longè duriorum corporearum Cæſaris vexationum, ſpecimen eſt exhibendum. Quid hæreo, & veluti perculſus tot malorum horrore, pedem refero; eáque chartis illinere refugio, quæ hominem Dei non piguit excipere? Audendum eſt cum bono Deo; præſertim cum ſpes fiat, trahendi ex eius in tot malis robore robur; & ad imitationem patientis, Dei culturam, vrgentes ſtimulos.

* *Lib.* 1. *de prouidentia* ſub medium.

† *In Pſal.* 36.

XXX. *Prætacta Satanæ in Sanctorum corpora efferatio.*

Initium recenſendi eſto, à furore ſpiritualium nequitiæ, in corpus hominis Dei, cum per irrogata dirè flagella, tum per violentam raptationem. Nihil noui refero, quódque non ſæpè auditum fuerit priùs. Quàm immani odio Satan in homines pios feratur, & qua ſæuitia in eos ſæpè graſſetur; quos abripere ſecum in æterna ſupplicia non poteſt, multans & contundens plagis.

plagis, trahens ac raptans violenter, geſta Sanctorum paſſim produnt; Antonij præſertim à S. Athanaſio, & Hilarionis à S. Hieronymo conſignata. Nec mirum, qui eorum quibus amicus adeſt, adeò truculenter agitat corpora, in Sanctos Dei quos habet exoſos, violentiam, cum ſinitur, exerceat. Deſcribens Cyrillus Hieroſolymitanus * afflatorum, à Dæmone enthuſiaſmos, (quorum ſpecimina in Montano eiúſque prophetidibus Maximilla & Priſcilla præmiſerat;) quomodò in eis afficerentur horum Satanæ adminiſtrorum corpora, his paucis exponit. [Sæuiſſimus illius aduentus, grauiſſimus ſenſus, tenebroſa mens efficitur, & inſultus iniquus, & rapina poſſeſſionis alienæ. Corpore enim alieno, tanquam proprio, vtitur violenter, membris alienis ſtantem iactitat, & alieno inſtrumento aſtantes acclamat. Miniſter enim eſt illius qui cecidit de cœlo. Deprauat linguam, torquet labia, ſpumam pro verbis fundit, obtenebratur homo; apertus eſt oculus, & non videt per eum anima. Gemit homo tremens, ante mortem miſerrimus. Verè hoſtes ſunt hominum Dæmones, turpiter illis abutentes, & abſque miſericordia.] Non agit Cyrillus de energumeniſmo, quo plenum ius in corpora miſerorum exercet Satan; tanta plerunque ferocia, vt vel nuda lectio horripilationem moueat. Exemplis abundant Acta Sanctorum, nominatim S. Hilarionis: nec pauca addenſauit Thyræus. Et verò non ſecus ac Panthera (vt diſſerit S. Baſilius *) præ hominis odio, oblatam eius imaginem conſcerpit; furit in Dei imaginem, & in ea Deum inſequitur, truculentus Dei ſimul ac hominum aduerſarius. Sermo igitur non eſt S. Cyrillo, de arreptiuis, ſed de afflatis; ad quos Satan, velut ad ſua lecta organa, amicus venit. Et tamen tanto impetu corpora illorum agitat, vt inde S. Cyrillus, differentiam diuini Spiritus pios Prophetas mouentis, & tetri Dæmonis vates ſuos

* *Catech.* 26.

* *Hom.* 10. *in Hexaemer. & homil. in aliquot Scripturæ locos.*

Digitized by Google

agitantis, repetat, aſtipulante Chryſoſtomo †, Quid igitur facere cenſendus eſt, cum licet? (eſt enim cetus, & mare circumdatum præfixis à Deo terminis, vt S. Gregorius * philoſophatur:) Quid inquam in Sanctorum corpora furoris ac impetus exercere eſt exiſtimandus, cum in Sanctos, non ea tantùm generali ratione concitetur, quod ſint diuina artefacta, & naturales imagines; (quod habent impij quoque homines, & ipſi dæmones:) ſed ea peculiariter ex cauſa in illos efferueſcat, quod ſint Dei, quem execratur, in paucis chari. Expromitúrque (vt ſic dicam) fœx dæmoniaci odij in Sanctorum corpora, quod hæc ſint vaſa fictilia, in quibus diuinus theſaurus reconditur, vt ſublimitas ſit virtutis Dei & non ex ipſis. Itaque ſpiritualia nequitiæ, quàm inglorium ſibi ac turpe ducunt, per adeò vilia arma ſuperari, tam aduersùs ea exardeſcunt ac frendent.

† *Hom. 29. in 1. Cor. & homil. 44. in Matth.*
* *Lib. 8. mor. c. 16.*

XXXI. *Dira Cæſaris flagellatio à Satana.*

Ex hoc vſu ſuo, furens in Cæſarem Satan, cum aliàs non infrequenter in eius externum hominem efferbuit, tum aliquando in rabiei ſuæ argumentum, verberum grandinem, decuſſit, atrocitate tanta, vt pro mortuo iacentem reliquerit: confeciſſétque haud dubiè, niſi diuinum interdictum de non perdenda anima, nec ad vitæ profligationem pertingendi, interceſſiſſet. Quod enim ſapienter de more conſiderauit S. Gregorius †, circa illud Iobi, ***ſimul venerunt latrones eius, & fecerunt ſibi viam per me***; Dæmones ita ſunt latrones, rebus noſtris ac corporibus ſimul & animabus inſidiantes, vt non ſinantur pro arbitrio furere; ſed à Deo ita permittantur peruerſa qua flagrant nocendi, voluntate abuti, vt certos denique nocendi fines illis ponat, quos prætergredi, vt maximè velint, non poſſint. Vnde ***latrones Dei*** appellatos, à voluntate Dei, graſſationem in Sanctos permittente intra certos fines, interpretatus eſt S. Gregorius *. Qui

† *Lib. 4. mor. c. 21.*
* *Lib. 32. mor. c. 21.*

Digitized by Google

alibi, hoc eſſe ait, quod de Behemotho legitur, *qui fecit eum, replicabit gladium eius.* Si enim legit S. D. & *replicationem* exponit, reductionem gladij in ſemetipſum, ita vt cogatur ſuam in ſemetipſo malitiam concoquere, nec ſinatur ad vota furere. In quam rem vberrimè quoque idem S. Gregorius †, tractans iuſſum diuinum, de Iobi anima (id eſt vita) inter vexationes permiſſas, retinenda; & benè etiam S. Auguſtinus *, atque Caſſianus †; qui ſpecialiter admonet, poteſtatem in viros pios Satanæ permiſſam, non niſi ad eorum probationem & illuſtriorem coronam cedere.

† *Lib. 1. mor. à c. 9.*
* *Lib. 2. contra aduerſ. cap. vltimo.*
† *Coll. 7. cap. 22.*

XXXII. *Omnigeni morbi Cæſaris, velut noui Iobi, immiſſiones per Angelos malos.*

Non ibi ſtetit Satanæ furor in corpus Cæſaris. Non adeò breui expleuit iras. Pluſquàm ſuſpicione tangor, morbos tam multos, tanto tempore, tantáque acritudine in Cæſaris corpus graſſatos, immiſſiones per Angelos malos, magna ſaltem ex parte fuiſſe. Argumentum duco; ex eo quod ſtimulo carnis, & colaphizationi per Angelum Satanæ; cum poſt annos demum ſeptem ſuprà viginti reſidere cœpit; ſuffecta confeſtim eſt immanis vis dolorum, qui in corpus emaciatum, veluti rupto muro, ſubito impetu irruerunt; auctiores ſubinde & acerbiores, qua proportione, moleſtia à ſtimulo carnis, & Satanica colaphizatione decreſcebat. Sicut ſanctum Iobum, cum ad fimetum, fractus malis, deiectus eſt, defecit tentatio, vt obſeruauit S. Paulinus *. Hoc quis non videt, haud-quaquam redolere exortum ægritudinum, à naturali intemperie; ſed ad cauſam ex intelligentia operantem, eſſe referendum: ad Satanam inquam, cui ſuaue eſt, in Dei plaſticem virus odij quo in ipſum Deum fruſtra ſuffunditur, exercere; id quod ſacra Iobi docet hiſtoria. Vix enim fuiſſe genus corporeæ ægritudinis ſæuum ac horridum, quod in Iobi corpus non ſit ab hoc hoſte deuocatum, eruit ex ſacro contextu, præſtans in paucis Interpres Pineda.

* *Epiſt. 10.*

Iobo aut noſtri, haud ſecus factum. Securus in hanc

Cæſaris

Cæſaris appellationem prorumpo. Quidni enim, quando Synodus Chalcedonenſis, eíque inhærens Facundus Hermianenſis *, S. Flauianum quia innocens oppreſſus eſt, SVORVM TEMPORVM SECVNDVM ABELEM, indigetandum cenſuit; Cæſarem, hominem Iobo perſimilem, & in oſtenſionem diuini roboris ac perfectæ patientiæ exemplar à Deo poſitum, noſtrorum temporum IOBI SECVNDI appellatione, inſignire liceat? Nec deeſſe quo Cæſar Iobum ſuperarit, poſſum oſtendere, non modò quoad ignita tela, & quoddam veluti viuicomburium, cui Iob obnoxius fuiſſe non legitur; Cæſarem autem pertinaciſſimè diuexauit; ſed etiam quoad perpeſſiones corpori infixas; cum qui carnis ſtimulus dicitur, proximè ac ſecundùm ſe conſideratus, animo inſideat. Superauit igitur in his quoque ægritudinibus Iobum aliqua ex parte Cæſar; ſecundus primum, vt proximè monſtrabo. Et verò par fuit, legis Euangelicæ Iobum, ſic præ illo anteriore ſecundas tenere temporis, vt aliquod etiam præ illo exhiberet ſpecimen auctioris fortitudinis, penes multipliciores corporis plagas, & diffuſiora tolerandi argumenta. Quot corporis partes in Cæſare, tot tormenta; præter ea quæ corpus vniuerſum torquebant. Nam febrire, & toto corpore quaſi per viuicomburium deflagrare, propè aſſiduum Cæſari fuit. Nec is ardor humores noxios exſugebat, prohibens inferre reliquo corpori vaſtitatem. Somnus, Tertulliano * *Medicus laborum, redintegrator virium*, Iſidoro Peluſiotæ † *portus naturæ*, adeò illi erat modicus, vt poſſet nullus videri: cum propè iugi inſomnia laboraret, nec vltra horæ ſpatium, ſomnum diffunderet. Caput quæ Regia eſt hominis, veluti clauis aut ſudibus transfigi, præ doloris acerbitate videbatur. Salſus humor ac ignitæ acrimoniæ in oculos ſubiens, adeò illam æquè tenerrimam ac pretioſiſſimam corporis partem fodicabat, vt ſubula

† *Lib.* 12. *c.* 3.

* *Lib. de anima cap.* 43.

† *Lib.* 3. *Epiſt.* 199.

Digitized by Google

pertundi videretur. Guſtum omnem ac ſaporis ſenſum, exterminabat ſtomachi deprauatio. Linguæ velut in clibano toſtæ, ſupra carbonem denigratio, labefactatam guſtandi vim ea maximè parte vigentem, manifeſtabat. Itaque quod de D. Bernardo eſt proditum, cibi vſus erat Cæſari pro tormento. Lumbifragium ſubiiſſe videri poteſt, adeò illi renes malè afficiebantur, iugéſque & præacutos inferebant dolores. Neruos & articulos corporis vniuerſi, ſed artuum præſertim, viua mors depaſcebatur. Podagram dico, ex Caſſiodoro *, qui in Theodachadi Regis perſona, ſcribens ad Vinſitadum Comitem podagra laborantem, cui profectio indulgebatur ad aquas Bornicias, ſalutares huic ſpecialiter paſſioni, ita excurrit in dolorum acerbitatem ex podagra exiſtentem, vt quàm malè hinc afficeretur corpore Cæſar, intelligi etiam à non expertis queat. [Tyrannis (inquit) grauiſſimæ calamitatis, quæ miro modo membra viuentia infuſione pœnalis humoris cogit areſcere, nodóſque mobiles replet marmoreo tumore creſcentes, cum norit alia cuncta vacuare iuncturæ. Petit concauas lacunas, vbi paluſtri ſtatione pigreſcens, ſaxa perficit de liquore; & quæ ad decorem inflexionis natura laxauerat, in turpiſſimum rigorem ſoliditate peregrina conſtringit. Hæc paſſio inſanabilis, & ſanitas paſſibilis, ligat ſolutos, contrahit neruos, & decreſcere facit corpora, quæ nulla ſunt mutilatione truncata. Conſtantibus membris, proceritatis menſura perit: & minor cernitur, cui nihil ſubductum eſſe ſentitur: ſubtrahuntur ſuperſtiti miniſteria membrorum: corpus viuum eſt, nec mouetur, & inter inſenſibilia redactum, iam nòn proprio voto, ſed motu fertur alieno. Hæc viua mors, ſupra omnia tormenta.] Hanc humani generis, (nomenclatore ibidem Caſſiodore) debellatricem, quam non edomat iuge decennium, non mille potionum mollit introitus, Cæſar paſſus

* *Lib.* 10. *Epiſt.* 29.

Digitized by Google

ſus eſt, infeſtiſſimam. Ac perinde atque necdum ſatis attritum vaſtatúmve tot ægritudinibus corpus eſſet, hydrope inſuper vtriculario, miſerè diſcruciatus eſt Cæſar; nec rabidam ſitim qua ex diffuſo per corpus ſalſuginoſo humore laborabat, leuari vllius remedij admotione, vel potius rigatione fas fuit. Quanquam non erat id huic ægritudini peculiare. Exacerbabantur enim potiùs, quàm leuabantur, adhibitis remediis quęcunque Cæſaris ægritudines; facilè vt agnoſceres, non à noxiorum humorum malignitate quam vis malagmatum mitigaret, ſed ab intelligente cauſa, alexipharmacorum efficacitatem obtundente, dimanare vexationem, humanæ medicationi illudentem.

XXXIII. *Cæſar ſupra Iobum, cœcitate mulctatus, & hoc quantū.* ** Orat. 36.*

Extrema corporis calamitatum, cœcitas, vi acerrimi humoris viſum ſenſim exedentis, Cæſarem occupauit, hac ex parte ſuperiorem Iobo, cui viſus ſuperſtes fuit. Calamitatem dico corporis, cœcitatem; & quidem extremam ac ſummam. Baſilius Seleuciæ * iudex eſto. [Singularum (inquit) corporis partium, noxa, communi moleſta eſt: oculorum verò priuatio, vitam facit minimè vitalem. Nam ſi pedes affecti fuerint, corpori curſus adimitur; oculi interim ſuo aſpectu dolorem leuant. Etſi morbo impediantur, amicos oculus exorat, ad ſubſidium trahens. Etſi aures virtute ſua deſtituantur, hîc oculus nutibus neceſſitatem ſolabitur. Extincto autem oculo, ſenſuum colligatio vniuerſa commoritur, inertia corpus impeditur, pedes curſum negant, oculum ducem repoſcentes, manus artes excutiunt ſimul cum oculo excœcatæ; auris, præſentem, ſi tacet, nequit iudicare; lingua loquitur, noſſe non valens cui loquatur. Huic ſol aſtris fruſtra ſtipatus prælucear. Luna tædis illuſtrans noctem, hunc à caligine liberare non valet, non purpuraſcens, vndiſque ridens mare, non tellus pratis & floribus germinans, vernîſque coronata gratiis, iucunditatem affert vllam: ſed eſt

contrectatio quædam, vita ſic condemnata, vita nocte vnâ commenſa, mundus inuiſibilis, artificij mundani pulchritudo ipſi incognita. Quod enim ſol in mundo, hoc oculus in corpore. Propterea quoque Chriſtus Dominus clamabat; *Lucerna corporis est oculus: ſi oculus tuus fuerit lucidus, totum corpus tuum, lucidum erit.*]

a 1. Iulij ſub Actor. finem.
b Orat. 16.
Hæc tanta cæcitatis acerbitas, ſupra modum emolliebat B. Simeonem Salum, vt eſt in eius Actis. *a* Nam cum omnes egentes ac mendicos curari ſeriò vellet, minimè tamen omnium, patiebatur deſpici cœcos. In quo videtur à Gregorio Theologo diſcrepaſſe, qui omnium maximè miſerebatur leproſorum. Reuera tamen conſentiunt Simeon Salus & Theologus. Nam hic quoque, omnium miſerrimos cenſuit cœcos, quibus annumerat leproſos, ob exeſos, vi lepræ oculos, & inductam cœcitatem. Cum enim dixiſſet, deficere leproſos & vocem, & manus, & pedes, ob omnium huiuſmodi partium oblæſionem ſubdit; [atque quod malorum omnium acerbiſſimum eſt; leuiſſimum eſſe iudicantes, oculiſque duntaxat gratiam habentes, quod ipſorum labem minimè videant.] Elias *c* hoc *malorum omnium acerbiſſimum* interpretatur cœcitatem, eatenus tantùm leproſis commodam, quod ſuum deterrimum ſtatum non videant. Itaque conſentiunt Theologus ac Simeon; qui addebat præ tanta calamitatum mole patienter excepta, pleroſque cœcorum nitere perinde ac ſoles. Poſſumus quoque, cœcitatis calamitatem agnoſcere, ex eo quod ſubiicio. Miſeri aliqui parentes referente S. Chryſoſtomo, *d* cum non poſſent aliter ad miſericordiã flectere diuites quos eleemoſinum rogabant, nudos filios ac rigentes, & toto contremiſcentes corpore exhibebant palam. Alij prodibant mandentes calceos detritos, alij capiti acutos clauos infigebant, alij per ipſum gelu nudo corpore volutabantur; tam miſerabile præbentes ſpectaculum, vt flecterent ad commi-

c Ad eum locum.
d Hom. 2. in 1. Cor.

mi

miſerationem. Sed quod maximè amplificat S. Chryſoſtomus, eſt quod aliqui filios ſuos cœcarent. [Dicam (inquit) quod longè horribilius eſt, quod nonnulli ſuos cæcare filios, ætatis florem agentes coacti ſunt, vt in ſtupiditatem noſtram inueherent. Si quidem cum ſenſu viſus fruẽtes, & nudi circummendicantes, neque ætate, neque calamitate, inhumanos atq; in miſericordes mouerent, tantis malis aliam addiderunt calamitatem & quidem maiorem: Et vt famem lenirent, leuius forè arbitrati ſunt, hoc communi lumine, & ſolaribus radiis omni humano generi conceſſis priuari; quàm perpetuò cum fame pugnare.]

Notandum illud quoque, in hanc rem, tanquam valdè opportunum. Mulctam grauium criminoſorum, aut eorum quos egregiè mulctatos vellent, iam olim fuiſſe cœcitatem, praxis antiqua demonſtrat. Non allego cœcitatem infamium Sodomitarum ad fores iuſti. Quamvis enim in diuina ipſa ſcriptura † dicantur percuſſi cœcitate, tamen fuit tantùm ἀορασία, qua oſtia ſiue domus Lothi, ſiue ſuarum domorum, videre nequibant, qui aliena perfringere tentabant: cæterorum viſione non prohibebantur, vt ad illud caput Geneſeos expendit Delrio *, éſtque SS. Ambroſij, Chryſoſtomi, & Auguſtini ſententia. Itaque adducendus potiùs eſt cœtus illè diuinatorum, quem à Deo cœcitate percuſſum, ſcribit Ioan. Sariſberienſis *; Item Elimas ſiue Magus, quem Apoſtolus * percuſſit cœcitate, in pœnam ſceleris, quo Proconſulem auocare à fide tentabat. Theopompum Poëtam profanæ tragœdiæ aliquid è ſacris libris admiſcentem, fuiſſe cœcatum; ſed pœnitentem recuperaſſe viſum, Ioſephus * prodit. Senſus item Ethnicorum fuit, Steſichorum, quod Helenæ maledixiſſet, ab illa (vt volebant) Dea; in Helenam, vel Selenam Simonis Magi denique recorporata, cœcitate percuſſum fuiſſe, donec recantans quæ dixerat, relumi-

nare

† *Geneſ. 19. & ſap. vltimo.*

* *Ad illud c. 19.*

† *L. 2. polyc. c. 28.*

* *Act. 13.*

* *Lib. 12. antiq. c. 2.*

† *L. de anim. c. 34.*
* *Lib. 1. contra hær. c. 0.*
† *Lib. 3. Semeſ. c. 17.*
a L. d. Nabut. c. 1.
b Lib. 1.
c Iamb. 16.
d Hom. 35. in 1. ad Cor.
e L. 2. ep. 146.
f Lib. de glor. Conf. c. 62.
g Cap. 78.
h Cap. 77.

naretur: vt loquitur Tertullianus † qui profecit ex S. Irenæo * eandem fabulam referente. Quæ crimina habebantur apud veteres grauiſſima, libido perpetrata; diſpalatum armentum ex quo bouis abactio captaretur, ſi eius ſecuta dilaniatio, à feris fuiſſet; frumenti ex horreo furtiua exportatio, cœcitate plectebantur, vt monſtrat Petrus Faber. † Inter ſcelera palmaria meritò cuique recenſeri poteſt ſpoliatio cadaueris. Olim quippe viſus ferebat pretioſa veſte contegere mortuorum corpora, vt eſt apud Hieronymum ad calcem vitæ Pauli Thebæi, qui meritò hoc explodit, vt etiam S. Ambroſius. Quia tamen pretioſa veſte contegebantur, patebant prædationi, & inde contigiſſe vt veſtes mortuorum, crebris foraminulis pertunderentur vt eſſent raptoribus inutiles, notauit autor commentariorum in Iobum Origeni adſcriptorũ. *b* Ea ergo mortui ſpoliatio immane ſcelus eſt ab auaritia profectum, in quam propterea occaſione tam tetri fœtus conclamant Nazianzenus *c* Chryſoſtomus *d* & Iſidorus Peluſiota. Hoc peccati monſtrum cum aliquando aliis modis ſit punitum, vt eſt apud Gregorium Turonenſem *f* in narratione de S. Helio Epiſcopo Lugdunenſi, & in prato ſpirit. *g* Aliquando tamen punitum eſt exoculatione: vt faſſus eſt in colloquio trium cœcorum cauſas ſuæ cœcationis exponentium, vnus apud Ioannem Moſchum in eodem opere. *h* Deniq; inter mortales quia tanti eſt regnare, tantúſque eſt affectus erga principatum, quantus erga ea quæ maximè ſunt cordi & ſollicitiſſimè ſeruantur cuiuſmodi eſt virginis cuſtodia; vt propterea paſſim in ſcriptura adhibeatur titulus ille, *virgo filia Sion.* vel *virgo filia Hieruſalem*; idcirco perfidia in principem, & crimen perduellionis, cœcatione tanquam pœna grauiſſima, ſæpè punitum legimus. Sic enim Bernardus Ludouici Imperatoris nepos, Hardradus Comes Carolo magno perfidus, Anſfrit Foroiu

roiulienſis Cuniberto rebellis, pro ſumma pœna oculis ſunt priuati.

Non eſſe habitam excœcationem ſupplicium atrox ob doloris in ea irroganda acerbitatem, facile eſt demonſtrare. Nam Dionyſium Siculum inductos in domum ſplendidam, & exquiſitè à ſole collucentem, extractos è caliginoſo loco, excœcare ſolitum quos vellet ſeuerè mulctatos, Theophilus Protoſpatarius in opere de hominis fabrica * obſeruauit. Sed & Manuëlem Comnenum, Veneto legato Henrico Dandulo infenſum, lamina aurea candente oculis obiecta, illum excœcaſſe, proditur in Venetorum hiſtoria. Conſtantinum filium, Irene Mater exoculauit, quod ipſi moleſtiam intuliſſet, & redactionem eius in ordinem, eſſet molitus. Ioannem item Laſcarim cognatum ſuum, Palæologus Imperator, referente in hiſtoria Pachymere, excœcauit, admotione ignitorum ob oculos, vt ea luce præſtinguerentur. Ex his artificioſis exoculationibus, patet, non tam eſſe quæſitam irrogationem acerbi doloris; ad quod potiùs oculos effodiſſent, vel pertudiſſent, vt factum eſt Leoni III. (proh ſcelus inaudirum) cum Romani cordibus ſuis exacti, excœcauerunt caput proprium, vt loquitur Alcuinus †, & tragicè deplorat Theodulfus *. Sigebertus res illius anni 799. attingens, cum ſuperpondio atrocitatis horrendæ; ſic narrat eam tragœdiam. [Leonem Papam, celebritatem Litaniæ maioris agentem, Romani capiunt, linguam ei, oculóſque euellunt. Cui voce, & viſu reddito diuinitùs, iterum oculos & linguam eruunt radicitus: qui de manu eorum erutus, ad Carolum fugit.] Oportuit, vt dira rabies iteratò exprompta eſt, ita diuinitùs iteratam vocis ac viſus reſtitutionem, quandoquidem in congreſſu cum Carolo oculis ac lingua valens, ab aliis refertur. En igitur cum immani cruciatu qui adhiberi reis prædictis potuiſſet effoſſos ac auulſos oculos.

* *Lib.* 4. ſub medium.

† *Epiſt.* 11.
* *Lib.* 3. *car.* 6.

Idem factum eſt pleriſque Martyribus apud Euſebium. Et potuiſſent quoque ſi excruciationem captaſſent †, calce aceto macerata oculos infercire, vt fecere Catholicis Donatiſtæ, referente S. Auguſtino* Apud Laonicum Chalcondylam, † noxij cœcati produntur, infuſione aceti feruentis in oculos. Sicque Regem Græcorum mandante Amurate, filium ſuum excœcaſſe teſtatur, cum is ad Sauzem Amuratis filium defeciſſet. An Sauzes qui ibidem iuſſu Patris Amurathis cœcatus refertur, ſimiliter cœcatus ſit, non exprimit Laonicus.

† *Lib.* 8. *hiſtor. c.* 24. *&* 27.
* *Lib.* 3. *contra Creſcon. c.* 42.
† *L.* 1. *pag.* 29.

Non igitur tam quærebant excœcati dolorem ex actuali plaga excœcationem irrogante, quàm grauiſſima mala conſequentia viſus ereptionem; etiamſi abſque læſionæ ſenſibili, grauem dolorem inferente patratam; ob ſuperexcellentis obiecti emphaſim, qua potentiùs & ſupra oculi captum reuerberata lux, aciem perſtringit oculorum. Quod ſpectans Democritus Abderites, cum lucis eum faſtidium cœpit, vt Laberius in Mimo quem inſcripſit *Rectorem*, Agellio laudatus cecinit,

--------Clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt poſſet ſplendore æreo: ita radiis
Solis, aciem effodit luminis.

Sicut vehementior ſonus, & odor valentior, ſenſiteria oblædit, vt notat Ariſtoteles †. Nec defuit qui lucis ſuperexcellentis efficacitatem, non ad viſus duntaxat cladem, ſed etiam ad vitæ ipſius profligationem ſat eſſe poſſe exiſtimaret. Sic enim Abulenſis & Gabriel Vaſques acceperunt illud Dei ad Moſem, *non videbit me homo, & viuet*, vt ſenſus ſit, claritatem in qua Deus appareret, (ſi eum apparere contingeret) tantam fore, vt & ſenſum videndi corrumperet; & vitæ ipſi exitium inferret. Sic igitur ſe exoculauit Democritus. Nec aliter

† *Lib. de ſomniis c.* 2.

aliter lucis vſura interclusa eſt iis quos in pœnam elucificatos referebam abſque acerba oculorum diuexatione, quæ potiùs declinabatur; ſed quæ ad ſummum cruciatum atque ſupplicium ſatis eſſe videbatur, leni ereptione viſiuæ facultatis. Ex quo æſtimare licet, quanta calamitas per cœcitatem inferatur.

XXXIV. *Ridiculi, cœcitatis laudatores.*

Scio, Aſclepiadem cœcitatis malum extenuaſſe, negantem aliquid ſibi ex cœcitate obtigiſſe incommodi; quin potiùs id commodi acceſſiſſe, quod vno eſſet puero comitatior. Sed & apud Tullium Epicurus Encomium panxit cœcitati; cui ipſe Tullius † ſuam ſymbolam adiunxit, monſtrans cœcitatem nullas ſolidas voluptates obſtruere, quarum ſedes eſt in anima, non in corpore; & viros referens inſignes, quos cœcitas nullis publicis aut priuatis officiis prohibuerat, Appium, C. Druſum, Cn. Aufidium, Diodorum Stoïcum, Democritum, Homerum, Tireſiam. Quanquam quoad Homerum, reclamat Ioannes Brodæus, *a* nec abſque ſuffragatoribus Herodoto, Pauſania, Tzetze; Et Martianus Capella idem videtur voluiſſe, Hominem vocans *cæcutientem*; Aliud eſt enim *cæcutire*, aliud *cæcum eſſe*. Plato cœcatum ab Helena, dixit, ioco potiùs, quàm vt ita ſentiret, homo qui Helenam neſſet, & quò eius vires porrigerentur, non ignoraret. Tertullianus *b* tamen qui *clauſos in totum Homericos oculos* pro *cæcis* dixit, Homeri cœcitati aſtipulatur. Itaque non mirum, cœcitatis encomiaſten, cœcis annumeraſſe Homerum. Inter Dornauij inopinabilia, non vnum eſt ſimile encomium cœcitatis, adiunctum laudationibus, ſtultitiæ, pediculi, caluitij, vmbræ, podagræ, febris quartanæ, ac ſimilium mercium, quibus digni ſint abundare, qui laudant: homines malè feriati, qui in abſonis illis argumentis ingenium deterere, ac tempus prodigere, in animum induxerint, otioſo prorsùs nec probando per ſapientes conſilio.

† *5. Tuſc. qq.*

a L. 5 miſcellan. c. 9.

b Lib. de pallio c. 2.

Digitized by Google

Aliud eſt, cœcum ſolari, & vt (iuxta adagium) neceſſitatem in virtutem vertat, adhortari; conquiſitis pleriſque à damnoſâ & in malum illecebroſâ lucis vſura rationibus. Hoc præſtitere cum laude viri ſapientiſſimi, & veteres & nuperi, quos inter S. Hieronymus * ſolans Abigaum & Caſtrutium cœcos, Raymundus Iordani ſolo nomine *Idiota*, in opere de oculo, Franciſcus Petrarcha in vtriuſque fortunæ remediis †, Erricus Puteanus, & alij Proferunt hi cùm quædam alia à cœcitate commoda, tum illud nominatim, in multa diffuſum, quod paucis perſtrinxit Saluianus *, vocans *lumen oculorum feneſtras mentium*: & hos dicens eſſe naturales cuniculos per quos in cor omnes improbæ cupiditates ſubeunt. Idem confirmant varij Patres qui illud Ieremiæ 9. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras*, tropologicè accipiunt de morte animæ per ſenſuum, ſed præſertim oculorum feneſtras ſubeunte, vt videre eſt apud SS. Ambroſium * atque Gregorium †. Quo eodem modo illud Ieremiæ Threno. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, quod ad vitæ cladem ex aſſiduo & vehementi fletu pertinet, non pauci ſenſui morali inſiſtentes, referunt ad exitium animæ ex oculorum licentia, quia iuxta adagium à S. Bernardo adductum, quod non videt oculus, cor non dolet.

*Epiſt. 32. & 33.

† cap. 9.

* Lib. 3. de prouid.

* Lib. de fuga ſeculi cap. 1.

† Lib. 21. mor. c. 2.

Vnus pro omnibus in hanc rem ſat eſſe poteſt S. Bonifacius *, qui Danielem Ventanæ ciuitatis apud Occidentales Saxones Epiſcopum; quem Beda †, & Othlonus * à ſanctitate & doctrina commendant, cœcum factum conſolans, hæc pauca, ſed efficaciſſima illi ſuggerit cœcitatis contractæ lenimenta. [Nuper reuelante Presbytero qui à veſtra præſentia ad Germaniam venit, corporalem orbitatem vobis contigiſſe cognoui. Sed vt vos Domine meliùs ſcitis, qui, vel per quem dixit, *quem Deus diligit, corripit*. Et Paulus

* Epiſt. 3.

† Lib. 5. c. 19. & 24.

* lib. 1. vitæ S. Bonif. c. 10.

Apoſto

Apoſtolus, *Quando infirmor, tunc potens ſum.* Et *virtus in infirmitate perficitur.* Et Pſalmographus. *Multæ tribulationes Iuſtorum.* Habes pater mi, (ſicut Antonius de Dydimo fertur dixiſſe,) oculos quibus poteſt Deus videri, & Angeli eius, & ſupernæ Ieruſalem glorioſa gaudia ſpeculari. Et propter hoc, de ſapientia & patientia tua confidens, credo quia hoc Deus ad perfectionem virtutum, & ad augmentum meritorum tibi dediſſet; & vt eò magis ſpiritalibus oculis ea conſpicias & deſideres, quæ præcipit & diligit Dominus: & eò minùs reſpicias vel concupiſcas quæ non amat, ſed maledixit Dominus. Quid enim ſunt iſto periculoſo tempore corporales oculi, niſi (vt ita dicam) maxima ex parte veraciter feneſtræ peccatorum, per quas aut peccata, aut peccantes aſpicimus: Aut quod peius eſt, ad nos ipſos flagitia, conſiderantes & concupientes attrahimus?] Ex hac doctrina, S. Seuerinus Abbas, Donum diſcipulum cœcultantem, viſus perſpicaciam expetentem, audire renuit; cum diceret, viſum ei internum eſſe potiorem debere, & per annos quadraginta reliquit ſollicitum magis animo videre quàm corpore, vt habent ſancti viri Acta.

Nec Ethnicos latuit hoc à cœcitate commodum. Seneca * enim inde cœcum ſolatur, quod in eo fons cupiditatum prauarum, cœcitatis beneficio ſit obſtructus. Præclarè quoque in hanc ſententiam Fabius †, agens pro cœco parricidij incuſato. [Facinus eſt, ſi cœcos habere non credimus, niſi neceſſitatis innocentiam. Prima eſt infirmitas cœcitatis, vt nolit. Fallitur, quiſquis hanc calamitatem, non animorum putat eſſe, ſed corporum. Totius hominis debilitas eſt, oculos perdidiſſe: Et ſi diligenter actus intuearis humanos, miniſteria luminum ſunt. Cœcus non iraſcitur, non odit, non concupiſcit. Et cum corpora noſtra vigorem de luminibus accipiant, pereunt cum ſuis vitia cauſis, Et

* *Lib. de remed. fortuit.*
† *Declã. 2.*

ad quid erumpant manus,cum proxima quæque tamdiu quærant, manus quæ ſua quoque miniſteria non explicant ? Audebit quicquam corpus illud, quod ad ſingulos ſibi videtur decidere motus ? Cui quicquid ante ſe eſt,donec exploretur, abruptum eſt ? Facinus admittet,in quo nihil ipſe facturus eſt,facinus quod totum credat alij ? *&c.* Oculi ſunt, oculi per quos paupertatem ferre non poſſumus;oculi tota noſtra luxuria. Hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant; mirantur,adamant,concupiſcunt. Faciliùs impleas animi ſarietatem. Quo, per fidem, diuitias iuueni, apud quem omnium rerum diuerſitas perit ? Circumdes licet hanc debilitatem,fulgore,diuitiis;cœco tamen tunc magis cuncta deſunt,cum contingerunt : nec inuenias debilitatem, cui magis cum paupertate conueniat.]

* *L. 10. c. 17.* Agnouit hoc in tot cœcitatis malis bonum, reſtinctionem cupiditatis cuiuſcunque,Democritus,quem vltrò ſe elucificaſſe proditum eſt ; (vt Laberianum verbum retineam ;) non quod malis benè eſſe ciuibus videre nollet, quæ fuit Laberij ad rem ſuam detorſio,vt Agellius pronunciauit ; nec vt quietiùs ac tranquilliùs commentationes animi ſui in naturæ rationibus contemplandis collocaret, ſi eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberaſſet, (quod ipſi Agellio viſum : & factum reipſa eſſe à Metrodoro, proditum eſt,) non ob hæc inquam ſe orbum voluit Democritus:ſed quod Tertullianus * notauit,vt modum ponere concupiſcentiæ cæteroqui infreni poſſet. Ex quo item fine,Tarpeiam mulierem Romanam, ne introeni concupiſcentiæ ſuccumberet,oculos ſibi erui voluiſſe,nec niſi pane etaqua victitaſſe, fabulatur creditus Auguſtinus * agens ad ſuos eremitas. Fallor, ni idipſum multo perfectiùs præſtiterunt è Chriſtiana ſchola cœci:quorum aliqui, vt Aquilinus Clodouæi Comes, petiere cœcari. Alij iam cœci, diuinitùs redonati vſu oculorum,

* *Cap. 46. Apolog.*

* *Serm. 47.*

Digitized by Google

rum, orarunt & exorarunt iteratam cœcitatem,vt Audomarus vel Othmarus, qui à S. Vedaſto cœcitate liberatus, poſt aliquantam beneficij vſuram , expertus quantum paci mentis & nitori animæ incommodarent patentes oculorum feneſtræ;vt denuò cœcaretur, flagrantiſſimè expetiit ; eſtque conſecutus.Id quod etiam ſimili euentu fecit pia cœca,cuius eſt in Actis S. Brigidæ † mentio. Hæc & ſimilia, de ſubmotis per cœcitatem quibuſdam malis,ad ſolatium & leuamen qualecunque eorum quibus hæc calamitas obtigerit , dicta agnoſco & verè & ſapienter.

† 1. Febr.

Vt autem non ſit viſus priuatio,ingens calamitas,jactet in ventum verba , cui vacauerit ſic ludere. Mihi certè perſuadebit nunquam.Et adſcribentur quantum arbitror,omnes ſapientes,de tanto Dei munere ſolidè pronunciantes. Æſtimare hoc licet,ex oculorum vſu ſupra quàm dici poteſt , opportuno , ac etiam neceſſario. Scitè de more Zeno Veronenſis *. [Oculorum Lenocinio mundus in flore eſt.] Hoc eſt dicere , iaceret ſitu obſitus & marceret mundus , iam non mundus,ſed abſque omni ſpecie ac flore , niſi oculi lenocinarentur eius venuſtati & elegantiæ. Explicatiùs id expreſſero ſi dixero , ſubductis oculis , fruſtra ſol, quem lychnum orbi conſtituit Deus,iuxta Chryſoſtomum †. Non eſt cœco diei & noctis diſcrimen ; cui nullus dies,ſed vna & perpetua nox eſt. Benè hîc nuper,ſexagenarius circiter , cœcus ; in quem duodeuicennem,inciderat cæcitatis calamitas,rogatus quot annos natus eſſet ; reſpondit ſibi ætatis annos eſſe duodeuiginti,& vnam noctem: ſignificãs,oculos vt eſt apud Plinium *, lucis vſu vitam diſtinguere à morte , ſéque ex quo videre gratam illam noctis diéique viciſſitudinem , ſibi periiſſe non potuerat cœcus factus ; atque adeò ceſſaſſe quod ad ipſum attinebat , *diei* denominationem ; fruſtra ſolem circumuolui , & depulſa

XXXV. *Eorundem cœcitatis Encomiaſtarum reuictio,ex ſummo vſu quo toti corpori eſt viſus.*

** Ser. 1. in Pſal. 120. in fine.*

† Serm. 12. in ad Epheſ.

** Lib. 11. c. 37.*

nocte

nocte diem reducere. Sibi diem æterna tenebrarum nocte eſſe damnatum. Nec illud ſuppetere mortis & reſurrectionis ſpecimen quod dictim omnibus proponitur, iudice Tertulliano †, cui [dies moritur in noctem, & tenebris vſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur. Sordent, ſilent, ſtupent cuncta; vbique iuſtitium eſt, quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur. Et tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra & tota, vniuerſo orbi reuiuiſcit, interficiens mortem ſuam noctem, reſcindens ſepulturam ſuam tenebras, hæres ſibimet exiſtens, donec & nox reuiuiſcat cum ſuo & illa ſuggeſtu. Redaccenduntur enim & ſtellarum radij quos matutina ſuccenſio extinxerat. Reducuntur & ſyderum abſentiæ, quas temporalis diſtinctio exemerat.] Et ſcilicet viciſſim denuò nocte intefecta, diei claritas reuiuiſcit, orbi vniuerſo, ſi cœcum demas; cui mors diei, perpetua eſt; & fruſtra ſolis has viciſſitudines procreans, circumactio; nox ei continuata perenniter, & quod luctuoſius eſt abſque redaccenſione extinctorum manè radiorum, abſque reductione abſentiæ ſyderum, quæ fruſtra cœco non fruituro reueniunt. Eidem fruſtra cœli ſpecies, fruſtra aſtrorum in eo prato luminoſi flores, (liceat vernantiſſimi ſcriptoris Baſilij Seleuciæ, ver dictionis huc transferre;) fruſtra hortorum amœnitas, fruſtra tam aptè diſpoſita, recta montium, collium flexa, porrecta camporum. Nulla in his per cœcitatem diuerſitas. Et poteſt leue malum, quódque inſulſiùs eſt, bonum Encomio dignum, videri, è quo tanta confuſio rerum omnium, tanta officiorum totius corporis & animæ oblæſio exiſtit? Rectè enim auditus proximè Fabius admonebat, hac calamitate, non corpus modò, ſed animum quoque, debilitari atque luxari: quod obiter ab eo tactum, non fuerit operoſum diſpicere.

† *Lib. de reſur. car. c. 12.*

Cor

Digitized by Google

Corporis ſanè oblæſionem, illud manifeſtè demonſtrat, quod cœcitas pedes quoque ipſos, detruncare videri poteſt, cum omnis propè progreſſio, cœcitate inhibeatur. [Quicquid occurrit, nequaquam euitare poteſt cœcitas, niſi offenſa; Vt ambulare, vt ingredi nos poſſimus, dies facit,] ait Fabius. * Quod ſi ingens malum cenſetur carcer, quia obſtat liberæ proceſſioni, quanto maius malum cœcitate multo arctiùs idem præſtante infertur? At carceris incommodum adeò durum eſt, vt grauiſſimi Theologi pœnam dæmonum carceratione ſola in igne, velint cōtineri. Caſſiodorus *a* carceris incommoda luculenter exprimit. Videndus item Scipio Canerochamus Epiſtola quæ inter Politiani Epiſtolas legitur. *b* Cœcum ergo carcere perpetuo concludi, & quidem tetriore ac duriore, quàm fuerit vel Tullianum, *c* vel Barathrum, *d* vel profundum maris, *e* aut Syracuſanæ Latumiæ; inde liquet, quod in ipſo diuino lexico, cœcitas carcerationem trucem ſonet. Id enim eſt quod 70. Iſaiæ 61. & ex eis S. Lucas c. 4. quod vulgatus habet captiuis indulgentiam & *clauſis apertionem*, vertunt *cæcis viſum*. Nam tametſi non nemo eam clauſuram accepit de vinctis ſpei, mancipatis carceri donec à Chriſto exſoluerentur: Tamen genuinè Forerius ac Maldonatus, *clauſos* illos quibus Chriſtus apertionem contulit, interpretantur cœcos, quorum oculi ſunt per Chriſtū aperti, ipſique exſoluti vinculis illis quæ memorat Sapiens cap. 17. agens de Ægyptiis quaſi cœcatis, & de meridie palpantibus. Ait enim, eos fuiſſe *vinculis tenebrarum & longæ noctis compeditos*. Et mox. *Vnâ enim catenâ tenebrarum erant omnes colligati*. Quo enim præ tenebris, & quaſi exoculatione progrederentur, non habebant. Hebræi cœcos vocant *Aſurium*, id eſt *clauſos*: Viſu autem pollentes, vocant *Pickuchim*. id eſt apertos; quod ex ſcripturis illuſtrat Toletus *g* vt perinde propterea apud eos ſit,

* *Declā*. 2.

a L. 5. ep. 21. & l. 11. in dialg. 40.

b Lib. 12.

c Faber. 2. ſemeſ. c. 7.

d Biſciola t. 2. ſubſec. l. 2. c. 14.

e Baro 20. ſept.

f Alex. 3. Gen. c. 5. Cœl. l. 1. c. 9.

g In c 4. Lucæ annot. 34.

clauſos aut *orcos* dicere, quia cœci perinde ac qui conclusi detinentur, expeditum progrediendi vſum non habēt. Nec ſecus afficiuntur quàm ſi pedibus deſtituerētur. [Aliæ corporis partes (ait Philo de viſus præſtātia differens *) ſuos vſus habent valdè neceſſarios, vt pedes ad ambulandum, & alia quæcunque peraguntur crurum miniſterio: manus ad operandum & dandum, accipiendúmque. At oculi, vt bonum quoddam publicum, & his & aliis partibus præſtant facultatem, perfungendi ſuis cuique officiis. Id ita eſſe, cœci teſtabuntur veriſſimè; qui reuera nec manus habent nec pedes: Et ideò vel à petulantibus, vel à miſerantibus, appellantur horum membrorum impotes.] Murci inquam, vel apodes.

* *Lib. de victimas offerent.* in fine.

XXXVI. *Fabrica oculorum in eum finem quàm concinna.*

Iam concinniſſimam illam diei noctíſque viciſſitudinem, quam ſapientes alibi † laudati, non poſſunt ſatis ſuſpicere, cœcitas tollit, reducens antiquum chaos, & inconditam quorumcunque obiectorum corporeorum confuſionem: ſtupidiſſimum deinceps & obtuſiſſimum ſenſuum omnium tactum per manus tentantem ſubſtituens excubitoribus totius corporis perſpicaciſſimis. Oculos dico, quorum in eum finem ſtructuram, artificij & diuinæ ſapientiæ refertiſſimam, mihi alibi * celebratam, nolo in hanc diſputationem ſuperuacua iteratione transferre; tametſi è Xenophonte † ex Socratis diſputationibus, Plinio *, & aliis multa addi poſſent. Sed nolo præteritam ibi, florulentam Aſterij Amaſeni orationem, à Photio † contractam in præſentia dimittere. [In oculo (inquit) exigui membri & partis circumſcriptione, omnipotentem variámque Dei ſapientiam licet videre, in qua tantum artis oſtenditur. Primùm quidem venuſtas quædam illi indita, & molliſſimus eſt & ſine carne, & (vt ita dicam) in delicato membro, ſoliditas eſt, & in molli orbe variis coloribus diſtinguitur. Media enim pars, nigra eſt, & illa non tota

† *In Scalis gradu 2. pag. 71.*
* *Gradu 11. à pag. 307.*
† *Lib. 1. pag. 725.*
* *Lib. 10. c. 37.*
† *Cod. 271.*

tota vnius ſpeciei, ſed variis circulis alligata eſt. Medium ipſum & centrum, profundum eſt, ambiens extrinſecùs deſinit in colorem flauum ex parte. Hunc extra, albedo ſplendida & lucida ambit; non ſolam habens albedinem, ſed in vitrea quadam radiantíque forma factam. Rubedo ad pupillam iacet, vt nigredini venuſtatem adderet. Ad hæc adeò pellucidus eſt & læuis in ſpiſſitudine, vt rerum vicinarum formas ſuſcipiat, & tanquam ſpeculum quoddam egregium, characteres repræſentet: & circuli medium ideò *κόρη*, hoc eſt *pupilla* vocatur, quia ſemper formam ex aduerſum videnti, humanam oſtendit. Homines enim ſe mutuò inſpicientes, mutua ſibi ſpecula fiunt. Quare oculus in creaturis, admiratione ſanè dignus eſt. Hic & Deum mihi interpretatur, omnem cognoſcens creaturam: & per ipſam, Creatorem oſtendit, & è viſibilibus, animæ inuiſibilia explicat. Per hunc, cùm alia multa intellexi, tùm denique lucis ſplendorem. Quodſi oculus non eſſet, ſine teſte creatura ſeneſceret, nemine vidente Dei ſapientiam, & virtutem in illa ſeruatam.]

Non potuit illuſtriùs ac breuiùs exornare.*

-----Globulum qui luminis intima ſeruans,
Intra folliculum teretem liquido interfuſo,
Sub vitrea nigri latet albus imagine puppi:
Qui veluti radix oculum ſubeunte medulla.
Fulcit, & humecto venarum fomite paſcit;
Dum parili fontes oculorum ſydere conſtant.

* *S. Paul. Natali S. Felicis.*

Concinnè *oculorum ſydera* vocat; ſicut è contrario ob analogiam, Sol & Luna, oculi cœleſtes à Chryſoſtomo & aliis denominantur, appoſitè ad inſinuandam venuſtatem, ac ſpeciem veluti radiantem oculorum viſu illuſtrium, in hominis vultu: quæ venuſtas, adiuncta vtilitati ad finem ſenſiteriis præfixum, opificem Deum decens, à S. Ambroſio, cum in aliis ſenſuum organis egregiè eſt animaduerſa, tum nominatim in oculis. Sic

Lib. de Noë & arca c.7.

enim diſſerit, arcæ Noëticæ partes ad corpus humanum accommodans, magnam partem inſiſtens Philonis Iudæi veſtigiis. [Vt reliquo corpori, menſuræ ſibi conuenientis ad gratiam decore quadraret caput hominis tanquam regale arcæ adiungeret; ex quo cum ſenſus omnes ad cæteras partes corporis transfunderentur, tum maximè oculi velut ſpeculatores & cuſtodes, naturæ appoſiti prouidentia, propè totum orbis noſtri ſtatum deſuper contuerentur; Ipſáque mens illic locata, (ſecundùm plurimorum ſententiam, & maximè Salomonis, qui ait, *Oculi ſapientis in capite eius*,) quaſi in aula imperiali virtutum conſilium ſibi contrahat; quo ſtipata comitatu, & ipſa munitior ſit, & tanquam ex edito quodam mundi, totius corporis regimen impertiat, reſponſa proferat; per quæ poſſimus nos ipſos non ſolùm retrò aſpicere, nec ſolùm quod ante pedes eſt, videre, ſed etiam cœli ipſius ſecreta, profundo obtutu ſpectare ſapientiæ. Ibi igitur ſumma noſtræ ſalutis, ibi gratia, inde cuſtodia, inde etiam pulchritudo toti corpori acquiritur; quæ primùm in vultu vernat. Decet enim pręſtantiorem eſſe aulæ regalis nitorẽ in qua ſicut vſus maior, ita ſplendor eſt. Namq; ſi ſpectes ſingula, quæ in hominis forma ad vſum aliquem compoſita videtur, vt oculi ad videndum, aures ad audiẽdum, nares ad odorãdum, os ad loquendum; ita viſus miniſtrant, & præſtant decorem. Quàm deformes ſunt vultus cæcorum? Et quid mirum, ſi vultus hominis abſque oculis deformis eſt, quando ipſum cœlum ſine ſole, non habet ſuum decorem? Triſtes ſine ſole, dies ducimus, noctes ſine luna, non placent. Ipſi enim ſunt quidam mundi oculi. Detrahe ſtellarum lumina, & quædam eſt in cælo ipſo, cæcitatis deformitas.] Liquet de concinnitate ac venuſtate quam ſupra vſum conciliant oculi, non æquiuocè dicti, quales ſunt cæcorum, ſed vigentes, & ſuo fulgentes lumine. Adeò fabrè ſtructum corpo

corporeum organum, & adeò ſapientiæ artíſque differtam oculi compactionem, perinde ac fruſtra factam, in nihilum recidere, quippè vſu ſuo vacuam, non poteſt non haberi luctuoſum, & conſentaneum commiſerationis potiùs quàm Encomij argumentum.

Quicquid Nuperus Theologus * pro præcellentia auditus ſupra viſum contendat apud Licetum ex aduerſo ſtantem; Eſt viſus inter corporeos ſenſus Rex, iudice Philone †: nec alium in corpore locum habens, quàm ſol in orbe terrarum, de Chryſoſtomi * ſententia; qui addit, ſtructum ei eſſe quaſi regale ſolium, in ſuperiore loco. Id quod celebrat quoque Iſidorus Peluſiota †. Idipſum ferunt illa Nyſſeni de oculo, quæ re uera cadunt in viſum, vel in oculum provt viſu inſtructum, non in oculum emortuum, nec niſi æquiuocè oculum. [Quid inter membra noſtra præſtantius eſt oculis? per quos nimirum fit lucis perceptio, quibus & amica & hoſtilia agnoſcimus, per quos ab alienis noſtra ſecernimus, qui nobis omnium operum Magiſtri ſunt & Doctores, nobiſcúmque nati ac inſeparabiles, expertis omnium errorum itineris duces, quorum denique ſitus ipſe, (collocatorum videlicet ſupra reliquorum ſenſuum organa,) præſtantiorem in vita nobis vſum horum eſſe demonſtrat.] Quanta verò eſt præcellentia & dignitas ſenſus videndi, aut (quod eodem recidit) oculorum viſus facultate inſtructorum; tanta eſt, per cœcitatem, qua viſus excluditur, corporis miſeria atque calamitas: quæ non eſt ad ſolos oculorum orbes admetienda, ſed ad corpus vniuerſum, cui ſi viſu rectore deſtituatur, iuſtitium omnium propè corporearum functionum indicitur.

** Albertus Companius apud Licetum, tit. . de quæſitis per Epiſt. c. 29.*
† Lib. de Abraham.
** Hom. 55. in Ioann.*
† Lib. 2. Epiſt. 112.

XXXVII. *Etiã animæ ad ſciemiã parandam neceſſarius.*

Tantúmne? Parum ſanè videri poſſet, intercludi corporea officia, niſi etiam in ſpirituales operationes refunderetur oblæſio. Inprimis luxatur cognitio rerum, quæ oculis maximè internunciis ad intellectum

viſus, & idcircò dilectiſſimus.

** 1. Met. cap. 1.*

pertingit. Quæ cauſa eſt, tantæ cuique pretioſitatis ſenſus videndi, iudice Ariſtotele *, cuius hæc eſt oratio. [Remota vtilitate, ipſi per ſe ſenſus chari ſunt; is maximè qui fit per oculos. Non enim vt agamus ſolùm, ſed nihil etiam acturi, ipſum videre, omnibus (vt ita dicam, aliis anteponimus. Cauſa verò eſt, quod hic ſenſus ex omnibus, maximam nobis rerum cognitionem afferat, multáſque differentias oſtendat.] Videſis hæc illuſtrantes atque firmantes, Suarem † atque Fonſecam *. Pretioſitatem verò oculorum ab Ariſtotele tactam, & communis loquendi vſus agnoſcit, & diuina oracula confirmant. Rem enim quam ſummo in pretio eſſe, ac impenſiſſimè diligi ſignificatum volumus, vt pupillam oculi, (quæ intima viſus ſedes & videndi officina eſt,) charam eſſe dicimus. Prophani Scriptores, non habent quo vim amoris ardentiſſimi exprimant, niſi comparatione facta, cum amore quo oculos ſuos quis proſequitur. Catullo Poëtarum tenerrimo ac venuſtiſſimo, id frequens. Sic enim in luctu paſſeris.

† Diſp. 1. Metaph. ſect. 6. an. 10.

** 1. Metaph. c. 1. q. 3. ſect. 2.*

Quem plus illa oculis ſuis amabat.
Nam mellitus erat.

Idem ad Quirinum.

Aut aliud, ſi quid charius eſt oculis.

Et ad Licinium Caluum.

Ni te plus oculis amarem,
Iucundiſſime Calue.

Plauto, *oculitùs amare*, eſt ſingulariter amare ac deperire. Idem in Cornicularia Comœdia quæ intercidit, ſed à Grammaticis ſubinde allegatur, *oculiſſimum hominem* dixit, pro *chariſſimo & acceptiſſimo.* In Curculione, *oſtium* vocat *oculiſſimum*; id eſt interprete Sexto Pompeio, peramatum. In Truculento, *oculum*, rurſúſque *ocellum alicuius* nominat, qui ab eo impenſiſſimè diligeretur. Terentius ac Tullius *, *geſtare* aut *ferre in*

** De Aruſ.*

in oculis, dicunt, cum amorem incenſiſſimum ſignificant. Petronianus puer † inter iurandum contingit oculos, tanquam rem chariſſimam, cui ſupra omnia parcitum velit. Nec diuina Scriptura eum loquendi modum refugit. Nam & Dauid *cuſtodiri* ſe poſcit *vt pupillam oculi*; id eſt ſollicitiſſimè & accuratiſſimè. Et Moſes *cuſtoditum* à Deo populum ſuum dixit, *vt pupillam oculi*. Et *qui tangeret eos, tangere pupillam oculi ſui*, Deus ipſe eſt conteſtatus. Ponere ſuper aliquem oculos, in ſacro idiomate idem ſonat quod amare, & ex amore ferri ad benefaciendum; iuxta illud Siracidis. *Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius, & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Verè marcebat Iob in ſterquilinio, & Ioſeph in carceris pedore, Vterque amiſſis omnibus egebat recuperatione, deſtituti ambo erant commodis omnibus, nec niſi egeſtate locupletes. At reſpiciente eos benigno Dei oculo, extulerunt caput, & honorandi Dei luculentum argumentum erecti ac reſtituti præbuerunt. Quo loco aliiſque ſexcentis, *oculus Dei reſpiciens*, idem eſt quod Deus amans & fauens. Ipſum *videre Dei* eſt amare, ac fauere. Ezech. 16. Deus expoſito miſerrimo ſtatu in quo iacebat Ieruſalem, nullis in ortu ſuo officiis neceſſariis adiuta, ſic eam affatur. *Non pepercit ſuper te oculus, vt faceret tibi vnum de his, miſertus tui, ſed proiecta es ſuper faciem terræ.* Non fuerat qui miſeræ impenderet vel tantillam miſericordiam. Non ita Deus, qui proinde addit; *Tranſiui per te & vidi te, & ecce tempus tuum tempus amantium, & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam.* Vidit eam in tam tetro ſtatu Deus, & ipſa eius viſio fuit omnis boni in eam corriuatio, & omnis probri deterſio. Adagium vetus apud Hebræos memoratum Geneſeos 22. *Dominus videbit*, idem ſonat

reſponſ. & Philip. 6.

† in ſatyrico.

Cap. 11.

Digitized by Google

nat quod Dominus amore ductus opitulabitur & fauebit,quo maximè tempore res deſperata videri poterat: id quod Delrio in Adagiis pleniùs enucleat. Metonymicè *oculum eorum in vniuerſa terra* dixit Zacharias,rem cupidiſſimè ab omnibus in terra deſideratam, & in quam omnes mortales afficiuntur ſupra modum. Hebræis enim familiare eſt,obiectum viſus,nomine ipſius oculi donare. Vnde Leuit. 13. vbi nos habemus, *cum viderit non creuiſſe lepram*, Hebræa ad literam habent; *ſi lepra non mutauerit ſuum oculum.* Et Num. 11. vbi nos legimus, *erat man,coloris bdelly.* In Hebræo eſt, *habebat man,oculum bdellÿ.* Similiter ergo *oculus eorum in vniuerſa terra*, dictus eſt,pro re viſa, id eſt flagrantiſſimè concupita, quam habent omnes chariſſimam & pretioſiſſimam, omníque ſtudio & cura tutantur. Idque ſpectantes iidem Hebræi,pupillam vocant *bath*, id eſt *filiam Virginem*, cui impenditur diligentiſſima cuſtodia. Tantum oculorum & viſus illis implantati pretium, iure Ariſtoteles ad amorem ſcientiæ, cuius oculi ſunt in nobis veluti elices,referebat.

Adag.35.

XXXVIII. *Neceſſarius item animæ,corporis viſus, ad affectus, amoris præſertim ac gaudij.*

Et quia cognitionem ſequitur amor, & cæterorum affectuum chorus,habent quoque ipſi hunc veluti fontem, quo obſtructo exareſcunt. Quæ cauſa item eſt ſummi pretij viſiuæ facultatis, & illius curæ exquiſitæ, qua eius incolumitati conſulitur. Amor certè, qui (vt Plato loquebatur) Muſicam docet, id eſt Interprete Plutarcho *, omnium affectuum Auriga eſt, omnéſque commouet, pulchritudinis oculis hauſtæ partus eſt,vnde illud Aſcræi Poëtæ; *ſtillat ex oculis amor.* Scitè in eam ſententiam Petrus Cellenſis †, ſcribens ad ignotum de facie hominem, cæteroqui optimum, & amore dignum; fatetur ſe erga eum ex fideli & certa teſtium omni exceptione maiorum relatione affici;ſed cupidiùs faciem viſurum;[vt cuius amor viuit in animo,eius præſentia ſcintillaret in oculo. Applicat enim

* 1. *Symp. q.5.*
† *Epiſt.51.*

calo

calorem latentem in remotis,admixta facula ſcintillantibus venis. Mutuò namque ſeſe ita fouent,vt vterque ignis alium ad ſe trahendo confortet & confortetur: quatenus interior eo magis ferueat,quo exterior ei appropinquat; & exterior eò clariùs luceat, quo ei interior vehementiùs participat. Huius exempli ſimilitudine,quem amas abſentem, incipis ſuperamare præſentem.Creſcit enim in oculis amor.]

Nec raró naſcitur ex oculis & eorum contuitu, amor. Nam & ſponſus * cor ſuum vulneratum in vno oculorum ſponſæ profitetur: Et piæ apud Moſchum Virgini, nec non alteri multo poſteriori, cui *Luciæ* nomen, eruendorum ex ſpeciali inſtinctu oculorum occaſionem ſubminiſtrauit, quod oculorum Virgineorum ſpecie capti proci, impuris ignibus deflagrarent. Viciſſim verò alienæ libidinis victima, cui duo erant riuales fratres Itali,Iulius atque Hippolitus; hauſto ex Iulij oculis amore, in eum ferebatur ardentiùs; quod cum ab ipſa reſciuiſſet Hippolitus, ad inuidiam, imò ad rabiem concupiſcens, ſcelus deſignauit horroris refertiſſimum; Fratris quippè in venatione intercepti oculos,ferina truculentia actus, effodi iuſſit, vt amicæ quod in fratre deperibat,ſubduceret; & amoris ignitabulum ſocij impatiens ſummoueret. Itaque minùs plenè à Petro Cellenſi dictum videtur,creſcere in oculis amorem, cum poſſet hunc ipſum eſſe primum amoris fontem dicere,id quod in Phædro Plato adhibito ſymbolo alarum animæ, interpoſito oculorum in pulchrum obtutu excitatarum,fusè proſequitur. Subdit ibidem Cellenſis de gaudij adiunctione ad amorem per oculos,quibus effici ait, vt amor qui priùs gaudij expers vel etiam tædij refertus erat, gaudium habeat adiunctum; quia quod concupiuit iam tenet & vſurpat oculis. Itaque ſicut amoris,ſic & gaudij fons,oculus & viſus; nec abs re Sanctus Tobias, cum cæcitate

* *Cant.* 4.

grauaretur, optatum inter ſalutem amicè dandam gaudium, abs ſe reiecit, illud conteſtatus, *quod gaudium mihi eſſe poteſt, qui lumen cœli,* id eſt ſolem, *non video?*

Nec aliter accipio quod in hæc verba apud Baruchum legitur, *diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcias ſimul vbi ſit longanimitas vitæ & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax.* In ſcripturis *pacem* ſonare fœlicitatem, fruſtra monerem. Inde enim eſt quod pſaltes turbabatur, pacem peccatorum videns: & alibi, fieri pacem in virtute, & abundantiam in turribus, id-eſt, omnis generis vbertatem ac fœlicitatem expoſcebat. Et ab eadem pace, Salomon dictus eſt *pacificus.* Sicut igitur *pax* in verbis allegatis ſonat fœlicitatem nullis obturbatam nubilis motuum aduerſorum, ita *lumen oculorum* paci illi adiunctum, idem eſt quod gaudium de poſſeſſione fœlicitatis, nullo mœrore temeratum. Quò recidit quod ad eum locum Maldonatus, cenſet *lumen oculorum* ſumi obiectiuè pro rebus proſperis, quæ ſunt gaudij materia; ſicut tenebræ pro infœlicibus euentibus. Vtrumque liquet ex Threno. 3. vbi dicitur, *adduxit in tenebras, & non in lucem.* Hoc dico eodem recidere, quia metonymicè objectum gaudij & mœroris pro his ipſis affectibus adhiberi, eſt frequentiſſimum. Gaudium ergò eſt lumen oculorum, quia inde maximè ſumit originem.

Chriſtus ipſe, totum corpus, lucidum fore dixit, (ſiue lætum & omnibus incedens gaudiis, iuxta *lucis* & *lucidi* notionem D. Gregorio * compertam;) ſi oculus ſimplex fuiſſet, nulla ſcilicet extranea admiſtione à videndi functione prohibitus. Viceuerſa autem, ſi oculus ob admiſtum humorem noxium, alióſve obices, vſu videndi impediatur, eáque facultas ab intus apparente obſtruatur, totum corpus erit tenebroſum: id eſt gaudij & voluptatis prorsùs expers. Admodùm verò beſtialem fuiſſe Antipatri cogitationem, qui ſortem

* *Lib. 5. mor. c. 1.*

eius

eius miſerantibus, & nullius participem lætitiæ vitam præ cœcitate qua laborabat, dolentibus; in contrarium oppoſuit, eſſe etiam noctis delicias. Hanc inquam cogitationem, hominis cœcitatem ſuam peruersè ſolantis, fuiſſe admodùm beſtialem, pronunciauit haud iniuria Cardanus †: inde argumentatus, quod illarum nocturnarum deliciarum ſenſus omnis, à priùs hauſta per oculos pulchritudine, manarit neceſſe eſt. Nam ex acceſſu ad marcidum ac putre ſilicernium, cuius nullam præduces in amore oculi renunciauerint ſpeciem, quæ poſſit voluptas exiſtere, ac non potiùs horror? Quare gaudium quoque, vt de amore præmittebam, ex oculis ſtillat. Nec difficile ſit, de metu, & reliquis affectibus idem demonſtrare, niſi citra longam ratiocinationem, facilè cuiuis eſſet id deprehendere.

† *Lib. de vtilit. ex Aduer. c. de cœcitate.*

XXXIX. *Aggrauatio cœci per iura humana, eum variis functionibus prohibentia.*

Perinde verò ac ſi non ſatis graue calamitatis pondus in cœcum natura ipſa, viſúſque excluſio impoſuiſſet, & coniurati venirent ad claſſica, in miſerum, venti omnes; acceſſit à iure humano ſuperpondium. Nam iure communi cœcus priuatur iure teſtificandi, in Actibus qui viſu percipiuntur, vt habet Sebaſtianus Medices *. Sed neque in Teſtamento admittitur in teſtem ex c. *ſi non ſpeciali* & l. *ſi vnus* c. de Teſtament. Non poteſt item cœcus eligi in prælatum ex c. *hinc etenim* diſt. 49. ſuffragante S. Thoma †. Quod ſi poſt factam electionem cœcatus fuerit, amittit ius proſequendi munus cœptum; V. G. viſitationem, vt fusè Megala *. Ægrè item admittitur cœcus ad eligendum, vt habet Sigiſm. à Bononia †. Ad hæc excluditur cœcus facultate condendi teſtamenti, niſi ſub conditionibus legis, *hæc conſultiſſima* C. *de Teſtam.* quæ multæ ſunt, vt fuſiùs expendunt Spino * & Vaſques †. Non poteſt cœcus accuſare, iuxta Angelum *. Poſtulare item non poteſt ex lib. 1 ff. *de poſtull.* Nec ius canonicum, quoad actus ſacros, agii mitiùs cum cœco. Quamvis enim ſi ordinatus

* *Tract. de fort. caſ. q. 6. n. 55.*
† *3. p. q. 82. art. 10. ad 3.*
* *l. 2. var. reſolut. in 183.*
† *De Elect. par. 2. c. 4. diſp. 83.*
* *De Teſtamentis gloſ. 7.*
† *Opuſc. de Teſt. c. 1. §. 5. n. 3.*

** De maleſ.V.*& ad quer.Titij.*n.*30.
† In 4.*d.*9.*q.*1.*art.*2.
** 3.p.q.*74.*art.*2.*dub.*4.*ad* 2.
*† L.*1.*de* 8.*n.*13.
** Lib.* 2.*c.*12.*n.*16.

natus ſit, validè conſecraret, & reipſa Tridenti
cœcum qui ex diſpẽſatione miſſas diceret, teſtatu
to †;tamen adeò difficilis eſt diſpenſatio ad conſe
dum , vt non defuerit qui poſſe eam diſpenſatio
concedi diffiteretur. Ita enim Nugnus *. Simpl
ſanè DD. paſſim tradunt , cœcum repelli à ſacr
Chriſtiano,ſicut olim repellebatur à cruento,ex I
21.quod S. Gregorius * indictum putat , ad ſigni
dum,peccatoris cœcitatem à Deo auertere. Ad lit
verò cœcus ex quocunq;demum myſtico fine ar
tur à ſacrificio : ſicut nunc inter nos lege Eccleſi
ægrè diſpenſabili,arcetur à ſacrificando ritu Chr
no. Nec ſi cœcus à natura,ſurdúſque ſit , admittit
celebrationem Sacramenti matrimonij ; vt Sanch
& Baſilius Poncius * agnoſcunt. Quod ſi cœc
parochus,non poteſt matrimonio conficiendo aſſi
niſi in adiunctis quæ poſſint moralem & huma
præſentiam inducere, qualem cœcus ex ſe non h
ret,prohibente cœcitate , ac internotionem perſ
rum morali præſentiæ neceſſariam intercludo
Alias ærumnarum acceſſiones à decretis humanis
cum grauantibus,apud Canonum legúmque inter
tes,expaſſas,prudens dimitto.

XL.
Fœx malorum cœci, priuatio lectionis ac ſcriptionis.
** gradu* 11.
*† Lib.*3.*de victor.verbi Dei cap.* 22. 23. & 24.
*** 18.*Ciuit. c.*39.& *q.* 69.*in Exod.*

Necdum fœx angorum cœcitatis eſt exinanita
metſi tam multis hactenus in eam eſt conclamat
Quod eſt in malis eius deterrimum, & vix vlli de
lignitate concedens,eripit cœcitas;lectionis ac ſcri
nis diuinum planè vſum,de quo multa in ſcalis à
bili creatura ad Deum *, cum de manibus in hum
corpore. ***Diuinum vſum*** vocaui , non tam vt Rup
† ſuffragarer;qui vſum literarum Deo immediato
tori tribuit,à quo Moſes primus acceperit ; (Hoc e
D. Auguſtino * aduerſatur ;) quàm vt ſignifica
diuino planè afflatu excogitatum eſſe vſum literar
quibus adhibitis,cum loco diſſitis,ac etiam eum ab

ctis tempore, nec futuris niſi poſt multa ſæcula, differimus manibus, vt eleganter dixit Gregorius Nyſſenus †. Id quod etiam concinnè ſuſpicit S. Ambroſius *. Sic tranſmittimus ad poſteros quoque, ſenſa noſtra; & animorum veluti reliquiæ ſuperſunt ſoluto in puluerem corpore. Quod voluit Themiſtius †, vocans libros, conditoria animorum, ſicut ſarcophagus eſt conditorium corporis. Quanta ergò calamitas eſt, non modò non poſſe agere cum abiunctis modico loco perſonis, ſecurè & nemine conſcio; (quem vſum præſtat Epiſtola exarata;) ſed etiam priuari vſu commercij cum poſteris per ſcriptionem; & cùm antegreſſis ætatem noſtram, per lectionem? Nullus fructus cœco, ex tot libris ingenioſiſſimè conſcriptis, animos autorum veluti condentibus. Fruſtra ſtructæ ac inſtructæ tot inſignes Bibliothecæ. Fruſtra tot excellentia ingenia ſudarunt libros conſcribendo; quantum ad cœcum per ſe ſpectatum attinet, nulli vſui futuros.

** Epiſt. 45. & 55.*

† Orat. 13.

Eſt igitur cœcitas, vt ex hactenus propoſitis liquidò perſpicitur, malum hominis grauiſſimum, ita vt quamvis pridem adhibita ſint verba & voces quibus is dolor vtcunque leuandus cenſeretur; tamen ex ſe, ſit ſine dubio acerbiſſimus, ac inter corporeos dolores facile princeps. Quare iure denominaſſe videor cœcitatem, *calamitatum*, quæ in corpus Cæſaris irruerunt, *extremam*: atque adeò cum qua nulla cæterarum, per ſe ſpectata, poſſit de acerbitate & grauitate contendere. Ita viſum nupero Poëtæ, qui ingenium exercens in deſcribenda Beliſarij calamitate, iuxta prodita de eo à pleriſque Latinis, Pontano, Volaterrano, Crinito, & aliis, faſtigium miſeriarum tanti ducis à triumphi tam multiplicis de ſubactis Perſis, Vandalis, Gotthis, Afris, Siculis, Hunnis repertati gloria, ad mendicitatem redacti, cõſtituit illatam cœcationem. Quanquam eam narrationem de

XLI. *Concluditur, iure cœcitatem dictam corporearum Cæſaris calamitatum extremam.*

Lib. 2. Ep. Heroum in V.

Lib.4. parer.c.24. Beliſario mendico & cœcato, Alciatus pro ſuo Iuſtiniano ſollicitus fabuloſitatis inſimulat: Fauétque ſilentium Procopij de ea Iuſtiniani in Ducem adeò benè meritum truculentia, cuius expreſſione Iuſtiniani infamia perfidè à Procopio captata, excreſcere immaniter potuiſſet. Nicolaus Alemanius Procopium ſequens, cœcationem & mendicationem Beliſarij diffitetur. Anceps hæret Baronius, & ante eum Ioannes Tzetzes, contentus varias de Beliſarij euerſione ſententias adducere. Vt vt ſit, ingenioſus ille Poëta, verticem miſeriarum immanentium Beliſario per verſatilem fortunæ rotam obtrito, ſtatuit irrogatam cœcationem, quaſi eo malo, nullum poſſit accidere ærumnoſius & acerbius. Idque planè fuit iudicium ferinorum quorundam ingeniorum, quæ in hoſtem quempiam exacerbata, nihil ſibi ad crudelitatem expromēdam cenſuere reliquum, poſt irrogatam cœcitatem, mortem miſeris negantes, tanquam ſucciſionem dolorum, quos exoculatio, viua mors, ac ſupra vulgarem mortem horrenda, perennes faceret. Sic Nabucodonoſor locutus cum Sedecia iudicium, vt Scriptura loquitur, ideſt extrema quæque ei decernens mala, præ indignatione excuſſi ab eo iugi, ac violatæ fidei, cum captiui Regis oculos nece paruulorum eius liberorum inceſtaſſet, ſuperſtitem excœcauit; nihil vltra habens quo crudelitatem ſuam paſceret, gratiúſque negata miſero morte, indignationi ſuæ per exoculationem litare exiſtimans, quàm ſi vna ſecuris impactione, dolores eius omnes ſuccideret. Idem fuit ſenſus Iuſtiniani Rinothmeti; ſic dicti, quod ob ſæuitiam & oppreſſionem truculentam ſubditorum, verſis in ſeditionem Conſtantinopolitanis, è ſolio exturbatus eſſet ac denaſatus. Mox verò in imperium reſtitutus, quos rebellium mitiùs habere voluit, quoties defluentis è narium vacuitate rheumatis, ſtillicidium manu detergeret, obtruncari mandauit, ad ſeptuaginta tria

In Notis Hiſtor. ad pag. 17.

anno 561. ibidem de 3.

4. Reg. cap. 25.

tria hominum millia, horrendæ crudelitatis ſpectaculo per varios cruciatus letho dedens. Queis verò infenſior erat, nec vna morte exſaturandam à ſe inexhauſtam vindictæ libidinem arbitrabatur; iis ac nominatim Callinico Patriarchæ, exoculationem decreuit: non habens in tantæ atrocitatis armamentario, quo feriret truculentius; nec ratus eſſe aſperiùs quippiam, quod ad eam ærumnarum molem, in vnius appellationis, ſed numeroſiſſimæ acerbitatis pœna adunatam, ſuperadderet. Idem denique fuit Baſilij Porphyrogeniti iudicium. Nam exacerbatus ferinum in modum aduerſùs quindecim hominum millia, non habuit quomodò omnes duriùs plecteret, quàm ſi omnes exocularet, vno per ſingulas centurias relicto monoculo, qui cœcatorum agmen ductaret.

Rectè ergo ſtatuebam, extremam corporearum calamitatum eſſe cœcitatem. Nec ſi aliqui ſancti, minoris fecere damnum cœcitatis, colligere inde licet, cœcitatem non eſſe adeò grauem calamitatem. Ita enim ſe geſſerunt ſancti illi, vel vt ſubducerent ſibi commoda viſus corporei, ſéque ea ratione ærumnis multis, cum lucro animæ & ſubtractione materiæ peccandi ſubiicerent; vel vt collectioni animæ conſulerent, aliáve pia ex cauſa ſuo loco ſignata. Quod ſcripſit Bartholomæus Fiſen in Floribus SS. Leodienſium 16. Martij, ad hanc rem facit. Aleys Scaremœcana, quæ quia luſca tantùm, in ſerie cœcorum ſanctorum prætierita eſt, lubens altero oculo caruit, vt Deus luce ſalutari colluſtraret Gulielmum Regem Romanorum. Eadem alterius oculi orbitatem lubens Deo obtulit, vt Regi Galliæ in Syria tunc bellanti, cœleſtem lucem exoraret. Potuere ergo alij, plenam orbitatem ex ſimili cauſa oculis ſuis depoſcere; tametſi non eos lateret, quanta calamitas per cœcitatem inferretur; idque iure haberi, ſummum inter corporis mala, vt aſſerebam.

Agmen

Digitized by Google

XLII. *Moles malorum Cæſaris, ex tot ſimul morbis, ad animæ moleſtias adiunctis.*

Agmen morborum, in afflictiſſimum Cæſaris corpus incurriſſe demonſtraui. Vnde ſuppetere facultas videtur, ad eius perpeſſiones, ſupra illas quas quilibet propè ſancti & ſanctæ Dei, pro gloriæ fodinis habuerunt, citra inuidiam efferendas. Ferè enim quilibet Sanctorum, cum vna, vel vt multùm, cum altera quoque ægritudine, conflictati leguntur. Iobum excipio, cum quo Cæſarem componebam. Cæteris qui ægritudinum toleratarum nomine celebrati ſunt, vnus (vt dixi) vel alter morbus, ad eam gloriam ſatis fuit. S. Gregorius Magnus, inſigne patientiæ decus, ex podagra, & ſtomacho malè affecto reportauit. Cœcitate multatos complures, mox annumerabo. Capite doluere S. Chryſoſtomus, & S. Hugo Gratianopolitanus. Hydropiſim ſenſere infeſtam, Benjaminus, Myrogenes, Petrus Caniſius. Alij quorum ſyllabum ſuo loco confeci, cum aliis morbis ſunt conflictati, ſinguli cum ſingulis; ita vt ad perfectum patientiæ exemplum, vnus quiſpiam, aut vnus & alter morbus fuerit ſatis. Cætera quippè valentes, cum ea ſingulari ægritudine colluctabantur. In Cæſarem denſa ſimul morborum agmina irruperunt. Nullum fuit corporis membrum, cui ſua defuerit dolorum acerbitas, ac patientiæ ſeges. Quod de homine generatim à Sene Coo dictum eſt, *Totum hominem morbum eſſe*, quia toto corpore eſt morbis obnoxius; eſt in Cæſare comprobatum ſingillatim. Vt habeat profectò in eo locum, ea S. Chryſoſtomi * admiratio, poſt expenſam Iobi patientiam, in confluge malorum quibus ſimul oppreſſus eſt, cum vel vnum eorum ad inſignem patientiæ gloriam, ſatis foret. [Quiſnam poterit talem calamitatem explicare? quis vel ferreus homo, vel adamas, tot mala pertulerit? Sanè eſt nemo Nam ſi horum quodlibet, intolerabile per ſe eſt, cogita cum ſimul vniuerſa coiuerunt, qualem excitauerunt tumultum.] Eadem mihi vſurpanda iure video, in tanta ægri

* *Hom. 5. de patientia Iobi.*

ægritudinum, corpus vnum miſerè conficientium multitudine. Qualiſnam verò exiſtat calamitatis cumulus, ſi ad corporis angores animæ ſimul moleſtias proximè explicatas adiungamus?

Quis vetet, tanta corpore, tanta animo perpeſſum Cæſarem, *viuum Martyrem* dicere? Donauit hoc nomine Caſſianus * probatos Monachos; [quos patientia atque diſtrictio, quâ tam deuotè in ea quam ſemel arripuerunt profeſſione perdurant, vt nunquam ſuas expleant voluntates, crucifixos huic mundo quotidie, viuóſque Martyres facit.] Victricium morti pro Chriſto aditæ ſubductum, eodem nomine inſignit S. Paulinus †. Nec diſſimiliter appellat Nazianzenus *, Sanctos Chriſti citra mortem Confeſſores. Sed & Iſaacum Patri obedientem ad mortis vſque diſcrimen, *viuum Martyrem* dixit Chryſoſtomus †: & ob aſſumptas vltrò ſuimet ipſius macerationes, eodem æquè titulo honeſtat Diodorum Tharſenſem, ea concione de ipſo, cuius plagulam Facundus † repræſentat. Eodem recidit appellatio *Martyris in Eccleſia pace*, delata S. Cyrillo Alexandrino. * Similitérque iudice D. Auguſtino, multi in lecto ſuo torquentur, & Martyres fiunt. Habet quippè pax Chriſtiana, Martyres ſuos, abſque Tyranni & Tortoris externi violentia, quoties in pace Chriſtianæ Eccleſiæ ingruunt mala, & in corde bono & optimo fructus affertur, in patientia, excipiendo non vulgarem duritiam. Sic enim patientia *opus perfectum habet*, id eſt martyrium, Interprete Clemente Alexandrino †, & ad eum Iacobi locum Thoma, (non Angelico, ſed Anglico:) Id quod etiam alibi *, ex Auguſtino illuſtrare memini. Imo non extimuit Cæſarius,* aliquos ex his viuis martyribus, tametſi ſicca morte defunctis, anteponere quibuſdam ſimpliciter dictis martyribus cruento martyrio illuſtribus. [Nam licet Ordo Martyrum, (- dinem Confeſſorum præcellat dignitate; quidam ta-

XLIII. *Inde Cæſar, quadantenus viuus martyr.*

* *Collat. 18. c. 7.*

† *Ep. 28.*

* *Orat. 20.*

† *Tom. 5. Græc. Ser. 29.*

† *L. 4. c. 1.*

* *Serm. 39. de diverſ. c. 8.*

† *4. Strom.*

* *De Martyrio 1. p. c. 1. n. 2.*

* *L. 8. miracul. c. 71.*

Digitized by Google

men Confeſſores,quibuſdam martyribus, meritò ſunt longè ſuperiores. Vnde habes in hymno;

Plus currit in certamine
Confeſſor iſte ſuſtinens;
Quàm Martyr ictum ſufferens,
Mucrone fundens ſanguinem.

Ecce exemplum. Certum eſt ordinem Epiſcoporum digniorem eſſe ordine Abbatum. Attamen quidam Abbates Regales,quibuſdam Epiſcopis,gloria & honore ſunt maiores.] Sed noſtra nunc non intereſt, hanc aliquorum Confeſſorum ſupra ſimpliciter dictos Martyres præcellentiam aſtruere,de qua ſatis actum eſt in ſpongia Hurtadiana. Quod nunc ago,illud eſt,Eccleſiam cui nec roſæ nec lilia deſunt,habere aliquos viuos Martyres in alta à fidei perſecutoribus pace, quotidie morientes, imitatione Apoſtoli, etiam ſi corpore viui perſeuerant, ad productiorem mortis myſticæ iterationem. Annumero his viuis Martyribus, hic in Eccleſiæ pace triumphatoribus;Cæſarem,tam dura,tam dira, tanta patientiæ laude perpeſſum,vt quam Martyres vindicati,Deo gloriam, ſibi frugum iuſtitiæ acceſſionem, & totius ſanctimoniæ ſolidationem, Satanæ recruciationem,Eccleſiæ odoratam virtutis fragrantiam, & ædificationem intulerunt, ipſe quoque proportione intuliſſe dici poſſit.

XLIV. *Confectaria tanta Cæſaris patiētiæ, qualia patientia Martyrū.*

Non recipio exponendum, (quod facultatem meam longè ſuperat,) quanta ex his Cæſaris perpeſſionibus extiterit gloria Deo, qui ſeruum ſuum ad tolerandum animauit,& quod ſcripturæ non refugiunt dicere,cum ipſo fuit in tribulatione, ac cum ipſo deſcendit in foueam,& in caminum ignis; vt faceret medium fornacis quaſi ventum roris flantem, quod ad omnes æquè iuſtos piè patientes,ſcitè accommodat Rupertus *. Repoſuit Deus theſaurum virtutis ſuæ in hoc vaſe fictili, vt ſublimitas eſſet virtutis Dei,& non ex illo.

** Lib.6. de victor. verb. Dei c.24.*

De

De incremento frugum iuſtitiæ Cæſaris, ex his tantis perpeſſionibus nihil attinet dicere; cum res ſit explorata, virtutem ex ipſo ducere opes animúmque ferro, & augeſcere ac roborari in aduerſis. Scitè de more Petrus Cellenſis †. [Sententia dubia quæſtionibus ventilata clareſcit : ſpecies aromatica piſtillorum tunſione fragreſcit, Eccleſia oppreſſione malorum creſcit : virtus quoque bonorum, aduerſariorum infeſtatione laceſſita, flore vernat & fructu, *&c.* Tunc virtus ſe expandit propagine multa, cum malis reluctantibus fuerit prouocata.] Eò verò auctius fuit iuſtitiæ Cæſaris incrementum ex perpeſſionibus, quo erant ipſæ & multipliciores, & puriores, ac nulla dilutæ temperatione ex dulcedinis ſenſibilis mixtura. In quo perpeſſionum genere, cum nihilominus prompta voluntate admittuntur, cerni florem patientiæ, benè obſeruauit Theodoretus *. At enituit vernauítque flos iſte in Cæſare, per tot perpeſſionum tempus; ita vt ſuperuacuè, afflicto, ſed non mœrenti, adhiberetur conſolatio; quod memini virum grauem cuius laus fuit in Euangelio per multas Eccleſias, & in ipſa Aula, Ioannem Suffrenum, ſatiari non potuiſſe laudando; cum ad huius Iobi alloquium me comite veniſſet. Lenire enim tantam ærumnarum eius molem dicendo aggreſſus, veluti Eliphas, aut Baldad, vel Eliu, victus hominis fortitudine, commutauit orationem illis vſus verbis, quæ geminam redderent ſententiam, ſermonibus laudatoriis potiùs quàm conſolatoriis, quibus fortem virum Ioannem Sariſberienſem, eius amicus Abbas S. Remigij †, in magnis ipſius ærumnis eſt allocutus. [Cum illis & de illis te non ambigo, de quibus dicitur, *quia vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Cholerica & cœleſtis complexio tua, ſuis paſſionibus hilareſcit, ſuis congelationibus frondeſcit, ſuis euerſionibus ægreſcit, ſuis ægritudinibus conualeſcit, ſuis contrariis infortuniis

† *Epiſt.* 71.

* *Serm.* 10. *de prouid.*

† *Ep.* 114.

Digitized by Google

fortior & audacior eniteſcit. Quid igitur? conſolabor te? ſed non es deſolatus, qui deſolationem reputas conſolationem. Releuabo te? ſed non es deiectus, qui dum deiiceris, eleuaris. Tamen percuſſo, & non vulnerato; impulſo, & non deiecto; concuſſo, & non excuſſo; reor congratulandum de conſtantia, timendum de nondum finita pugna, adhortandum de perſeuerantia. Ecce caminus, ſed non timet aurum. Ecce mare, ſed ſupernatat folium. Ecce malleus, ſed non confringitur Adamas. Ecce ventus, ſed mons Sion non commouebitur. Ecce prælium, ſed miles tenet gladium. Superuacuis impendiis laborat, qui ſolem facibus nititur adiuuare.]

Iam Satanæ recruciationem à Cæſare patiente, recogito ei conſimilem quam à Iobo ſuſtinuit Satan, iuxta Tertullianum *, à quo Iobus inducitur, omnem patientiæ ſpeciem aduersùs omnem Diaboli vim expungens, nullis à reſpectu Dei, doloribus auocatus, ac ne corporis quidem conflictationibus ſucciſus. [Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit? cùm ille homo ad omnem acerbum nuntium nihil ex ore promeret, niſi, *Deo gratias*. Quid? Ridebat Deus. Quid? diſſecabatur malus, cum Iob immundam vlceris ſui redundantiam, magna æquanimitate diſtringeret, cum erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus & paſtus foraminoſæ carnis ludendo reuocaret.] Affinia ſunt quæ de cordolio, Satanæ à SS. Quadraginta Martyribus, in tormentis illato, tradit pereleganter Gregorius Nyſſenus †. Et in Cæſare quoque, feretrum Diabolo extructum eſt, ac vexillum de eius malignitate elatum, præ tanta hominis patientia, & ſolidata pluſquàm incudis, non fracta ad quantoſcunque ictus duritie.

* *Lib. de patientia c. 14.*

† *Orat. 2. de SS. 40. Martyr.*

Quid mirum, tam bonum odorem virtutis ex horum ſpiritualium aromatum veluti contuſione, per piſtil

ſtillum, tam multiplicis calamitatis extitiſſe, hodiéque extare? Liceat de Cæſare ad veritatem dicere, quod de Iobo pronunciatum eſt à Chryſoſtomo *. [Non ſecus quàm vnguentum admodùm pretioſum, per omnem Eccleſiam, audientes lætificat. O vas ſummi pretij, vno in Arabiæ loco reconditum, per totum orbem ſuauem vnguenti odorem tranſmittens! ô vas lapidibus & plagis & telis à diabolo ictum, vnguentum non effundens! plurimum laboris Diabolo accidit, quo vas illud contereret, vnguentúmque boni odoris perderet: qui & ſtatuit per vlcerum fœtorem, vnguenti odorem denigrare. Nam & huius corpus, ſanie vulnerum efferueſcere fecit. Sed & manſit vas vulneratum, & non amiſſum vnguentum, vt & nos fidenter ipſi dicamus, *vnguentum effuſum nomen tuum*.]

** Hom. 1. de patientia Iobi.*

[Sis bone Deus, benedictus. Quot nobis tradidiſti ad omnem innocentiam & ſanctimoniam exempla?] Cadit enim huc perbellè, pius ſenſus eiuſdem diuini oratoris *. At non contentus antiquis exemplis, tametſi micantiſſimis, ad quæ Chryſoſtomus oculum obuertebat; optimus patientiæ Magiſter ac fortitudinis incentor, ne ſeculo noſtro deeſſet, exemplum, Cæſarem ſeruum ſuum, omninò luculentam patientiæ ideam, ſubminiſtrauit.

** Hom. de non ſcrut. curioſè pauper.*

XLV. *Multiplex oculatio Cæſaris in cæcitate & lumen in tam denſis malorum tenebris.*

Tamdiu in Cæſaris tenebris verſato, progrediendum eſt ad eius lumen; vt appareat, verè à me de eo pronunciatum eſſe principio, *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius*. Ex tot aduerſis, tot inquam animæ ſimul & corporis vexationibus, tanquã ex Tobiæ admoto felle, eius oculatio eſt eruenda. Nam etiã Prudentiũ † memini, proſperorum ex aduerſis originationem, expreſſam eo ſymbolo tenebrarũ in Tobia fellæ admoto depulſarũ, agnoſcere. Oculatũ itaque in ipſa cæcitate aio fuiſſe Cæſarẽ, & per corporis luminibus orbi, caliginẽ, illi ad obitum vſq; comitatã, inſignem in eo viſus perſpicaci-

† Hymno 10. Cathemer. in Exeq.

Digitized by Google

tatē,& luminis acutiſſimi vſum,viguiſſe contendo. Videt nimirum animus abſq; corpore, vt Claudium Mamertum *, optimè philoſophantem non referam.Sicut è contrario,multi corpore benè oculati,ſunt reipſa cœci. Quales illi apud Græcos,per antiphraſim dicti πολυβλέποντας,vt notauit S.Chryſoſtomus †. Quæ igitur lux eſt in tenebris lucens, quam corporis tenebræ non comprehenderunt, id eſt non obſcurarunt ſua caligine? Quis oculus,in cœcitate corporis perſpicax? Myſticam non vnam oculorum mentis lucem deprehendo, cum in ſacris Libris,tum apud Patres, quam iuuerit in Cæſare paulo diligentiùs recognoſcere.

** Lib. 3. de ſtatu animæ c. 11.*

† In Pſal. 43.

XLVI. *Intentio pura, oculus internus expeditus, & lux animæ.* ** Lib. 28. mor. c. 13.*

Si S. Gregorium * audimus, *oculus ſimplex*, id eſt nullo præpeditus ad videndum obice, ſed nitens ac perſpicax, alius non eſt à pura & ſyncera intentione. Sic enim diſſerit. [Curandum ſollicitè eſt, vt cum quis ſuſceptum negotium cum virtutis ceſſatione diſpenſat, ſemetipſum priùs in radice cordis inſpiciat, ne ſibi per hoc aliquid auarus appetat,ſibi per hoc ſoli timidus parcat: & eo fiat prauum, quod in opere ſequitur, quo non ex recta cogitationis intentione generatur. Vnde benè in Euangelio veritas dicit, *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Quid enim per *oculum* exprimitur, niſi opus ſuum præueniens cordis intentio; quæ priuſquam ſe in actione exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur? Et quid appellatione *corporis* deſignatur,niſi vnaquæque actio,quæ intentionem ſuam quaſi intuentem oculum ſequitur? Lucerna itaque corporis,eſt oculus;quia per bonæ intentionis radium, merita illuſtrantur actionis. *Et ſi oculus tuus ſimplex fuerit,totum corpus tuum lucidum erit*: quia ſi rectè intendimus,per ſimplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur; etiamſi minùs bonum eſſe videatur.

Digitized by Google

tur. ***Et ſi oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit***, quia cum peruerſa intentione quid vel rectum agitur, etſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis, obſcuratur. Vnde & rectè ſubiungitur; ***Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?*** Quia ſi hoc quod benè nos agere credimus, ex mala intentione fuſcamus, quanta ipſa mala ſunt, quæ mala eſſe, etiam cum agimus, non ignoramus? Etſi ibi nihil cernimus, vbi quaſi diſcretionis lumen tenemus, qua cœcitate in illa offendimus, quæ ſine diſcretione perpetramus? Vigilanti igitur cura per cuncta opera, intentio nobis penſanda eſt, vt nihil temporale in his quæ agit, appetat; totam ſe in ſoliditate æternitatis figat.] Alibi idem S.D. * tractans illud, ***oculi impiorum deficient***, oculos impiorum ſuperna vltione deficientes, eſſe ait, intentiones, quibus impij inhiantes ſolis terrenis, æterna deſpiciunt. * 10. mor. c. 23.

Recidit eodem Theophanes Ceramæus †, expendens illud Chriſti, *lucerna corporis tui, eſt oculus*. Præfatus enim, oculum, quem Chriſtus *lucernam* vocat, eſſe mentem, ſubdit. [Perpurgato igitur hoc oculo, ideſt mente, à concreta caligine atque craſſitie, quaſi in luce ambulans anima, ſine impedimento, virtutum viam ingreditur. Cum enim duplex ſit noſtra conſtitutio; alia quidem pars leuis, intelligentia prædita; Alia verò craſſa, materiæ immerſa, & ad res inferiores prona; ſiquidem mens rationis imperio ſuperior fuerit, corpus in ſeruitutem redigens; tunc animus illuminatur, & facili negotio prouehi ad ſuperna contendit, mente quaſi lucerna præeunte illi, & commonſtrante viam. Si verò plumbea peccati maſſa, mentem deorſùm trahat, & terrenarum rerum nebula tenebras cordi offundat; tunc verò animus quaſi conuerſus in tenebras, ad ea quæ ſunt præter naturam conuertitur: ea quæ non ſunt, † Hom. 42.

Digitized by Google

ſunt,quaſi eſſent, cogitatione ſibi fingens, & cœci in modum offendens.]

Eſt igitur intentio,oculus myſticus; ille ipſe quem Zacharias * *oculum eorum in vniuerſa terra*, nominauit: quo non ſollicitè in centrum noſtrum velut in abſidis cameram deiecto, impoſſibile eſt ædificij ſpiritualis ſtructuram conſurgere, vt Abbas Abraham † grauiſſimè apud Caſſianum philoſophatur. Nihil ſanè ab Aſceticis diligentiùs inculcatur, quàm vt hic mentis oculus purus ac ſimplex ſeruetur; euretúrque, vt pleno lucis vſu,& videndi perſpicacitate potiatur. Partim expoſcebat, partim gratulabatur hunc ſibi internum viſum Nazianzenus *, ſic canens præter cætera.

* cap.5.

† Collat. 24.c.6.

* Carm.9. de rebus ſuis.

-----Ex quo primùm à mundo fallace reuulſam,
Ipſe ſalutiferis animam coniungere cœpi,
Conſiliis,tota meditans cæleſtia mente:
Illáque ſubuectum procul hinc à carne locauit;
Ac me cæleſtis ſcenæ penetralibus imis
Abdidit,atque oculis lumen mirabile noſtris
Fulſit adorandæ Triadis,præclarius omni
Lumine,quæ radiis luſtrat communibus orbem;
Omnibus & rebus dirimit quas tempus ab arce.
Ætherea,vita fons & natalis origo eſt:
Tempore ab hoc mundo ſum mortuus, & mihi mundus:
Viribus infirmis ego ſum,viuúmque cadauer:
Vita mihi eſt alibi: verùm ſub corpore craſſo,
Quod mentis tenebras,ſapientum turba vocauit,
Illachrimo,& gemitus imo de pectore duco:
Atque huius cupio laxatus compede vitæ,
Et viſu nebuloſo,& humi reptante ſolutus,
Cœtu hominum,qui falluntur,fallúntque viciſſim,
Puriùs æternas oculis res tangere;non iam
Vt priùs obſcura confuſus imagine rerum,
Quæ vel falluntur peracuta lumina mentis;

Sed

Sed pura mentis, verum ipſum lumine cernens.

Hoc ex capite, Cæſar, quantumvis orbus corporeis oculis, exquiſitè tamen oculatus animo fuit. Eius quippè puriſſima, & in Deum ſemper directa, nihil terrenum ac fluxum captans intentio, per vniuerſa eius opera micuit. Vnicus illi vbique ſcopus, Deus. Nec enim ingrediebatur terram duabus viis; ideſt terrena captans, & ſimul Deum quærens, (iuxta S. Gregorij * gloſſam:) quod intorto *Veh.* percellit Propheta. At probatus Dei ſeruus, (cuiuſmodi Cæſar erat) digitos habet plenos myrrha probatiſſima; quippè ſemper operans iugulatis terrenis affectibus, & purè in Deum dirigens oculum, vt habet expoſitio Richardi Victorini †. Contulerat hæc myrrha Cæſari *perſpicuum charitatis oculum*, quali inſtructum exhibet Petrus Damiani, Omni Encomio ſuperiorem cœcum; qui eo acutiùs animo vidit, quo per crudelem ab hoſte tractationem nihil carneis oculis conſpicabatur. Quod alibi de eo altum ſit ſilentium, verbis Petri Damiani qui hominem nouiſſe potuit, eius internum oculum per patientiam exacutum qualem etiam Cæſar habuit, placet attexere: Sic igitur ad Teuzonem ſcribit Damiani. [Adoleſcentem me in Fauentina vrbe propter literarum ſtudia conſtitutum, audire contigit, quod enarro. Inter duos ſibimet conuicaneos, obortis inuicem ſimultatibus, alterius oculos alter effodit. Cœcus itaque, poſtquàm ſe mundo nimirum inutilem vidit, monaſterium petiit. Poſtmodùm verò cum & ipſe illator iniuriæ, languore correptus, conuerſionis habitum anxiè quæreret; ſed ad idem monaſterium deferri, propter illum quem crudeliter attrectauerat, incongruum iudicaret, monachis ſuper hac re ſecum muſſitantibus, tandem fama negotij, ad acutiorem videlicet non videntis peruenit auditum. Cúmque ille quod imminebat pleniùs didiciſſet, cœpit mox obnixè de-

XLVII. *Cæſaris intentio quã pura.*

* *Lib. 1. mor. c. 27.*

† *Suo c. 34 in Cant.*

Lib. 6. Epiſt. 30.

poſcere,& quibus valebat precibus,inſtantiſſimè flagitare, vt illum fratres cum omni charitate ſuſciperent: ſemetipſum inſuper, cuſtodem ſcilicet ac miniſtrum, eius obſequiis inſudare iuberent; importunis ſanè inſiſtens precibus,tandem obtinuit,& ei quem carnis lumine videre non poterat,*perſpicuo charitatis oculo* miniſtrabat.Decumbenti itaque ſedulus miniſter aſſiſtere, tegminibus confouere, neceſſaria quæque porrigere, percipiendis etiam alimentis ſuaſoriè prouocare.Nam & ad egeſtionis occultum,vt dicebatur, ſæpè ſe ferre, & referre gaudebat ægrotum:ſic nimirum ſic, qui geminum lumen carnis amiſerat, charitate ſimul & patientia,quaſi duobus in animæ facie oculis, reſplendebat.] *Perſpicuum charitatis oculum* quo cæcus iſte inſtruebatur; & in id quod Deo acceptum & ſanctum, liquidò conſpicabatur, irretorta mentis acie intendebat, exacuente myrrha patientiæ, perſpicaciſſimum habuit Cæſar quoque.

Non aberrauero, ſi notionem *Monachi* à Philippo Bonæ ſpei Abbate * aſſignatam admittens, dixero; Cæſarem verè fuiſſe *Monachum*. [Monachus (inquit) quaſi *monoculus* dicitur; id eſt vnum tantùm oculum habens. Qui enim priùs, quaſi gemino oculo vtebatur, nunc reiectis omnibus quibus temporaliter ſolebat delectari;ſola cœleſtia indiuiſo deſiderio diligit contemplari. Et quia clauſit,imò eruit & proiecit oculum,quo ea quæ mundi ſunt auidiùs appetuntur; eum autem retinuit & mundauit,quo cœleſtia cognoſcuntur,rectè *Monachus* quaſi *Monoculus*,meruit appellari,qui de bonæ cœcitatis ignominia, non abhorruit gloriari. Deniqùe apud literas ſeculares, vir quidam *Monichus* appellatur,qui ſingularem in fronte oculum habere dicebatur; *Iaculatur* (inquit) *Monichus ornos*. Noſter autem Monachus,non in fronte, ſed in corde, ſingularem oculum habere perhibetur; quo inuiſibiliter intuetur:Et eum ſibi

* *Lib. de continent. Cleric. cap.* 78.

ſibi oculum eruit, qui foris eſſe quaſi in facie videbatur, quo carnalia carnaliter mirabatur. Beata hæc cœcitas, qua oculus exteriora diligens excœcatur: ad quam nos amplectendam Ioannes Apoſtolus cohortatur; *Nolite*) inquiens) *diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: amicitia enim huius mundi, inimica eſt Deo.* Huiuſmodi cœcitatem Chriſtus intulit, imo contulit, his qui eum diligere voluerunt: qui amore inuiſibilium, viſibilia contempſerunt: ſicut in Euangelio Iudæis audientibus deſignauit, cum eis non intelligentibus, largitatis ſuæ beneficia prædicauit. *In iudicium* (inquit) *ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* Hoc eſt dicere; Ad hoc veni, vt oculus appetens ineiſibilia reparetur, & oculus exteriora diligens excœcetur: vt qui directam perfectè videndi regulam tectiùs vult videre, non grauetur cœcitatem nocentis oculi ſuſtinere. Quo enim iſte, maius ſuſtinet detrimentum, eo ille maius accipit incrementum: Et quum huic inferuntur optabilis iniuriæ cœcitatis, illi conferuntur amplioris munera claritatis.] Concludit Philippus poſt alia pleraque in eam ſententiam. [Quia ergò hunc oculum qui non niſi viſibilia nouit attendere, noſter (vt dictum eſt) Monachus, erutum gaudet proiicere; illum autem ſolum, ſumma cura, ſumma diligentia ſtudet excolere, quem ſicut Aquila Solaribus radiis poteſt infigere, rectè propter hanc Monadem, *Monachus* meruit appellari, qui plures habere oculos renuẽs, contentus eſt fœliciùs oculo ſingulari.] Fuit hoc ſenſu, Cæſar, *Monachus*.

Erit, cui oculatio interna Cæſaris in cœcitate, & lux animæ in tenebris, referenda videatur ad ſapientiam atque doctrinam. Nam doctores, dici *oculos*, & doctrinam *lucem*, adeò protritum eſt, vt illuſtratione vix egeat. Origenes * tractans illud ex Iudæ benedictione, *gratiſici oculi eius à vino*, cum monſtraſſet, fidelibus pro XLVIII. *Doctrina lux, & oculus animi.* * *Hom 17. in Geneſ.*

muneris ac officij qualitate, varias membrorum Chriſti denominationes quadrare; ſubdit de oculis. [Sic erunt & oculi, qui ſcientiæ lumen vniuerſo corpori præſtant; ſicut in Euangelio ſcriptum eſt, *lucerna corporis tui, eſt oculus tuus.* Gratifici ergò ſunt oculi iſti. Sermo enim ſcientiæ ſale conditus eſt, vt det gratiam audientibus.] Ex hoc vſu, Epiſcopi nomen clatore Ambroſio,* vocati ſunt oculi Eccleſiæ. Nazianzenus †, S. Athanaſium dixit [*Sanctiſſimum orbis oculum, & ſecundam Chriſti lucernam.*] Et S. Baſilium, vocat *clariſſimum Chriſtianorum oculum.* Æquè S. Ioannem Chryſoſtomum, Iſidorus Peluſiota, *, *Byzantinæ, ac etiam Eccleſiarum omnium oculum* dixit. S. Paulum Doctorem gentium, Venantius Fortunatus † *oculum Eccleſiæ*, itémque Arnobius iunior in conflictu cum Serapione nominauit. Quem verò latet, *Cherubin multocula* vt ab Ezechiele * exprimuntur, à multitudine ac vbertate ſcientiæ nomen ducere, vt Origenes † notauit? vniuersè item Angelos, dici oculos Dei, monſtrat à Roa. Haud abs re igitur, Cæſar, ſciẽtia Sanctorum inſtructiſſimus, oculatus mente, & luce interna fruens habebitur, tametſi corpore cœcus, ac obſitus oculorum tenebris.

* *L. de dignit. ſacerd. c. 6.*
† *Orat. 23. in Epitaph.*
* *Lib. 1. Ep. 15.*
† *Ad tertiam petitionẽ Ora. Dom. l. 2.*
* *Ezech. 10.*
† *Hom. 5. in Num.*
* *Tomo 2. ſingul. l. 4. c. 11.*

Hoc vt aperiam, recolendum mihi eſt, ex Claudiano Mamerto *, animam quoque, videre abſque corpore: atque adeò interclusa per cœcitatem materiali viſus facultate, nobis cum formicis ac brutis omnibus communi, vigere poſſe in mente quæ animæ oculus denominatur * viſum internum; quo non tantùm alba ab atris, alitérque colorata ab imbutis alio colore, ſed etiam immaterialia, fetiante licet viſu externo, percipiãtur ab anima. [An forſan vecordes oculati corporaliter, iudicio credentur cœco, anteire ſapientes? ſed vel Appium de Romano Senatu, vel Hermophilum de Græco gymnaſio, vel Tobiam de Prophetarum numero, ſuper ambiguo præſenti, teſtes habeamus; quorum vel

* *Lib. 3. de ſtatu animæ c. 11.*
* *Videndus Lælius Biciola t. 1. ſubſ. lib. 1. c. 19.*

Appius

Appius eis qui extrinſecùs clarerent oculis,& interiùs cœcutirent,conſilij lumen præbuit ; vel Hermophilus, Theopompum Geometriam ſine radio docuit; vel Tobias filio, dum cœco iter præuius pandit,Angelum comitem dedit. Videt igitur animus abſque corpore.] Sobriam animam hac viſus interni perſpicacia, exquiſitè pollere,ita cenſet Philo, vt non dubitet, animam ſobriam ſupra omnes creaturas ſtatuere : quia in ea viget iſte oculus, nec vllatenus præpeditur. Sic enim diſſerit. [Quid ſobria mente præſtantius eſt apud homines ? quæ gloria ? quæ diuitiæ ? quod robur ! quæ potentia ? denique quid aliud ex his quæ mirantur homines ? Adſit modò animæ oculus oculus qui totus colluſtrare omnia valeat,nulla ſui parte ſuffuſus humoribus, aut nictatione impeditus : Tunc enim acutiſſimè cernens,ipſúmque intellectum & prudentiam intuens, occurret ſimulachris intelligilibus quorum ſpectaculum demulcens animam, non ſinet poſt hac flecti ad quicquam ſenbile. Et quid mirum, ſi animæ ſobriæ, cernentique accutiſſimè, nulla creatura poteſt æquari honore,quãdo corporei quoque oculi, & lux iſta ſenſibilis, apud nos omnes habetur in honore maximo? Quamobrem multi viſu amiſſo,vitam etiam vltrò abiecerunt, exiſtimantes mortem malum eſſe cœcitate leuius. Quanto igitur anima præſtantior eſt corpore, tãto mens præſtat oculis.] En viſus interni,etiam occluſo externo præſtantiam,in ſobriis, vel ſi corpore cœci ſint,ſe exerentem.

* *L. de his verbu*, reſipuit Noë.*initio.*

Prodiderunt hunc viſum internum,plerique præter eos quos ſuperiùs attigit Mamercus,corpore cœci,animo oculatiſſimi. Nec mirum id videri debere,admonet Cardanus *;inde cœcum conſolans,quod agnoſcere poſſit, ſe per cœcitatem factum eſſe aptiorem ad cõtemplationem.Extat item Gutherij opus de ſapientiæ & cœcitatis cognatione, quo hoc negotium verſat,

* *Lib. 2. de vtilit. ex ad verſ. 8. de cæcitate.*

& erudite & ſapienter. Quid verò attinet cumulare argumenta, cum abundemus cœcorum ſapientia illuſtrium ac ſcientiæ nomine inſignium exemplis? Miſſos faciamus veteres illos à Tullio † recenſitos, Antipatrum Cyrenaicum, C. Druſum, Cneium Aufidium Prætorium, Diodorum Stoicum, (Geometriæ raro miraculo Magiſtrum) Aſclepiadem, Democritum, Tyreſiam, Homerum. Etiam illum apud Iudæos clariſſimum prætereamus, cui nomen *Ioſepho*; & cognomento *Saginehor*, dictus eſt *, quod ſonat *abundantem lumine*: Vnde eius obſcura claritas fuit inter Iudæos celeberrima. Sed neque Doctores illos Iaponicæ Academiæ quos Trigaultius † memorat, placet adducere, tanquam ſolidæ doctrinæ ſpecimina. *Quenquio*, vertex eſt, & veluti ſummus apex peritiæ, ad quem gradibus prouehuntur; inde hauſta origine Academiæ, quod Regis inter Iapones ſupremi filium cœcum, aditu paternæ hæreditatis excluſum, præfectura huius Academiæ decorare, eique lenire regni diſpendium voluerunt; impari ſane commutatione, ſed quam ſublimè admodum euecta Academiæ præfectura penſare ſtuduerunt. Præeſt omnibus conſcriptis cœcis ſumma cum poteſtate, etiam vitæ & necis, ſi ita ferant demerita, vnus præfectus: cui cæteri quoque cœci extra Academicos, etiamſi nullo cenſu publico & honoribus gaudeant, pareant neceſſe eſt: ac eius mandato qui anno 1612. præfecturam illam cœcam gerebat, eorum cœcorum vnus qui abiecto Ethniciſmo Chriſti ſacris erat initiatus, vbi ad fortes literas à præfecto datas, & ſociorum obiurgationes nihil de conſtantia remiſit, eſt exautoratus, atque adeò honore his Doctoribus attributo exutus. Negaui dandum à me locum his cœcis inter ſolidè doctos, quia horum Iaponum Doctorum vniuerſa peritia, fœlicitate memoriæ continetur, qua conſcriptos de bellis & ſectis Iaponicis commentarios, memoriæ

† *Lib. 5. q. 3. Tuſcu.*

* *Videndus de eo Serarius in Prolegom. Bibl. c. 14. q. 6.*

† *Lib. 1. de triump. martyr. Iapon. c. 15.*

Digitized by Google

ria conditos expromunt: prætereáque periti ſunt Lyricines, & pro cantandi inter lyram tangendam peritia, varietatem graduum ſortiuntur. Non eſt hæc admodùm ſuſpicienda ſapientia. Quare his *fabulatoribus* (ſic enim Baruch appellauit) *qui viam ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas eius*, ab hac diſputatione ablegatis, hæreamus in temporibus Chriſtianis; & pauca, ſed ſelecta, cœcorum verè ſapientum exempla proferamus.

Dydimus Alexandrinus Magni Antonij æqualis, qua polleret in corporeis tenebris, viſus interni perſpicacia, ſæpè tradit, qui hominem nouit S. Hieronymus, non abſque Ruffini ſtomacho *, qui calamum in ipſum Hieronymum ſtringens, hæc ei de Dydimo ad Paulinianum † ſcripta ingerit. [Dydimus meus, oculum habens ſponſæ de Cantico Canticorum, & illa lumina quæ in cadentes iam ſegetes ſublimari IESVS præcipit; procul altiùs intuetur, & antiquum nobis morem reddit, vt *videns* vocetur *Propheta.* Certè qui hunc legerit, Latinorum furta cognoſcet, & contemnet riuulos, cum cœperit haurire de fontibus. Imperitus ſermone eſt, ſed non ſcientia, Apoſtolicũ virum ex ipſo ſtylo exprimens, tam ſenſuum nomine, quàm ſimplicitate verborum.] Idem Caſtrutio cœco facit mali medicinam, recitatione fabulæ, id eſt hiſtoriolæ: (pro notione vocis *fabula*, apud Hieronymum; qui huiuſmodi nomen à *fando* deducens, omnem narrationem, etiamſi veriſſimam appellat *fabulam*; adeò vt, etiam Belis & Draconis narrationem quæ extat apud Danielem, *fabulam* nominat:) Hanc igitur fabulam, id eſt, narrationem, ſolando homini cœco contexit. [B. Antonius cum à S. Athanaſio Alexandriæ Epiſcopo, propter confutationem hæreticorum in vrbem Alexandriam eſſet accitus, & iſſet ad eum Dydimus vr eiruditiſſimus, captus oculis; inter cæteras ſermocina

XLIX. *Chriſtiani cæci, videntes præ doctrina.*

* *In inuectiua.*

† *In præfatione ad libros Didymi de ſpiritu ſancto ab ipſo Hieronymo Latinè factos.*

nationes quas de Scripturis ſanctis habebant,cum eius admiraretur ingenium , & acumen animi collaudaret, ſciſcitans ait ; Num triſtis es, quod oculis carnis careas ? Cum ille pudore reticeret , ſecundò tertióque interrogans, tandem elicuit, vt mœrorem animi ſimpliciter fateretur. Cui Antonius. Miror (ait) prudentem virum , eius rei dolere damno, quam formicæ, & muſcæ,& culices habent ; & non lætari illius poſſeſſione, quam Sancti ſoli,& Apoſtoli meruerunt.] Infert inde S.Hieronymus,quod multò meliùs ſit, ſpiritu videre,quàm carne ; & illos oculos poſſidere,in quos peccati feſtuca non poſſit incidere.

Sed de oculatiſſimo mente Dydimo , nolo præteritum Caſſiodori * iudicium, quod cumulat exemplo alterius cœci,item doctiſſimi, (cui nomen *Euſebio*) inſignis doctrinæ nomine admirandi.[Dydimum,(inquit,) quamvis carne cœcum,meritò B. Antonius Pater Monachorum,prophetali lumine vocauit *vidêtē*;quando perſpicuo corde perſpexit, quod corporeis aſpectibus non valet intueri. Mirum eſt enim dicere, quantis diſciplinis atque artibus audiendo imbutus fuerit, qui ipſos apices quoque literarum,priuatus carnali lumine nequibat inſpicere. Quod mihi penè impoſſibile(fateor) videbatur eſſe cum legerem , niſi de partibus Aſiæ,quendam ad nos venire , *Euſebium* nomine contigiſſet ; qui ſe infantem quinque annorum ſic cœcatum eſſe narrabat, vt ſiniſtrum eius oculum excauatum,orbis profundiſſimus indicaret. Dexter verò globus,vitreo colore confuſus,ſine videndi gratia , infructuoſis niſibus voluebatur. Hic tantos autores, tantos libros in memoriæ ſuæ Bibliotheca condiderat , vt legentes probabiliter admoneret , in qua parte codicis,quod prædixerat,inuenirent. Diſciplinas omnes, & animo retinebat , & expoſitione planiſſima lucidabat. Commonuit etiam , tabernaculum templi Domini,

* *Lection. diui. c. 5.*

ni, ad inſtar cœli fuiſſe formatum; quæ depicta ſubtiliter lineamentis propriis, in pandecte Latino corporis grandioris, competenter aptaui. De veſte quoque ſacerdotali, plurima Domini Sacramenta texebat, aſſerens nihil otioſè poſitum, quod non alicuius rei pulcherrimam portaret imaginem. Hoc etiam Ioſephum, Origenem, & Hieronymum, commemoraſſe in ſuis Opuſculis aſſerebat. Quid plura? Fecit credi de Dydimo, quæ ſuo præſentabat exemplo: cuius etiam inſtructione commonitus, multos codices antiquos reperi, qui apud me habebantur incogniti.] Dolendum eſt, hunc Euſebium fidei oculis caruiſſe, cum eſſet ſecta Nouatianus. Oculos tamen internos, quibus ſapientia humana, etiam de myſteriis Chriſtianis paratur, habuit perſpicaciſſimos. Id quod æquè de Dydimo fatendum, cuius oblæſam fidem, admirator doctrinæ ipſius S. Hieronymus, non diſſimulauit.

Peruelim habere locupletes teſtes, cœcitatis qua laborauerit venerabilis Beda. Fuit enim vir planè inſignis peritiæ, & meritò ab Albino Flacco *, honeſtatus titulo *Doctoris eximij*. Omne diſciplinæ genus verſauit. Theologiam, Philoſophiam, Aſtronomiam, Arithmeticam, Coſmographiam, Chronologiam, Hiſtoriam, Poëſim; linguam Græcam, & Latinam calluit; tanta omnium admiratione, vt veluti prouerbio ſit iactatum ea ætate; *Hominem in extremo orbis angulo natum, vniuerſum orbem ſuo ingenio præſtinxiſſe.* Tanti viri cæcitatem, ſannis eorum obiectam qui contra diuinum iuſſum cœco ponunt offendiculum, leuatam lapidum applauſu & gratulabundo clamore, Petrus Exquilinus, aliique prodiderunt; an ad veritatem, nunc non excutio.

* *Lib. de div. Offic.*

Carolus Fernandus, Perſeualdus Belſigenius, & Nicaſius à Voërda, eadem propè tempeſtate floruerunt, & quamvis eſſent cœci, duo quidem priores ab ortu, tertius à tertio ætatis anno, tamen mirificè in literis

claruerunt, partim Lutetiæ, partim Louanij. Caroli Fernandi qui Orator,Poëta, Philoſophus ſummus audiuit,ingenium atque eruditio, cum in ſacris literis publicè Lutetiæ interpretandis enituit;tum in libris quos vulgauit,duos de animi tranquillitate, & totidem de Immaculata conceptione Deiparæ,contra Vincentium de Caſtronouo;quatuor denique Monaſticarum Collationum. Nam pertæſus ſeculi ac ſtuporatæ gloriæ mortalium, in Vincentiano apud Cœnomanos monaſterio,calces mundo illiſit,ſub S. Benedicti inſtituto, in quo piè ceſſit è vita,anno 1496. Belligenius & ipſe Lutetiæ in S.Geruaſij Gymnaſio, Bogardicam iuuentutem inſtituit,illud pro ſymbolo vſurpare ſolitus, *Dominus illuminat cæcos.* Fabij declamationem, pro cœco contra Nouercam,commentario illuſtrauit. Florebat anno 1430. Nicaſius à Vuoërda Mechlinienſis,à trimatu cœcus,vt Lilius Gyraldus in ſui temporis Poëtarum hiſtoria prodidit, vir fuit doctiſſimus. *Naturæ miraculum* audiuiſſe, ſcribit Opmeerus anno 1482. vocans *Nicolaum*, quem alij paſſim,vocant *Nicaſium*. Is Louani lauream Theologicam conſecutus, indulgente Romano Pontifice initiatus Sacerdotio,tractauit accuratè fructuoſéque ad populum de verbo Dei, tanta fœlicitate, vt admiratione omnes defigeret. Mutata verò mente,cum à ſacris literis,ad iuris ſtudium tranſtuliſſet animum, Iuris Doctor eſt renunciatus, Coloniæ Vbiorum; & Iuſtiniani Inſtitutiones Commentariis identidem recuſis illuſtrauit, ac inſignis, doctrinæ nomine,ibidem fato ceſſit anno 1492. Robertum Mancop,quem alij *Robertum Venantium Vaucop* appellant, à puero cœcum, (non autem vt Spondanus* voluit,cœcultantem duntaxat,) agnoſcunt Surius, Genebrardus, Miræus atque Raderus. Doctrinæ verò ſpecimen inſigne edidit, cum Lutetiæ vbi operam literis nauauit, tum Romæ, vbi Archiepiſcopus Armacanus creatus eſt,

* *Anno 1546. n.3.*

eſt, atque Tridenti in Synodo Oecumenica. Vnde ea tranſlata Bononiam, Pariſios conceſſit; ibíque ad Deum migrauit anno 1551. Marius du Curte, à prima ætatula cœcus, euaſit in *virum doctiſſimum* vt ſcribit Camillus Borellus †. Eius in concionibus facundiam eximiam celebrat Flaminius Pariſius,* Romæ coram hominem conſpicatus. De Emmanuele à Valle de Moura, Theologo apud Luſitanos inſigni, & S. Inquiſitionis deputato, referente ſapiētiſſimo Patre Sebaſtiano D. Abreu compertum habeo, tametſi ab omnino multis annis cœcitate laborat, tamen virum eſſe doctiſſimum, & iam contracta cœcitrte multa elucubraſſe volumina; quæ ſi omnia eiuſdem ſint ſaporis, cuius eſt opus de Enſalmis ſiue incantationibus, quod vnum inter eius opera legi, erit quod gratulemur Luſitaniæ, quod adeò benè oculatos cœcos ediderit. Meritiſſimò autem particeps erit eiuſdem gloriæ vir omninò Magnus ex eadem ortus Luſitania, Ægidius à Præſentatione Ordinis S. Auguſtini, qui ſpiſſa & omnibus doctis probata volumina Theologica complura, etiam poſt contractam cœcitatem conſcripta vulgauit. Ioſephus Galletus à prima ætatula cœcus, & mitioribus & ſeuerioribus ſtudiis apud ſuos Auenionenſes inclaruit, ita vt diſputare in ſcholis, & nodos ſcholaſticæ Theologiæ ſubtiliter ac dextrè expedire, ac etiam de ſacro ſuggeſto diſſerere, cum laude poſſit. Præ qua laude, iacet, quod tudiculare organum Muſicum, pulſat concinnè; & in ſacris ædibus ad fiſtulatorium organum admouens manus, Pithaulem exquiſitè peritum, ſe prodit.

† *Lib. 1. de Magiſt. cap. 3.*

* *Lib. 5. de reſig. benef. q. 6. n. 42.*

L. *Doctrina Cæſaris, diuinitùs (vt videtur) inſpirata, magna ex parte.*

Inter hos cœcos oculatos, tanta interna ſapientiæ ac doctrinæ luce in corporeis tenebris fruentes, fidens ac ſecurus numero Cæſarem. Nam tametſi tricenario maior, imbui cœpit notitia primorum Grammatices rudimentorum; euaſit tamen in Oratorem Chriſtianum probatiſſimum; cuius quanta debeat eſſe peritia,

ex D. Auguſtini tractatione de Doctrina Chriſtiana, aliiſque eiuſdem argumenti Scriptoribus, eſt manifeſtum. Dixit Cæſar, quàm frequenter de ſacro ſuggeſto; non cum fructu duxtaxat, (qui vnus erat illi propoſitus ſcopus,) ſed etiam cum plauſu & approbatione; nec in oppidis modò, vel ad paupertinam tantùm plebem; verùm etiam in vrbibus primariis, in quibus præter Doctores titulo tenus, (quos Petrarcha & Viualdus multiplicatos eſſe ſuper numerum iam ſua ætate expoſtulabant, & ſunt nunc multo auctiores;) viri planè docti, omninò multi. Nam etiam Aquis Sextiis, quæ vrbs eſt, ob ampliſſimi Senatus inibi ſedem, viris doctiſſimis referta, & ingeniis excultiſſimis ſemper abundauit, in Eccleſia Metropolitana Seruatori ſacra, quadragintadialis ieiunij conciones obiuit, magna cum frequentia & approbatione. Fuit hîc meritò locus, abſurdæ quoad Chriſtum, percunctationi Iudæorum; *quomodò hic literas ſcit, cum non didicerit?* Vnde tanta lux doctrinæ, & ſufficientis ad illud ſuggeſtum cum laude occupandum peritiæ, homini fonte parandæ humano modo ſcientiæ, deſtituto?

** V. Sandeum Theologia varia l.3. comment. 16.*

Quid vetat agnoſcere ex hoc exemplo, non exaruiſſe, diuini Verbi, quod fons ſapientiæ in excelſis eſt, in pleroſque alios deriuata pridem fluenta? Antonium magnum dico, Hor Abbatem, Romualdum Camaldulenſem, Franſciſcum Aſſiſiatem, Ioachimum Florenſem, alióſque ſiue Auguſtino in Doctrinæ Chriſtianæ prologo, ſiue Caſſiodoro in diuin. lectio. præfatione, ex Caſſiano memoratos, θεοδιδάκτους iure dictos; quippè à Deo ipſo ſcientia inſtructos. Dei enim ſolius eſſe intellectum dare, & (vt loquitur) *intellectuare*, S. Auguſtinus † confirmat, illud excutiens ex Pſalmo 118. *Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua* Conferre quidem ad eam rem poteſt, etiam Angelus; ſiue bonus, (vt in exemplo Danielis, quod D. Auguſtinus adducit;) ſiue

† Conc. 18. in Pſal. 118.

ſiue malus, vt liquet ex his quæ adducta ſunt in Naturali Theologia *; quibus addendum, quod Eunapius in Ædeſio ſcribit, de Soſipatra Maga, Euſtathij item Magi, coniuge, nullis aliis vſa Magiſtris, quàm duobus Dæmonibus. Eam ſiquidem, non Poëtarum modò, ſed & Philoſophorum atque Oratorum ſcripta in ore habuiſſe; & quæcunque alij magno ingeniorum tormento prehenderent, nullo negotio peruaſiſſe; promptéque ac dilucidè citra laborem expoſuiſſe, confirmat Eunapius. Quamvis igitur aliquid ad hoc negotium conferre poſſit Angelus, id tamen adeò tenue eſt, vt ſimpliciter loquendo, ſolus Deus dicendus ſit docere hominem ſcientiam. Quod cum non rarò iam olim fecerit; nihil vetat exiſtimare, noſtra quoque ætate in Cæſare præſtitiſſe. Inter charismata námque per ſpiritum collata, numerari ab Apoſtolo video, ſermonem ſapientiæ atque ſcientiæ; quæ non eſt cur negata poſterioribus temporibus Chriſtianæ Eccleſiæ velimus; & cur noſtrum ipſum ſæculum expers diuinæ huius beneficentiæ ſtatuamus.

* *Diſtinct. 4. n. 330.*

LI. *Doctrina Cæſaris alia quam cæcorum, inſtructorũ, ante amiſſum videndi vſum.*

Sanè quoad ſpecimina doctrinæ, quæ Cæſar poſt exoculationem exhibuit, non licet captare perfugium quod patet pro aliis quibuſdam cæcis, dum videndi facultas ſupereſſet, à ſcientia humano labore comparata ritè inſtructis. Sic vt præteream antiquum exemplum, Zeugmatij Nicephoro *a* laudatiſſimi, à ſacris concionibus in cæcitate quaquauerſum magno ſtudio obitis, Reuerendiſſimus Antonius cui cognomen *Toloſano*, Ordinis S. Antonij Abbas Generalis, zeli vir Apoſtolici, quem multiplici ſcriptione, ac verbi Dei diſſeminatione indefeſſa, iam cæcus exeruit; cui etiam ordo Antonianus, inſtaurata deſerta ſeculorum, & rediuiuæ ſanctimoniæ ac religionis quam ab aliquot annis conſpicimus, laudem debet: Hic inquam, quod luminibus deſtitutus tam multos emiſerit libros, & ſacrum ſug-

geſtam, à tam multis, etiam magnis ac illuſtribus vrbibus expetitus, magna ſemper approbatione conſcenderit; minus mirum eſt: cum pridem, ſuperſtite viſu, mentis horreum vberi doctrinæ fruge compleſſet, nec difficilè, adhibito qui ſemper ad manum erat anagnoſte, quæ aliàs valens oculis in mente condiderat, poſſet expromere, & alia quoque de nouo inferre. Idem dico de noſtro Antonio Santarello, cuius iam cœcati, lucubratio non vna prodiit: ſed ex apparatu inſtructiſſimo doctrinæ, quo pridem pectus ſuum, (vt de Longino dixit Eunapius *) viuum Muſæum ſpirantémque Bibliothecam effecerat; æquè iam olim in ſcholis doctrinæ nomine clarus, ac poſt contractam aſſidua lectione cœcitatem, compoſitiſſimæ mentis, ac patientiæ, & religioſarum virtutum omnium raro exemplo, venerabilis. Pertinet ad hunc ordinem Homerus; quem fuiſſe doctiſſimum, eſt extra dubium. At is iam ætate grandæuus, incidit in cœcitatem, vt Brodæus *a* contendit, & Gerardus Ioannes Voſſius, *b* adherens Velleio: *c* qui dixit, næ eum omnibus ſenſibus orbum eſſe, qui Homerum à natiuitate cœcum fuiſſe cenſuerit. Progreſſu tamen temporis cœcum factum, inficiatur Artemidorus, *d* referens eam narrationem ad quietem & ſeceſſionem Poëtæ neceſſariam: ſed refragatur Plutarcho, & Herodoto, & Chriſtodoro Thebano, à Voſſio adductis, ipſíque etiam Honero; qui ſuam cœcitatem fatetur hymno in Apollinem. Et quamvis Athenæus, *e* ſitne ille hymnus Homeri addubitauit, & negauerit Fuluius Vrſinus *f* tribuens eum Cynethochio; Tamen Homero autori eum tribuunt Thucydides, *g* atque Pauſanias, tanquam Hometicum allegans, verſum quo Homeri cœcitas aſſeritur. Quanquam quem verſum in hanc rem, cœteri ex hymno in Apollinem proferunt; Pauſanias adducit ex hymno in Cererem qui intercidit. Fuit ergo Homerus, cœcatus iam

* *In Porphyrio.*

a 5. miſcel. c. 9.
b L. 1. inſtit. oratoria. pag 76
c Lib. 11.
d Lib. 1. Oniroct.
e Lib. 1. dypno.
f Ad 2. Georgic. in collatione Virgilij.
g Lib. 3.

Digitized by Google

iam grandis natu, vt etiam alij apud Biſcolam *h* agnoſcunt, referentes cauſam cœcationis eius, æquè ac Steſichori (de quo multa idem Biſciola,) ad vituperationem Helenæ; cuius recantatione, Steſichorum, viſu redonatum, (ſcilicet;) æquè ac Homerum à perito Medico tradunt. Ad rem præſentem ſatis eſt, quod Homero viro doctiſſimo, iam grandi natu, calamitas cœcitatis acciderit.

h T. 1. ſubſec. l. 5. c. 21.

Ingratiſſimè me geram, ſi Pontium Ceuam, & Ludouicum Bellum, duo æui ſui lumina, ſilentio preſſero. Pontio, Salyj noſtri, Collegium Societatis IESV Niciæ ære ipſius conſtitutum debent. Vir fuit, cum probitate & vitæ innocentia, aliiſque præclaris dotibus eximius, tum inſignis præſertim literaturæ, quantum attinet ad Iuris & Canonum peritiam, cui ſe addixerat. Nec poſt contractam cœcitatam, deſiit egregria ſpecimina partæ pridem in eo genere doctrinæ pręberę. Ludouicus Bellus, & vniuerſa vita cœcutiens, & denique prorsùs exoculatus, ea micuit luce mentis, vt vix parem ætate ſua habuerit, in Iuris ſapientia, quam multis annis publicè ſumma cum laude profeſſus, ſcriptis etiam publico datis, & magno apud eruditos in pretio habitis, exornauit. Auenionenſe Societatis IESV Collegium, adeò eſt in Mœcenatis optimi ære, vt nunquam ſit ſoluendo futurum. Tanta ille erga Societatem charitate flagrauit, vt niſi de ea demerenda, iuuãda, tegenda, cogitare, nihil præterea videretur. Sed hoc nunc non ago, tot vt nomina diſſoluere nullo impendio velim. Quanquam recolere viri memoriam, & gratum animum cum fide teſtari, dulce eſt. Quod hîc agitur, illud eſt, peritiam (vt de Auito Vienneſi aiebat Ennodius *) inter eius corporeas tenebras ſe in eo velut in lucidę domus diuerſorio incluſiſſe iam pridem, vt minùs mirum videri potuerit, tam ſuppreſſo corporis viſu, tam perſpicacem animo, tam lynceo interiùs

* *In vita S. Epiphanij.*

teriùs

teriùs obtutu fuiſſe. Num reticendus Ioannes Paſſeratius, qui monoculus cum eſſet, deperdito præ aſſidua lectione altero oculo, planè exoculatus, laudauit cœcitatem, ea lucubratione quę apud Dornauium legitur? Vincentius Armanni, Gulielmus Crippius, Marcus Antonius Bonciarius, Ioannes Borellus, & omnibus illis antiquior, Aſconius Pædianus, eodem loco ſunto. Vlyſſes Aldrouandus portentoſæ vir polymathię, ac diligentiæ & accurationis in ſcribendo eximiæ, cuius quodcunque volumen pro theſauro literario haberi poteſt, deuexam ætatem cœcus exegit. Quo autem te loco reponam charum caput, Domne Maure Marcheſi? Non te ingenium acre ac viuidum deficiebat, non iudicium ſingulare ac elimatum, non facultas ſcribendi nitida & perpolita, non accuratio in librandis & excutiendis omnibus. Tantas dotes, vt fieret ventis pondus, diuina prouidentia ſemper adoranda & reuerenda, vt religioſiſſimæ vitæ tuæ ac compoſitiſſimis moribus, hic merendi cumulus accederet; ac ne æuo noſtro ſuus Tobias deeſſet, cœcitate in medio præclarorum conatuum curſu, veluti luxatas & oblæſas voluit.

Hos & alios, poſt longum ſuperſtite viſu ſtudium, à doctrina labore parta egregiè cōſtitutos, minùs mirum fuit, aduerſo caſu perculſos, ea doctrinę ſpecimina exhibere potuiſſe, quæ retuli. De Cæſare, qui tricenario maior, propè ἀναλφάβητος erat, nec niſi leuiſſimè tinctus eſt humanioribus literis; ſtudia verò ſuperiora vix à limine ſalutauit, omnia alia ſunt cogitanda; ſubſcribendúmque Philoni *, qui allegoricè more ſuo exponens migrationem *in terram panis*, de comparatione ſcientiæ, citra humanam operam ſic diſſerit. [Quid boni defuerit præſente omnipotente Deo, cum filiabus ſuis Gratiis Virginibus, quas incorruptas inuiolatáſque ſeruat in caſtitate genitor? Tunc ceſſant meditationes,

* *Lib. de migratione Abraham.*

la.

labores, exercitia, & naturæ benignitate, ſine arte proueniunt aceruatim cuncta commoda: qui prouentus ſpontaneus rerum bonarum, vocatur *dimiſſio*; quoniam mens dimittitur à ſuis operationibus, & quaſi vltrò manumittitur, propter copiam ingentem more imbris depluentem continuè. Sunt autem hæc miratu digniſſima ob natiuam pulchritudinem. Nam ſi quid anima ex ſeipſa parturit, plerunque abortiuum & immaturum gignitur: E diuerſo integrum abſolutúmque, quicquid in eam diuinitùs impluit.] Confirmat hoc Philo ſuomet experimento; faſſus in ſterilitate mentis, conceſſam inſperatò fœcunditatem maximam, eximiarum conceptionum, ita vt ſe ipſe miraretur. Fides penes ipſum ſit. Ego in Cæſare, eam doctrinæ in ſcholis non hauſtæ originem; haud inuitus agnoſco.

LII. *Viſus animæ, & lumen internum per diuinas viſiones, cuiuſmodi in Cæſare.*

Quandoquidem Prophetas, *videntes*, atque adeò *myſticos oculos* lumine cœleſti perfuſos, dici ex vſu fuit; non deerit qui viſum internum Cæſaris, & lumen tenebris eius corporeis admenſum, referat ad viſiones & reuelationes Domini, quibus futura quàm plurima Deo detegente proſpexit. Eſt enim participatio diuinæ lucis, prænotio futurorum: ita vt iuxta Lactantium *, inde *Diuinationis* nomen tulerit, nec aliter ab hac Dei propria cognitione *Diuinitas*, quàm ab homine *Humanitas*, ſit denominata. Produntur in hoc genere inſignia de Cæſare; ita vt in externi luminis orbitate, longè vlteriùs ferretur obtutus eius internus, præ indita diuinitùs perſpicacia, quàm Strabo ille Plinio † celebratus, poſt Varronem ac Tullium; qui peruidebat centum triginta quinque millia paſſuum; & Punico bello à Lilybæo Siciliæ promontorio, exeunte Claſſe Carthaginis portu, etiam numerum nauium referebat. Nihil hæc proſpectio viſus exacuti, (ſi vera nec commentitia, aut quod veriſimiliùs eſt, dęmoniaca;) ad longè magis diſſitorum, & tempore quoque abiunctorum

* *Lib.* 1, *Inſtit.* c. 11.

† *Lib.* 7. c. 21.

contuitionem, interioribus Cæſaris oculis diuinitùs communicatam frequentiſſimè. Etiam abyſſum quantumvis perſpicacibus humanis viſibus impenetrabilem, cœcus Cæſar, oculis interioribus peruaſit. Sic enim diuina ipſa Scriptura, de corde alieno loquitur. *Prauum*, (hoc eſt profundiſſimum & altiſſimum) *eſt cor hominis & inſcrutabile*, & nulla bolide pertentandum. *Quis cognoſcet illud?* Non alius ſanè præter Deum, aut cui Deus notitiæ ſuæ participationem indulſerit. At Cæſari indulſit, & quidem frequenter: tantáque claritate peruadebat eam caliginem, vt mirarentur quorum intererat, abditiſſimas quaſque latebras ſuas, ab homine cœco introſpici.

Illud ſuauius, & nulla oratione aſſequendum; quod Cæſar Dei erga ſe cor, etiamnum in terris degens, rarò fauore proſpexit. Vocabat *Cor Dei* erga hominem S. Bernardus, * bonam illam Dei voluntatem; illam texturam beneficiorum, à vocatione prima ad poſtremum vſque gratiæ ſtillicidium hic communicatum viatori, vt certò & ſuauiter, (quamvis infallibiliter) pertingat ad gloriam, quam præparauit Deus ante ſæcula. Huius fœlicitatis participationem ſibi aliquandò obuenturam, etiam cum gradus expreſſione, internum ipſius oculum vegetante Deo, proſpexit Cæſar; benignè faciente Spiritu ſancto, vt in tot amaritudinibus quibus inebriabatur, ſtillam ſuauitatis hauriret, qua alacer ſubiret omnia; certus non eſſe condignas paſſiones huius temporis, & momentaneum hoc ac leue tribulationis noſtræ, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. De aliis cœleſtibus coruſcationibus menti eius frequentiſſimè illucentibus, quibus ſupra cōmunem morem colluſtrabatur circa diuina myſteria atq; conſilia, præſtat ſilere, quàm pauca dicere. Itaque ſi quis, hos eſſe dicat interiores oculos Cæſaris, quorum perſpicacitate, (damnato licet tenebris viſu corporeo) frueretur

* *L. 5. de conſider. c. 4.*

frueretur; non erit vnde reuincatur oblæſiſſe veritatem.

LIII. *Dexteritas in negotiis, lux & oculus animæ, in cæcis quibuſdam mirabilis.*

Alios internos oculos, aliámque internam lucem qua in cœcitate tenebríſque corporeis inſtructum Cæſarem dicere liceat, placet non omittere. Inprimis verò prudentiam, quæ lux animæ, & mentis oculus paſſim audit: & meritò, cum præluceat & dirigat, quod munus eſt lucis corporeæ & oculorum. Polyſimon porrò eſt *prudentiæ* vocabulum, nec ſemper eam virtutem ſonat, quæ morum auriga eſt, & honeſtæ cuiuis operationi ex neceſſitate prælucet; (quanquam inter diſciplinæ morum Magiſtros, eſt ea notio receptiſſima;) ſed plerunque ſignificat dexteritatem in obeunis negotiis, etiam circa res adiaphoras atque humanas verſantibus. Qua ratione, filij tenebrarum, ſuperiores prudentia dicuntur filiis lucis: & paſſim commendantur à prudentia, qui ita ſe gerunt, vt ad optatum ſcopum colliment, dextrè declinando pericula, & obices auertendo. In ipſis brutis animantibus, hoc genus prudentiæ ſimilitudinariæ, ad proſpiciendum ſibi, notatur à Scriptoribus ſacris, nec abſque laude, brutis deſtitutis ratione, conſentanea.

Huius prudentiæ ductum, ac veluti oculum mentis, & internum lumen, negare pleriſque corporeo lumine orbatis non licet. Imo in eis, vt plurimum, ſiue quia minùs auertuntur, ſiue quia ſpiritus quos viſio plurimos abſumit, ſunt in cœcis copioſiores, vigere pleniùs hoc lumen intellectus, experimenta confirmant, quæ latè ſtabilit Ioãnes de Gueuara in opere de ſenſu interno,[a] & qui vniuersè defectũ vnius ſenſorij cõpenſari; aliunde, & idcirco cœcos eſſe ingenioſiſſimos, fusè perſequitur Georgius Stengelius in tractatione de Monſtris.[b] Quod dico de hoc interiore viſu in cœcis perſpicaciſſimo, poteſt facilè illuſtrari. Nã vbi maior huiuſce prudẽtiæ opportunitas, imò neceſſitas, quàm in præliis,

[a] Lib. 3. q. 22.
[b] Cap. 16. à §. 10. ad 14.

vbi acies cum aciebus decernunt, & minima deflexio cum vitæ diſpendio coniungitur? At fuiſſe nauos bellatores, planè orbos oculis, proditum eſt, nec vno exẽplo confirmatum. Qui primus *Scipionis* nomen tulit, à cæcitate præ qua Scipionem geſtabat, hauſiſſe eam appellationem dicitur. Sed hoc exemplum non quadrat huic inſtituto. Qui enim *Scipio* dictus eſt, tametſi fuit bellicoſiſſimus, & in præliis verſatiſſimus; tamen neque in præliis Scipionem adhibuit, neque propriæ neceſſitatis gratia Scipione eſt vſus: Sed cum Patrem haberet cæcum, eique eſſet pro baculo, ex inſigni erga ipſum pietate, ſibi velut haſtili innixum ductans, *Scipio* eſt denominatus, vt Liuius *, Fabius †, & Macrobius *, prodiderunt. Itaque hallucinatus eſt, qui cæcis belligeris annumerauit Scipionem. Ioannis quoque Bohemiæ Regis luminibus deſtituti, exemplum, à Spondano celebratum, anno 1339. & Luduci Baouari apud eundem 1426. huc non adduco: quia tametſi ad bella procedebant, vt Reges ſolent, & neceſſarium, certè opportuniſſimum eſſe ad victoriæ comparationem pronunciabat Syneſius †;) Tamen ita ſolent plerique omnes Reges adeſſe præliis, vt ea proſpectent tantùm è loco edito ac tuto, non etiam deſcendant in campum, & cum hoſte confligant; ad quod vnum, ſumma illa, qua de agimus, dexteritas atque prudentia poſtulatur. Itaque aduocandus potiùs eſt in hanc rem, cæcus ille, quem Gulielmus Epiſcopus Pariſienſis *, popularem ſuum; hoc eſt, Aruernum fuiſſe teſtatur: & cum à natiuitate orbus luminibus eſſet, euaſiſſe tamen ait in fortiſſimum bellatorem, & ad ſenectam vſque aſſiduum in præliis fuiſſe: Tandem verò in extrema vita, cum ſe totum addixiſſet pietati, viſu corporeo donatum eſſe, & piè admodùm ac religioſè quieuiſſe. Non ſic Ziſca, & ipſe cæcus, at bellator ſua tempeſtate admirabilis. Eum Baptiſta Fulgoſus †; tantum

* *Dec. 1. lib. 5.*
† *1. Inſt. c. 8.*
* *1. Satur. cap. 6.*
† *Orat. de regno.*
* *2. partis de vniuer. parte 3. cap. 19.*
† *Lib. 3.*

Digitized by Google

to Sertorio & Annibali coclitibus anteponit, quantò mirabilior eſt hominis luminibus planè deſtituti in tot prœliis perpetua fœlicitas, quàm Coclitum frequens ab hoſtibus clades, tandémque exitium. Fuit igitur Ziſca, bellica gloria & conſertis frequenter cum hoſte manibus, clariſſimus: Sed magno ſuo, magno Eccleſiæ malo. Viuus enim multis prœliis attriuit Catholicos, & moriens in peccatis ſuis, (quæ illi à Ioanne Cochlæo * in Huſſitatum hiſtoria, ad annum Chriſti 1427. *Dæmonis corporati* propudioſum titulum conciliarunt;) edixit teſtamento, vt ex pelle demortuo detracta, tympanum conficeretur, in prœliis aduersùs Catholicos, vſui perduellibus Dei futurum, vt ſcribit Albertus †. Verùm dimiſſa tot probrorum & corruptæ in eo fidei infamia; quantæ fuit prudentiæ ſiue dexteritatis, hominem cœcum in tot prœliis manus cum hoſtibus conſerentem, non indemnem modò, ſed etiam victorem è præſentiſſimis diſcriminibus erumpere? Habeatur hoc inter ſimilitudinariæ illius prudentiæ, de qua agimus, oſtenta.

* *Lib.* 5.

† *Lib.* 11. *Vãdal. c.* 9.

Illud verò quo loco ſtatuemus, quod inter huius cœcorum prudentiæ exempla, viſum mihi ſemper eſt adeò ſuſpiciendum, vt niſi palpabili experimento veluti contingeretur, ſuperare fidem videri poſſit. Tactum eſt obiter à Volaterrano, ab aliis autem explicatiùs * traditum. Domus eſt à S. Ludouico IX. conſtructa, & annuo cenſu inſtructa, omninò multis Pontificum Romanorum diplomatibus communita, ac inter cæteros ab Alexandro III. anno 1260. Vrbano IV. anno 1261. Clemente IV. anno 1265. Ioanne XXIII. anno 1412. quem Choppinus † adducit. Degunt in ea domo cœci trecenti, qui dexteritate multos oculatos ſuperant. Vnde de eis Poëta non inconcinnus in ſua Lutetia;

* *Spond. ad annũ* 1250.

† *Lib.* 2. *Monaſt. tit.* 1. *art.* 28.

Capti oculis trecenti habitant, quibus otia fecit.
Indiges ille obiit qui Rex Carthaginis Afra

In caſtris: Regis ſignant hos lilia alumnos
Inſita. ahena ſitu veſtis, per ſtrata, viaſque.
Ancipites, etiam viſus quibus ardua vis eſt.
Ante diem (atra dies nam luce carentibus illis
Cinthius, & fruſtra ſoror, hiſque argentea fulget)
Ad ſacras properant ædes, ter vota preceſque.
Æra merentur ibi paruum & pietate tributum.
Scipio damna illis reparat dux lucis adempta,
Manè ruunt portis Hi nec fax aurea mundi
Phoſphore te expectant roſeos Hyperionis ortus.
Inſtar eis oculi, baculus veſtigia firmans:
Quo duce longa vrbis diuortia multa pererrant,
In quibus erraret centeni luminis Argus.

Manifeſtum puto, eſſe aliquid in his cœcis videns, quo iſti luminibus orbi dirigantur, vt tam dextrè támque appoſitè gerant negotia. Nec abs re ad hanc in cœco dexteritatem extraordinariam retulerim, quod legere memini apud Petrum Seruium l. de vnguento armario * tanquam rem Romæ peruulgatam, quam ipſe quoque Romæ tunc agens, habui compertiſſimam. Ioannes Gambaſſius Volaterranus, à prima adoleſcentia ad vigeſimum vſque ætatis annum, ſtatuariam exercuit. Mox oculis captus, per decennium eſt otiatus. Sed pertæſus denique inertiæ, ex contrectata Coſmi Etruriæ Ducis marmorea ſtatua, fingendam ſuſcepit ſimilem ex argilla effigiem; & adeò labor ceſſit ex ſententia, vt artis miraculum omnibus ſit viſum, nec aliquid poſſet marmoreæ Ducis ſtatuæ ſimilius excogitari. Romam deinde appulſus, ſimili artificio, ex manibus attrectata Vrbani VIII. marmorea effigie, argillaceam exquiſitè putotypo reſpondentem effinxit: ad eúmque modum, Ducis Bracciani, Equitis Gualdi, & complurium aliorum ſtatuas efformauit. Acne fraus ſubeſſet, & iniecta ſimulatæ cœcitatis ſuſpicio excluderetur, in cœco & vndecunque occluſo cubi.

* num. 57.

Digitized by Google

cubiculo,plaſtem agere iuſſus, non minùs affabrè expreſſit effigies quas ſuſceperat effingendas, quàm ſi media in platea laboraſſet. Porrò & in hoc exemplo, & in proximè adducto de trecẽtis cœcis Pariſienſibus, ex adiunctis conſtat, non eſſe exiſtimandum, adeſſe vel quippiam nefarium ex Satanæ panurgia, vt in catello cœco ætate Iuſtiniani de quo Nicephorus *,(abſit tale quippiam hîc ſuſpicari :) vel adeſſe lumen ſupra naturam : quale neceſſariò agnoſcendum cenſeo in duobus cœcis Braſilis, de quibus nuperrimè Franciſcus Gonzales teſtatiſſimæ fidei homo, in relatione de rebus Braſilicæ prouinciæ cuius procuratorem agebat, ad Generalem Præpoſitum retulit. ** Lib. 17. c. 32.*

LIV. *Eiuſdem in cœcis ſolertiæ, exemplum nouũ ſupra naturam.*

Summa relationis erat,eos è regione vltra ducentas leucas abiuncta,ductore nemine, ad oram maritimam quam Luſitani incolunt,iter ſuſcepiſſe, deſiderio euadendi in filios Dei,quod ab Accolis maritimæ regionis præſtari ſibi poſſe inaudierant. Et verè, Deus omnibus quotquot Chriſtum receperunt, & credunt in nomine eius,vitam fidei conformantes,dedit poteſtatem filios Dei fieri. Quæ quanta ſit Dei charitas, & quanta inde accedat fidelibus dignitatis ſublimitas, vt filij Dei nominentur, ſintque reuera quod nominantur, amantiſſimus Domini Ioannes, Chriſtianos obteſtabatur vt conſiderarent. Æſtimatum id ſuis momentis dedi, in Tractatione de cereo Agno † conſecrato, qui eſt ſuſcepti Baptiſmi & collatæ filiationis Dei monimentum. Ad hos igitur hominis noui Natales,ex lauacro aquæ, quod eſt filiorum Dei vterus,) vt Chryſoſtomus * appellauit) & ſacrati perplexique vulua myſterij,in qua homo idem apparens exteriùs,refingitur interiùs in nouũ hominem,vt concinniſſimè attingit Bracharius †; venere tam vaſto quàm dixi terrarum interiectu duo Braſili cœci,ducente nemine. Rogati enim quis eis fuiſſet per tanta locorum

† Cap. 2. 3. & 4.

** Hom. 5. in Ioann.*

† Epiſt. ad Ianuar.

ſpatia

Digitized by Google

ſpatia ductor, negarunt vllum ſe mortalem viæ ducem habuiſſe. Quinetiam non rarò, Vrſos ſibi ac Tigrides, occurriſſe in via affirmabant, à quibus tamen indemnes ſemper abiſſent, ea ad has feras allocutione adhibita; Sinite nos, & cauete nocumentum inferatis, quia adimus templum Dei cœli, vt in filios eius euadamus. Rogati denuò, ecqua ratione homines viſu orbati, beſtias in quas occurrerent, Vrſos eſſe aut Tigrides diſpexiſſent; olfactu abs ſe deprehenſas dixerunt. Et ſanè Braſili, odora vi, etiam canes ſuperant. Sunt Tigrides in Braſilia omninò multæ; vt mirum non ſit, in longo terrarum tractu cœcis ſæpiùs occurriſſe. Tripertitò eas diſtinguunt. Vnum genus pullum ac furuum eſt, brachij humani magnitudine. Alterum maculoſum, iuuencam æquans granditate. Tertium colore rubrum, eiuſdem eſt magnitudinis, ſed tantæ ferociæ, vt bouem vel equum ſiniſtro pede quatiens, hærere cogat atque diſcerpat. Tam infeſtam Braſilis benè oculatis huiuſcemodi ferarum truculentiam, in adeò longo terrarum tractu, euaſere cœci duo, quos Patres Societatis benignè ſuſceptos, ac ritè informatos de Chriſtianis myſteriis, baptiſmate denique initiarunt, ac in filios Dei, (vt expetierant) regenerarunt; vni *Longini*, alteri *Chelidonij* nomine indito. Horum itaque cœcorum, deductionem ad vitæ fontes aquarum, in tanto terrarum decurſarum tractu, tantiſque ferarum diſcriminibus, & aliis viæ continuandæ obicibus, à fluminibus, ſaltibus, locis præruptis, aliiſque remoris quas quiſque facilè peruideat interuenire; nemo prudens dubitauerit, non eſſe naturalis eorum prudentiæ, ſed certum diuinæ ſupernaturalis prouidentiæ argumentum. Cœcum enim eſſe oportet, qui non perſpiciat, naturalem hominum viſu deſtitutorum ſolertiam, ei negotio imparem futuram. Fuit igitur ſupernaturalis directio, per diuinam tutelam, & ſanctorum Ange-

lo-

lorum miniſterium, hos, pro Ethnicis, vitæ innocentiſſimæ homines, (ſic enim proditum eſt) e tenebris regioni eorum incubantibus, ad explendum filiorum lucis numerum euocans. Atque adeò iure præmiſi, hanc eorum ſolertiam, ad iſtud, in quo verſamur lucis internæ caput, non pertinuiſſe: proindéque dimittendam in præſentia eſſe, tanquam altioris ſubſellij, nec naturali in rebus agendis dexteritati in qua verſamur, annumerandam.

Neque verò cauillari aduersùs narrationem propoſitam licet, referendo eam ad opus Satanæ, vt contigit in illo exemplo quod narrat Cantipratanus, acceptum à Bernardo Epiſcopo Lauſanenſi, de cœco qui vaccas totius villæ in paſcuis cuſtodiebat, repellebat à frugibus, & ad lætiora paſcua abducebat: colores verò & ſtatum cuiuſque vaccæ, exquiſitè diſcernebat, apprehenſam cornibus trahens quam quiſpiam petiiſſet certi coloris vaccam. Mirante autem Epiſcopo, cum illhuc fortè adueniſſet, talia à cœco præſtari, ſciſcitatus eſt illum num Sacramento Confirmationis fuiſſet conſignatus; quo negante, ſacro vnguine baptiſmum eius perfecit; nec vltra potuit cœcus, ſe gerere vt priùs faciebat, quia dæmoniaca operatio, vi Sacramenti ſuſcepti, abacta fuit. Nego idem poſſe ſtatui de cœcis Braſilis quos referebam. Nam operatio dæmoniaca in bubulco manifeſtè deprehenſa eſt, ſuſcepto Sacramento Confirmationis, nihil autem tule notatum eſt circa Braſilos, qui cum ea mente tantum iter confeciſſent, vt baptiſmo Chriſtiano initiarentur, non poſſunt dici autorem itineris habuiſſe Diabolum. Itaque neceſſario fatendum eſt, fuiſſe opus diuinæ largitatis, colluſtrãtis ſupra naturã cœcos illos, vt baptiſmi participes fierens. Et ſicut abfuit Satanæ opus, ita neque naturale lumen internum, ſufficere potuit ad eam dexteritatem quam prodiderunt in adiunctis illius itineris: quamvis

Lib. 2. Apũ c. 57. n. 33.

LII verum

verum ſit, in pleriſque cœcis, natura compenſante externi ſenſus defectum, naturalem dexteritatem eſſe præcellentem.

LV. *Quanta Cæſaris in negotiis dexteritas.* Micuit eximiè in Cæſare ea dexteritas atque ſolertia, quæ nomine *prudentiæ* paſſim venit, depoſcitque negotioſam interni viſus perſpicaciam omninò ſingularem; præſertim cum transfertur ad diuina negotia, quibus nunquam à Satana, & a ſeculo, interturbatio deeſt. At Cæſar, & in ſuſcipiendis, & in conficiendis Dei negotiis, miram ſemper dexteritatem probauit; ita vt negotia quæ etiam magni qui ſunt in terra deſperabant, præter omnium expectationem exitu felici concluderet: quod in eius Actis, pleriſque exemplis luculentis ſignatum, illuſtrare prætermitto. Itaque ſi quis hos eſſe internos eius oculos, & lumen tenebris commenſum pro quo ſatagimus, affirmandum putet; à vero non aberrabit, tametſi alia ſunt in quæ congruentiùs ac iuſtiùs ea denominatio cadat.

LVI. *Rectrix prudentia, oculus internus, & animæ lumen.* Eiuſmodi eſt prudentia perſonæ publicæ, ac cœtum aliquem, (præſertim ſacrum) moderantis. Nam in eam rectricem prudentiam, *oculi* ac *luminis interni* appellatio perbellè quadrat. Ægyptij ſanè, Deum vniuerſa prouidentiſſimè moderantem expreſſuri, ſceptrum oculatum exhibebant, Cyrillo teſte *. Optimè. Sceptrum enim regiam ac ſupremam dominationem, oculus verò circumſpicientem omnia, & ritè ſingula dirigentem prouidentiam, ſcitè repræſentat. Indéque Deus Victori Cartennenſi †, *totus oculus* denominatur. [Quid enim (inquit) non videt, qui vbique & totum videt? Da mihi locum in quo non ſit Deus qui totus eſt oculus, & eris in factis tuis, vt tu arbitratis, occultus.] Agit cum impio, qui ex diuinæ prouidentiæ rectricis inficiatione, & quaſi exoculatione Dei ad ea quæ geruntur ſub cœlo, licenter in omni cœno conuoluebatur.

* *Lib. 9.*

† *Lib. de pœnit. c. 4.*

Chriſtum

Digitized by Google

Chriſtum Eccleſiæ rectorem, Cæſarius *, *oculum* vocat, *nulli ſomno ſuccumbentem*. Adſcribitur Cæſario Theophanes Ceramæus, † qui inter varias quas appendit interpretationes illius Euangelici pronunciati, *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus*, hanc profert. [Lucerna nobis & oculus, eſt Chriſtus. Nam lucernam Græci *Lychnum* appellant, quod ſoluat tenebras. Quis autem alius caliginem peccati diſcuſſit, ac cognitionis lumen hominibus largitus eſt, niſi is qui dixit, *Ego ſum lux mundi?* Ipſe enim verè eſt lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quomodò verò hic ſimul ſit oculus & lucerna noſtra, planiùs oratio demonſtrabit. Caput plenitudinis Eccleſiæ, eſt ipſe Chriſtus. Ita enim ait magnus Apoſtolus Paulus: nos verò membra ipſius, & membra de membro. Præſtantiſſimum autem ſentiendi inſtrumentum in capite, oculus eſt. Qua igitur ratione eſt caput, ea etiam oculus eſt, à quo totum corpus Eccleſiæ illuſtratur.] Scitè reſpondet oculo per lucernam expreſſo, fabrica priſcarum lucernarum, de qua Fortunatus Scacchus *. Erant enim forma oculi: quo fortaſſis reſpexit Chriſtus, *oculum* nominans *lucernam corporis*. Chriſtus igitur Eccleſiæ caput & rector, à directrice totius corporis prouidentia, aptè Eccleſiæ *lucerna* vel *oculus* dicitur.

* *Dial.* 4.
† *Hom.* 45.
* *Myroth.* 1.

Æquè, particulares & Chriſto ſubordinati Eccleſiæ Rectores, nomine *oculorum* donati. Itaque quamvis Angelis orbis terræ futurus non eſt concreditus, iuxta Apoſtolum *a*; tamen quatenùs ſub Chriſti ductu ſaluti fidelium præſunt, *oculorum* ſymbolo denotantur. Sic Gabriel & Michaël Angelorum primarij, *orbis oculi* à Niceta *b* appellantur. Et ſeptem ſpiritus, generali orbis terrarum adminiſtrationi præſidentes, ſeptem oculi à Zacharia *c* ſunt denominati, quos ſuper lapidem vnum eſſe dicit, quia Chriſto ſubſunt, ſupremo

a *Hebr.* 2.
b *In eorum Encomio.*
c *Cap.* 3.

Digitized by Google

orbis, (præſertim futuri ſiue Eccleſiæ) moderatori. Videſis præter cæteros Fernandium *d* atque Riberam. *e*

d *Viſio.* 31. *ſect.* 5.
e *In cap.* 3. *Zach.* à n. 44.
f *cap.* 11.
g *Epiſt.* 291.
h *Epiſt. ad Adrianum.*
* *Orat. de eo.*

Inter mortales Eccleſiæ præfectos, protritum eſt *oculi* cognomen, vt Gigas in opere de reſidentia *f* Epiſcoporum obſeruauit. Et idcircò ſummus Pontifex toti mundo oculos ſuos debens *g*, vt Epiſcopi duo apud Sarisberienſem dixerunt, Romanus inquam Pontifex, à Taraſio *h*, quia totius Eccleſiæ curam habet commiſſam, dictus eſt, [oculus totius corporis, oſtendens rectam veritatis ſemitam.] Andreas Cretenſis * S. Titum collaudans, vocat [Cherubicum oculum, os Seraphicum, vigilem obtutum, inſuperabilem myſticæ pernoctationis pro Paſtoris munere palpebram.] Egregiè idem tradit creditus Ambroſius. * Videſis quæ ad huius appellationis illuſtrationem protuli in Onomaſtico Pontificio †. Mihi ſat erit hoc loco, Iſidorus Peluſiota *, qui egregiè hoc illuſtrat, ſic ſcribens ad Eutonium Diaconum. [Quandoquidem oculus vniuerſum corpus moderatur, faciémque exhilarat & exornat, atque omnium membrorum lucerna eſt, propterea velut in regia quadam ſede collocatus eſt, vt qui ſupernam ſedem nactus ſit, aliiſque ſenſibus præſideat. Quemadmodùm enim Sol in terrarum orbe, ſic quoque oculus in corpore eſt. Et quemadmodùm ille, ſi extinguatur, omnia perturbabit? ſic etiam extincto oculo, & pedes, ac manus, & totum penè corpus inutile reddetur. Quorsùm hæc dixi? Nempè quia Magiſter quoque, corporis Eccleſiæ oculus eſt. Quare ſi hic lucidus fuerit, hoc eſt virtutum radiis ſplendeat, totum corpus lucidum erit, vtpotè quod ab ipſo regatur & gubernetur, eámque quam par eſt, curam conſequatur. Si autem tenebroſus ſit, hoc eſt ea quæ tenebris digna ſunt, perpetret, vniuerſum propemodùm corpus obſcurabitur. Nam etiamſi quidam ſunt in membrorum

* *L. de dignit. ſacerdotali c.* 6.
† V. oculus totius corporis.
* *L.* 2. *Ep.* 112.

claſſe

Digitized by Google

claſſe qui rectè valeant, eáq; quæ ipſorum officio conſentanea ſunt, præſtent, nec ex Magiſtri improbitate & nequitia detrimenti quicquā contrahāt; at nihil tantum poſſunt, late nimirùm ac vitio potiſſimas partes depaſcente; reliquóſq; ad præceptoris imitationem extimulante; ac ſanos & incolumes maledica oratione inſectāte; omníque ratione vt ipſos quoque in morbum coniiciat, moliēte. Ob eámq; cauſam dictum eſt, *Si ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, tenebræ ipſæ quātæ erunt.* Velut ſi quiſquam dicat Eccleſiæ, Tyrannicis cupiditatibus deuinctum Magiſtrum habenti; ſi is qui aliis prodeſſe ac lumen afferre debet, ne illuminari quidem ſuſtinet, verùm eos quoque qui prodeſſe inſtituunt, amolitur, qui ſub ipſius imperio ſunt, à quo tādem flagitio abſtinebunt?] *Magiſter* ac *Præceptor*, hoc loco apud Iſidorum, non eſt qui nudè doceat, ſed qui pro imperio dirigat, & cum autoritate erudiat. Ipſéque eſt, quem *oculum*, vel *ſimplicem*, vel *tenebroſum*, à Chriſto apud Matthæum dici, affirmat. Ad quam interpretationem accedunt optimè Gabriel Vaſques *a*, ac Fernandius *b*. Et Analogiam à ſitu oculi, & principalitate inter ſenſus, ac vniuerſi corporis directione petitam, nec non ſimplicitatis myſticæ notionem cum tam multiplici corporei oculi compoſitione Phyſica cohærentem, euoluit accuratè Theophanes *c*. Ex hac oculi myſtici notione, Petrus Cellenſis *d*, Religioſæ domus moderatorem alloquens. [Ecce (inquit) *oculus Monachorum* factus es.] Sed præclarè & fusè in hanc rem Raymundus Iordani ſolo nomine *Idiota*, in vulgato à nobis opere de oculo myſtico *e*.

a 1.2.*d*.40. *cap*.1.
b *Viſio*.13. *ſect*.13.*n*.1.
c *Hom.illa* 41.*initio*.
d *Ep*.29.
e *Cap*.12.

Et verò frequens eſt, vt quibuſcunque regius veluti locus ac dignitas ſupra alios adſcribitur, *oculi* denominentur. Sic Leucippe Virgo, cuius lucubrationum fragmenta exhibuit Achilles Tatius, Encomium Roſæ pangens, cum de ea dixiſſet, quod ſit *prati purpura, terræ*

ornamentum, ſplendor plantarum, pulchritudo coruſcans, talis vt ſi Iupiter Regem floribus dare voluiſſet, alium non conſtituiſſet, compendio perſtringens omnia, vocauit *oculum florum*. Hoc vno verbo, includuntur omnia quæ de regia roſæ dignitate ſupra flores, Anacreon præterea & Sapho cecinerunt. Metropoles quibus ius eſt ac principalitas in cæteras, quia matrum loco fuerant aliis, ex Dionyſio, denique vrbes primarias, *oculos* regionum dictas comperimus: Lyſander Athenas vi & armis cum domuiſſet, vrgentibus pleriſque vt eam vrbem dirueret], committendum negauit, vt ex duobus Græciæ oculis (ſic Lacedæmonem & Athenas appellabat) alter effoderetur. Corinthum eadem appellatione inſignit Tullius agens pro lege Manilia. Sol à Naſone eleganti proſopopœia inducitur, Mundi ſe oculum nominans, tanquam inter aſtra primarium, & per ea regnum quoddam in orbe exercentem. Nicobuli patris nomine, ad filium ſcribens Nazianzenus, in hæc verba votum concipit. *Faxit Deus, vt te eloquentiæ oculum, præceptores habeant.* Hoc eſt præcellentem cæteris, ac ſi per religionem liceret, *eloquentiæ Deum*: quo nomine Secundinus Manichæus S. Auguſtinum, ſcribens ad eum indigetauit. Idem Theologus, Hellen Virginem, *aulæ ſuæ oculum* nominat, & Nemeſium vocat *Iuſtitiæ oculum*. Sic à principalitate inter membra myſtici corporis Chriſti, Apoſtoli iuxta Auguſtinum ad illud Pſaltis, *Oculi mei languerunt præ inopia*, dicti ſunt oculi corporis Eccleſiæ, quia [oculos ſuos Chriſtus dixit membra quæ in ſuo corpore cui caput eſt ipſe, elatiora, eſt eminentiora & præcipua diligebat.] Archidiaconus à principalitate in inferiores miniſtros, Fulberto * *oculus Epiſcopi* dicitur. Aſſeritur id quidem de Diacono, vt videre eſt apud Gratianũ c. *Diaconi* d. 93. Iſidorus tamen Peluſiota, id antonomaſticè de Archidiacono valere docuit, ſcribens in hæc verba [Lucio Peluſij

Lib. 4. hiſt. Rom.

4. Metam.

Pſal. 87.

* *Ep. 34.*

† *Lib. 4. Epiſt. 188.*

Archi

Archidiacono. [Oculi ſunt Epiſcopi, venerandi Altaris Diaconi. Tu verò cum horum ſis, permiſſione diuina princeps, totus oculeus eſſe debes; perinde vt illa, multis oculis prædita animalia.] Itaque quicquid principale in aliquo genere eſt, *oculi* nomine inſignitur, præ principalitate, ac ſi comparatio cum ratione præditis fiat, præ idoneitate ad dirigendum.

LVII. *Quanta in Cæſare ea prudentia.*

Magnus hîc ſe aperit campus, ad excurrendum in Cæſaris laudes, qui ſacrum cœtum quem adunauit & rexit, tanta prudentiæ luce conſtituit, vt meritò eius *oculus* audire debeat. Cogitauit ille quidẽ duntaxat, de ſoluta Religioſi iugi oneribus Congregatione, qualem eodem tempore S. Philippus Nerius, & ante vtrumque Gerardus non vacuo cognomento Magnus, ſub titulo. *Fratrum bonæ voluntatis*, erexit. Stabilitati tamen & optimo ſtatui Congregationis ſuæ conſulens Cæſar, nonnulla adiunxit, quæ neuter, illorum adhibuit. Communiuit item cœtum ſuum optimis legibus, ac piiſſimis inſtitutis: quorum obſeruationi ita inſiſtebat ipſe, vt quod de Moſe dictum eſt à Philone *, præ accurata legis quam promulgarat adimpletione, decalogũ fuiſſe animatum; poſſit de Cæſare aſſeri: quem iure item cum eodem Philone † dixerim, legem fuiſſe pietatis viuam ac rationalem. Præibat omnibus, non tam verbo quàm exẽplo, quæ eſt Rectoris idonei & eo digni nomine, conditio primaria. Idque perſpicientes Græci, moderatorem ſacri cœtus, ἡγούμενον dixere; hoc eſt *præeuntem* atque *præpoſitum*; quia conſtitutus eſt vt ſit forma gregis ex animo: cum ſecularem præfectum ἐξουσίαν denominarint, quia pro poteſtate imperat, & gladium portat, quem obluctantibus intentat, vt Turrianus * animaduertit. Ducem ergò atque præfectum ſe meminerat, ſed ſacrorum hominum, quos in opere Domini ſequentes ducere, non exſolutus ipſe grauare propoſitum ſemper habuit; inſigni rectricis

* *Lib. 1. de vita Moſis.*

† *ibidem, & lib. 2. eiuſdem operis.*

* *Lib. 5. contra Magdeb. c. 9.*

pru

Digitized by Google

prudentiæ qua præfulgebat, ſpecimine. Exquiſitè quoque eam prudentiam probauit, in nonnulla per ſubortos turbines vacillatione cœtus abs ſe conſtituti: ita vt dilabentibus non paucis, cum omnia euanuiſſe viderentur, ſteterint tamen quæ afflante Spiritu ſancto edixerat: tanta prudentia rectionem obiens, vt Congregatio cui aurigabatur, non modò, (quod timendum in tenuibus initiis videbatur,) non defluxerit; ſed etiam hodiéque ex eius inſtitutis floreat, & fructus quos ab initio intulit Eccleſiæ, pergat magno animarum bono, & diuinæ gloriæ prouentu importare. Hos ſi cœci Cæſaris internos oculos, & lumen pro externarum tenebrarum proportione inſigniter micans, quis dixerit; nihil dicet non veriſimillimum.

LVIII. *Prudentia iuſtorum oculus, ac lux animæ, in Cæſare eximia.*

Quæ propriiſſimè *prudentia iuſtorum* audit, dirigítque ex cœleſti rubrica ſingulas hominis operationes ad ſcopum ſupernaturalem, micuit in Cæſare perfectiſſimè. Quo nomine, ſecùs illi quàm Adamo accidit, qui iuxta S. Paulinum *, cœcatus pariter eſt, & malè luminatus. [Nam qui in naturali bono, (id eſt à natura acceptæ limine, tametſi affulgente ſupra naturæ nudæ conditionem Deo,) oculos mentis, apertos innocentiæ, & iniquitati clauſos habebat, lethalem prudentiam de màli boníque delectu, de infauſti nemoris interdicti cibo, cœcatus pariter, & malè luminatus hauſit.] Dolebat vir optimus, in ſuos qualeſcunque defectus penitiſſimè inquirens, quod malè æmulatus Adamum, internos ipſe quoque oculos, malè luminatus amiſiſſet, addens. [Propterea iuſtè illos innocentiæ oculos quibus malum non videbam, perdidi; & iſtos inuicem quibus peccatum agnoſcitur, in pœnam conſcientiæ iniquitatis accepi. Nam & vidiſſe primos generis humani parentes, & non vidiſſe, Scriptura declarat. Vidit enim mulier arborem, quod bona ad manducandum, & grata erat oculis ad videndum. *Vidit* (inquit.)

* *Epiſt.* 8.

Digitized by Google

(inquit.) Ergò habebat oculos. Et quid deinde ſubtexit? *Cum manducaſſent,* (inquit) *aperti ſunt oculi eorum:* Ergò cœci fuerant: Vnde aduertimus? quoniam non poteſt in eodem corpore, ſimul conuenire cœcitas, & viſus oculorum. Sed certè eſt quoddam cœcum in nobis etiam videntibus; & è contrariò, etiam in cœcis videns. Propter quod arbitror, illud à Domino eſſe dictum; *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant; & qui vident, cœci fiant:* Venit enim in hunc mundum, quærere quod perierat, & reluminare quod cœcatum fuerat. Denique huius medici egens homo, in Propheta clamat, *illumina tenebras meas Domine.* Etenim miſericors & miſerator Dominus, qui in tenebris cœcitatis humanæ, lumen exortum eſt, vt erigeret eliſos, ſolueret compeditos, illuminaret cœcos, quomodò cœcandis videntibus venerat? Atqui in Euangelio docemur, illum multis cœcis viſum redonaſſe, nemini ſuſtuliſſe. Sed ſicut ſcriptum eſt in lege, *Ego occidam, & ego viuere faciam;* ſicut etiam in Euangelio, quia *ipſe poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum;* ita & illud eſt, *In iudicium veni in hunc mundum; vt qui non vident, videant, & videntes, cœci fiant, &c.* Sic ergò venit, vt illuminarentur cœci, & cœcarentur videntes; vt oculi noſtri qui in tranſgreſſionem aperti fuerant, cœcarentur; & viciſſim qui cœcati fuerant, aperirentur. Benè enim cœcus ſum, ſi non video peccatum; & benè oculatus, ſi, cerno iuſtitiam. Ora ergò mi frater, vt vtrúmque in me operetus Dominus. Cœcet videntem me, ne videam vanitatem; & illuminet non videntem, vt videam æquitates.] Expreſſit apertè Paulinus, Origenem *, exponentem oculos Balaam, qui *reuelati* dicuntur; Et iuxta vtrumque, meliore omninò (vt præmittebam) conditione, Cæſar fuit in cœcitate ſua interiùs oculata, quàm Adamus, malè ſimul cœcatus & luminatus, vt eiuſdem Paulini vocem

* *Hom. 17. in Num.*

retineam. Tametſi enim non eſt Adam, phyſicè loquendo, creatus cœcus; (vt ſtultè viſum eſt nonnullis, referente D. Auguſtino †) tamen aperti dicuntur eſſe eius oculi; cum ex conſpectu nudi corporis priùs innocuo, & (vt cum Tertulliano loquar) impudorato, percepta membrorum rebellione, vidit quò deueniſſet, & quanta fœlicitate miſerabiliter excidiſſet; eos oculos tali apertione luminum perdens, quibus iuſtitia conſpicitur, vt S. Paulinus philoſophabatur. Cæſar è contrario, obſtructis per cœcitatem corporis luminibus, interno viſu, veluti admota cœleſti chelidonia, perſpicaciore & acutiore eſt potitus: creuit enim in eo vis interni viſus, pro defectu viſus externi. Quod illuſtrare eadem ratione licet, qua Socrates in Platonis conuiuio Alcibiadem de Senilibus oculis admonuit. [Tunc (inquit) mentis oculus acutè incipit cernere, cum primùm corporis oculus defloreſcit.] Nimirum ſenes præ experientia diuturna, & turbidorum motuum reſtinctione, prudentia valent, & eatenùs dicuntur interiorem oculum habere perſpicaciorem. Non diſſimiliter itaque Cæſar, cœleſtium experimenta capiens in ſua caligine longè frequentiora; & ſubducto per cœcitatem, affectuum fumidorum mentem exoculantium fomite, interno lumine abundauit; pérque illud, operationes ſuas omnes, rectâ direxit in propoſitum homini ſcopum: quæ veriſſima eſt, & in ſcripturis iure celebrata iuſtorum prudentia; ac ille *ſimplex oculus* interior, vniuerſum corpus luce inde promicante perfundens, iuxta Chriſti oraculum. O verè obſcuram claritatem, iuſtiùs celebrandam, quàm cui nuperus Poëta * longum carmen addixit.

† *Lib. 1. de nup. & concup. c. 5.*

* *Ludou. Alcalmus.*

LIX. *Cæſar cum SS. cœcis, interiùs oculatis, hac ex parte compoſitus.*

His internis oculis inſtructus Cæſar, tametſi orbus externis, imitatione expreſſit pleroſque Sanctorum, queis æquè corpore cœcis, Deus perſpicaces animi oculos ſingulari munere contulit: ita vt affirmari de

vno

vnoquoque eorum poſſet, *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius*. Non prætergrediar Chriſtiana tempora, ideóque de S. Tobia ſilebo. Inter Chriſtianos, annotatos mihi alibi cœcos non paucos memini, quos ex parte ſignauit Raderus †. Sed talis nominatim Ioannes ille Ægyptius, martyr ſanctiſſimus, ad cuius internos oculos, & mentis lumina obſtupefactum ſe Euſebius * tradit; cum audiſſet quæ ab eo ex ſcripturis, de memoria perinde ac ſi de libro recitaret, copioſè & citra laborem expromebantur. Conſors cœcitatis & interni luminis, Ioanni fuit Pigmenius, qui Iuliano deſertori cœcitatem exprobanti, repoſuit; imò verò fœlicem ſe eſſe, cui per cœcitatem negaretur contuitus nefarij eiuratoris Chriſtianę militiæ, & dati Chriſto Sacramenti. Id quod etiam à Mari Chalcedonenſi, Iuliano repoſitum, habet Socrates †. Pertinent ad eandem ſeriem, calamitatis eiuſdem corporeæ participes, ſed interno lumine abundantes, ſenex in Sciti apud Moſchum * Remigius in extrema ætate, Goërius, Spes Abbas, Aquilinus Comes, Engelbertus Cæſario Heiſterbachienſi * laudatus, Amyrardus, Pandulphus, Lutgardes, Lucia Virgo Germanica, & alia de qua Moſchus †. Nec illum præterire debeo, qui à viro magno Ioanne de Montmiral, poſtea inter Ciſtercienſes ſanctitate celeberrimo, iuſſus cœcari propter demerita; in ſe reuerſus, non ceſſauit reliqua vita, cœcatori ſuo gratias agere, vt Beati illius viri acta teſtantur. † Sed neque ille prætereundus eſt Sanctus Monachus, Petro Damiani * iure celebratus, qui corpore cœcus, [duobus in animæ quaſi facie oculis, charitate & patientia reſplendebat, quandoquidem iniuſto exoculatori, perinde ac benefactori inſigni, ad omne miniſterium præſto eſſe popoſcit, & exorauit. Franciſcus Grottus Senenſis, opificio coriarius, primum ludo & ganeis addictiſſimus; ac vitæ vſque adeò profligatæ, vt abſumpta omni pecunia, ipſos

Lib. de pietate ſpeciali punc. 12.
† *Parte 3. Viridar. c. 3.*
* *3. Hiſt. c. 21.*
† *Lib. 3. c. 10.*
* *Cap. 169. Prati.*
* *Lib. 6. c. 19.*
† *Cap. 96. Limon.*
† *L. 2. vita Ioan. c. 7.*
* *Opuſc. 51. c. 13.*

ſuos oculos luſui expoſitos vellet vt oculorum facto-ri ſtomachum moueret, ad tam turpis blaſphemiæ eruptionem cœcitate multatus, denique reſipiſcens? in eximium ſeruum Dei euaſit, ac denique lumine eſt redonatus ſcribunt Raziuſio & Lombardellus.

de ſanctis rnenſ.

Non ſum adeò in tempora noſtra iniquus, vt nullos à ſanctimonia claros cœcos, ea illuſtraſſe velim. Quantus enim nuperus Damianus Amangucianus, qui Chriſtianam fidem fuſo ſanguine obſignauit? Alia pleraque recentia exempla ſciens prætereo, vt vnum quod verè illuſtre eſt nec adeò obuium, paulo diffuſiùs attexam. Ioannes à S. Sanſone inter Turonenſis Prouinciæ Carmelitas Laicus, ſed qui illud de ſe ad veritatem dictum de Laicis Hypermiſticis comprobarit, *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*; ideſt iuxta S. Gregorij * gloſſam, carens alis humanæ literaturæ, agit cum Deo familiariter. Is inquam frater Laicus, cum circiter bimulus, ex variolis, lue puerili, cœcatus eſſet; parentum tamen cura, (nam ex nobili inter Senonenſes familia ortus erat) non modò Muſicos numeros eſt edoctus, ſed etiam literis humanioribus imbutus. E patria digreſſus, Luteciam primùm appulit. Vnde hauſtis excelſioribus ad pietatem animis, in Dolenſe Minoris Britanniæ Carmelitanum cœnobium ſeceſſit, cooptandus in eam ſacram familiam; in qua per annos complures vixit abſconditus cum Chriſto in Deo; iugis in oratione, ſancto ſui odio incenſiſſimus, paupertatis & abdicationis rerum omnium exquiſitæ; cunctarum denique virtutum accurata exercitatione, domeſticis æquè ac externis raro planè exẽplo, cuius fragrantiam auxit operum ſupra naturam, auſpice Deo, poteſtas ſingularis, in morbis corporum perſanandis, depellendiſque ſpiritalibus nequitiæ, frequenter prodita. Quæ cauſa fuit, cur occœpta Ordinis ad priſtinam formam reuocatione, Redonas Armoricæ

** 6. mor. cap. 4.*

Britan

Digitized by Google

Britanniæ caput euocatus, quod ibi iacta eſſent inſtaurationis ſacræ familiæ fundamenta, Laicus cœcus, in erudiendis ad omnem ſanctimoniam & religioſæ perfectionis accurationem videntibus, reliquum vitæ curſum abſoluerit. Itaque infigendum eſt cuiuis, cœcitatis, (quando ita Deo viſum eſt) plagam perpeſſo; verè dici poſſe a; *Cæcum, non eſſe probri nomen, ſed laudis; vnde placlarum nomen Scipionum*, autore Macrobio. Ego illa ipſa referre volui, vt recenti hoc exemplo conſtaret; cœcitatem, ſicut nihil anteriorum Sanctorum quos ea calamitate affectos vidimus, ſuperius, viſui interno incommodauit, ita neque poſterioribus temporibus, ſtudia cœcorum perfectionis Chriſtianæ apicem capeſſentium, eſſe remoratam. Cum his cœcis videntibus aliiſque ſimilibus externo viſu deſtitutis, ſed interterno lumine affatim inſtructis, cœcis ſimul & ritè oculatis, in numerum iungi Cæſar poteſt, qua fuit præcellenti iuſtorum prudentia, & in Deo rectâ vbiuis contuendo, perſpicacitate.

a *Lib.* 1. *Satur. c.* 6.

LX. *Et cum Sinenſi Cathecumeno ad ſolum cœlum oculato.*

Niſi potiùs cum eo Sinenſi componendus videatur, quem datæ anno 1607. ex Sinis literæ, inſolito diuinæ beneuolentiæ argumento, cœcum ſimul ac videntem fuiſſe confirmant. De ſuſcipiendo Chriſtiano baptiſmo, fidem dederat: ſed ea mox violata, perſtandum in errore conſtituerat; eámque leuitatem aliquoties repetiiſſe proditur. Ita verò afficiebatur viſu corporeo, quoties malè mentem mutaret, vt cœlum quidem liberè & expeditè conſpiceret; ad omnia verò cœlo inferiora, cœcus eſſet. Felicem profectò cœcitatem, quam obtigiſſe Cæſari, extraordinaria Dei benignitate, profiteor. Ad inferiora quæque cœcutiebat atque tenebrabatur; ad cœleſtia & diuina erat oculatiſſimus. Agnoſcebat diſtinctiſſimè, quanti eſſent cœleſtia: quæ ſubtus cœlum ſunt, non videbat, quia nullo ei erant

loco. Perſpiciebat acutiſſimè, quæ ſunt ſuper terram, æterna eſſe; quæ terrâ continentur, tanquam fluxa & nihil, clauſis oculis tanquam deſpectu digniſſima prætеribat. Regna & gentes, ac orbis terræ vniuerſus, illi erant velut ſtilla ſitulæ, aut ſicut atomus inconſpicabilis. Humana quæcunque diſpendia, præ Deo, qui iuxta S. Macarium * *verum ac ſummum lucrum noſtrum* eſt, quaſi nihil deſpiciebat. Cicadas in diem ſtrepentes, (ſic vocat S. Ambroſius † mortales humana & terrena cogitantes) adeò non morabatur, vt diem hominis à tam multis adeò ardenter deſideratum, conſpectui ſuo negatum gratularetur. Non videbat quanto apud omnes eſſet in pretio, præ inſigni virtute adeò durè exercita per tot vexationes; quarum grauitatem præ incenſiſſima conformandi ſe Deo voluntate, ne attendebat quidem; cum alij ad eas ſolo viſu vel auditu perceptas, exhorreſcerent.

*Hom. 33.

† Epiſt. 6.

Etiam ipſius corporeæ cœcitatis, leue ac nullum eſſe incommodum, ducebat. Itaque non quod Dydimo accidiſſe vidimus, dolebat vicem ſuam, iiſque ſe oculis deſtitutum lamentabatur, qui ſunt homini cum muſcis & formicis communes. Sed lætabatur potiùs, ſe à periculoſioribus quos habuiſſet hoſtibus, (ſic oculos nominabat) Dei benignitate liberatum. Et quanquam Tullius *, ſoli Polyphemo, inter varios quos recenſet priſcos cœcos, dolorem & eiulatum pro contracta cœcitate adſcriptum refert; tamen & alios addi poſſe conſtat; vt Catulum Meſſalinum, Polymæſtorem. Et vt æquanimes fuiſſent alij, eo ſaltem vicit illos omnes Cæſar, quod oblata ad curandum ocularium vnguem gratuita remedia, non admiſit; nec vnquam adduci potuit, vt preces funderet pro viſus recuperatione: adeò in diuina voluntate acquieſcebat, peruidens quanti eſſet, ad omnes Dei nutus fingi creaturam, & quantis malorum illecebris ſubductus eſſet, per eam calamitatem.

* 5 Tuſc.

tem. Crediderim, ſi reueniſſet diuino munere videndi facultas, imitaturum Audomarum, ſiue Othmarum, & piam cœcam, in S. Brigidæ Actis memoratam; quibus, reſtituto diuinitus viſu carere dulce fuit, ne patentes oculorum feneſtræ, paci mentis & nitori incommodarent, vt attingere iam ſupra memini. Nullum horum, ſiue incommodorum, ſiue bonorum videbat Cæſar, eo quod ad terram attinerent.

Solam mortem, quia ianua ad cœlum eſt, & patens æternitati oſtium, habebat perpetuò ob mentis oculos: & quod Siracides* in Ezechiæ laudibus ponit, ſpiritu magno videbat vltima. Non quod pleriſque accidit mortalium, horrebat ad mortis memoriam: ſed qua vix vlla eſt ſalubrior cogitatio ad cœlum per hanc viam aſpirantibus, ſubiiciebat mentis oculis aſſiduè, conſecuturum aliquandò vitæ finem. Eamque ob cauſam, quoties lectum peteret conuoluebat circùm ſe ſtragula, vt ſpeciem cadaueris in feretro diſpoſiti præferret: Crucem ſinui immittebat, & luſtralis aquæ vrceum cum aſpergillo, apponi ad lecti ſpondam curabat; vt circa mortuos ſeruare, ex vſu eſt Chriſtianorum. Quàm non pauebat ad mortis commemorationem, qui eius mentalem, (vt poterat) præſentiam, his monimentis aduocabat; ſanctiùs quàm Pythagoræi, quos ex præceptoris inſtitutis, tanquam ad abeundum paratos, colligaſſe quotidie ſtragula proditum eſt*. Hoc illi philoſophicè, tanquam gloriæ animalia, ad aucupandam popularem auram, & tumidum nomen ſapientum, factitabant. Cæſar idipſum, ſed Chriſtianè & piè præſtabat, mortem agnoſcens æternitatis aditum & cœli oſtium; quò mentales eius oculi ad inferiora clauſi, luce diuina perfuſi defigebantur.

** Cap. 48. Eccleſiaſtici.*

** Stobæus in Eclog. phyſ. c. 40.*

LXI. *Studium Cæſaris de tutando &*

Summa illi & vna huius interni cœleſtium viſus, tutandi & acuendi ſollicitudo. In quam rem, habens altè infixam animo Petri Damiani Philoſophiam, de

vaga

acuendo interno viſu. *† Lib.2. Epiſt.5.*

vagatione mentis per *multa hæc* inferiora, obtenebrante viſum cœleſtium; collectionem animi in vno; quod verè vnum eſt, quàm ſtudioſè captabat. Transfert huc Damiani, exoculationem Sedeciæ in Reblata. [Nō alibi (inquit) ſed in *Reblatha*, Rex Babylonis, Sedeciæ filios trucidauit; & poſt, eiuſdem oculos eruit. Rex quippè Babylonis, eſt antiquus hoſtis, poſſeſſor intimæ confuſionis, qui priùs filios ante intuentis oculos trucidat; quia ſæpè ſic bona opera interficit, vt hæc ſe amittere, ipſe qui captus eſt, dolens cernat. Nam genuit plerunque animus: & tamen carnis ſuæ delectationibus victus, bona quæ genuit, amans perdit. Ea quæ patitur damna conſiderat, nec tamen virtutis brachium contra Regem Babylonis leuat: ſed dum videns, nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccando perducitur, vt ipſe quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonis Rex, extinctis priùs filiis, Sedeciæ oculos eruit, quia malignus ſpiritus, ſubductis priùs bonis operibus; poſt, intelligentiæ lumen tollit. Quod rectè Sedecias in *Reblatha* patitur. *Reblatha* quippè, *multa hæc* interpretatur. Ei namque rationis lumen meritò clauditur, qui ſanctæ quietis rigore poſtpoſito, per negotia mundana raptatur. Iure in *Reblatha* cœcus efficitur, cum contempto vno, per multa vagus & impatiens animus diſſipatur.] Profecit ex S. Gregorio *, vt non ſemel alibi: niſi quod S. Gregorius, illud *multa hæc*, vbi exoculatus eſt Sedecias, refert ad multitudinem iniquitatum, è qua plerunque exiſtit mentis obſcuratio & cœcitas, iuxta illud D. Auguſtini †, [Aliqui flammam intelligentiæ, peruerſitate morum extingunt.] Nec infrequenter per vitam corruptam & multitudine peccatorum inquinatam, deueniri in tantam cœcitatem, vt Deus ipſe non videatur, notauit Clemens Alexandrinus *. Quod aliis verbis expreſſit alter Clemens †, cum dixit; aliquibus criminum

** Lib.7. mor.c. 16.*

† tract.8. in Epiſt. Ioan.

** Lib. 3. ſtrom. c.4.*

† Lib.1. recog. ferè initio.

Digitized by Google

num multiplicate & grauitate, veluti copioſo fumo ex concupiſcentiæ igne ſubuecto, ita impediri oculos internos, vt non videant an ſit Deus. Imò cum antonomaſticè impio, in corde ſuo dicant, *non eſt Deus.* De hac ergò peccatorum grauium multitudine, inducente mentis caliginem, eámque exoculationem internam quam Apoſtolus adſcribit iis qui tenebris obſcuratum habent intellectum, excœcati à Deo huius ſeculi; S. Gregorius interpretatus eſt, *multa hac*; quæ eſt notio nominis *Reblatha*, vbi Sedecias luminibus eſt orbatus. Petrus autem Damiani, illud *multa hac*, retulit ad vagationem per multa, quæ inducit obtenebrationem viſus interni, quia mentis oculum affuſo puluere obſtruit; & ſimplicitate prohibens, ob immiſſam illi mixturam, totam hominis animam efficit tenebroſam, iuxta Chriſti oraculum. Conteſtabatur id quoque Theobaldum Pariſienſem Epiſcopum Petrus Cellenſis †, cum diceret, deflés ob fluuium occurſantium cauſarum qui tranſvadari non poterat. [Breues ſunt dies iſti ad lucendum, grandes & graues ad occupandum, ita vt non ſufficiat dici, malitia ſua. Nouit prudentia veſtra, non concurrere quietem contemplationis, & diſtenſionem mentis per occupationes ſeculi. Coangustatum eſt pollium; vtrumque operire, imo vtrumque operari non valet. Quamvis enim in fronte, duos quis habeat oculos, tamen ab vno eos officio diſiungere non valet, vt altero cœlum, altero contueatur terram: quanto minùs vnam rationis & ingenij aciem, ſimul ad tam diuerſa porrigere poterit, vt eadem mente cœleſtium myſteria, & terrenorum cauſas diſcutiat? Sic Domine, ſic Pater clariſſime, ſaltem niſi clauſero, ne dicam, niſi eruero oculum qui me ſcandalizat; (ſcandalum enim eſt mundus, quærentibus Dominum;) reuelata facie gloriam Domini, ſiue faciem Moyſi ſplendidam, non contemplabor.] En quàm

† *Epiſt.* 21.

obturbet internum animæ viſum, diſtenſio in varias ſeculi curas,& quæ negotia vocantur, maiorum nugas; vt memini pronunciare Auguſtinum *. Quare Cæſar, viſus corporei negligens,at ſollicitus de retinendo & acuendo viſu interno; non modò à multitudine peccatorum,(etiamſi minutorum)diligentiſſimè,quantum fas erat, abſtinebat; (grauia, & multa & pauca, atque adeò omnia,per Dei gratiam, pridem à ſe ablegarat;) ſed etiam vagationem mentis per multa, aduerſantem defixioni in vno perfecto quod Deus eſt,& præpedientem viſus interni ſynceritatem, quàm ſtudioſè deuitabat;ne quod Sedeciam ad *multa hæc*,corporeo viſu excipere contigerat;in pretioſiore,hoc eſt interna viſus facultate, quæ abſconditum cordis hominem oculat, pati cogeretur. Itaque mirum non eſt, viguiſſe in eo viſum animæ, obſtructis licet corporis oculis,intercludente cœcitate.

** Lib.1. confeſ.c.9.*

LXII. *Fidelium paſſim incuria, ea in parte.*

Non ſic Chriſtianorum plerique,à Cæſaris vſu longè abhorrentes. Oculos enim mentis, non modò debilitant,& infirmos reddunt,auertentes eos ad videndam vanitatem,cum eſſent nitore, puritatéque cœleſtium obiectorum amœnandi ac roborandi; ſed etiam functione ſua prohibent, præ fumo à negotioſa cupiditate ſubuecto, vt præclarè de more in hæc verba philoſophatur S. Chryſoſtomus †. [Nónne vides, etiam corporis oculos cum in fumo fortè remorantur, lachrymas ſemper effundere; ſi verò potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, ſaniores eſſe, multóque maiore aciei fulgore rutilare? Talis profectò eſt & mentis oculus. Si enim in pratis ſpiritalis paſcatur eloquij,erit totus ſine dubio purus ac lucidus, & acutiùs cuncta perluſtrans. Si verò in fumum ſecularium negotiorum fuerit ingreſſus, ad innumera prorsùs mala lachrymabitur ac flebit: & in hoc quidem

† Hom. 2. in Matth.

Digitized by Google

dem ſæculo, ſed multo amari... in futuro. Fumo enim ſunt humana negotia comparanda. Propterea & ille ait, *defecerunt ſicut fumus dies mei.* Sed ille quidem de breuitate, hoc, & fuga quadam huius dixit ætatis. Ego verò non ad hoc ſolùm, verùm etiam ad turbulentiam rerum præſentium, dici poſſe, iſtud accipio. Nihil enim ita oculos animæ contriſtat ac turbat, vt ſecularium turba curarum, & quaſi obuolantia quædam multiplicis cupiditatis examina. Hæc enim ſunt iſtius fumi ligna. Nam ſicut ignis iſte communis, vbi humidam corripit conſperſámque materiam, plurimùm ſine dubio fumum ſuſcitat: ſic etiam concupiſcentia, vehemens illa prorsùs ac flammea, quādo humentem alicuius ac paluſtrem corripuerit aimam, multum in ea fumum gignit ac nutrit. Propter hoc etiam, rore opus eſt Spiritus ſancti; & potentis illius auræ flatu, vt huiuſmodi extinguat ignem, fumúmque diſpergat; & cogitationem noſtram, expeditam reddat & volucrem.] Quod ſi ſola vehemens & flammea cupiditas, vagans per *multa hæc*, etiamſi non ſemper exitialia & grauiter mala, excitato vberi fumo, ſuffundere apta eſt mentis oculos, & internum viſum præſtinguere; quanto id validiùs præſtabit, ſollicitudo & occupatio erga plurima; quibus ob adiunctæ malitiæ granditatem, non iam quaſi Feſtucis præpediantur interiores oculi, ſed planè veluti trabibus immiſſis, (vt Hipocritæ de Euangelio accidit,) obſtruantur?

Vtinam nullos tales cœcos haberet Eccleſia; Vtinam paucos. Qui enim huiuſmodi ſunt, cœcos eſſe, quamvis Eccleſia ſit *domus lucis*, & *locus videntium*, tradit inſigniter S. Gregorius *, tractans illud Iobi, *Nouit peccata eorum, & idcircò inducet noctem, & conterentur.* Multa enim præfatus de ſubſequente peccato, quod eſt pœna præcedentis, concludit. [Igitur quia peccatis præcedentibus cœcatur oculus cordis, ipſa cœcitas

* *Lib. 25. mor. c. 13.*

Digitized by Google

quæ peccantis animum ex anteactæ culpæ damnatione confundit, meritò *nox* vocatur: quia per hanc, ab oculis delinquentis lumen veritatis abſconditur. Benè itaque dicitur, *Nouit enim opera eorum, & idcircò inducet noctem, & conterentur*; quia vt ſæpè dictum eſt, præcedentia nimirum mala faciunt, vt ad peccandum iterum, tenebris ſubſequentibus inuoluantur: vt eo iam lumen iuſtitiæ videre non poſſint, quo illud & quando poterant, videre noluerunt.] Continenter autem Iobi ſententiam explanans, de iis quos Deus *quaſi impios percuſſit in loco videntium*, præfatus, propriè impios eſſe infideles, & ab Eccleſia extorres, addit. [*Locus videntium*, ſancta Eccleſia vocatur. In ipſa enim rectè conſiſtitur, vt lumen verum quod Deus eſt, videatur. Vnde ad Moyſem dicitur; *Eſt locus penes me, & ſtabis ſupra petram, cum tranſiet mea maieſtas.* Eſt poſt paululùm. *Auferam manum meam, & videbis poſteriora mea, &c.* Dicatur ergò de his, quos intra ſanctam Eccleſiam diuina vltio inuenit in iniquitatibus perdurantes; dicatur de his quorum vitam Paulus Apoſtolus notat, *qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*;] *quaſi impios percuſſit eos in loco videntium.* [Ibi quippè ſtabāt, vbi Deum videre videbantur. Ibi tenebras dilexerunt, vbi lumen veritatis aſpicitur: Et quamvis apertos habuerunt oculos in fide, tenuerunt tamen eos clauſos in opere. Vnde benè & de Iudæa dicitur; *ſpeculatores eius, cæci*; quia videlicet non videbant opere, quod profeſſione cernebant. Vnde etiam de Balaam ſcriptum eſt; *qui cadens apertos habet oculos.* Cadens quippè in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione. Ita ergò hi etiam, oculos aperientes in fide, & non videntes in opere, intra Eccleſiam profiti pia ſpecie, extra Eccleſiam inuenti ſunt impia conuerſatione.] Rectè componuntur iſti in loco videntium cæci, cum Balaam; qui & apertos oculos cadens habere

Digitized by Google

bere dicitur *, & ſimul obturatis eſſe luminibus. Sic enim ipſe de ſe. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus, dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt; qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius.* Idem contingit iis, qui (vt Origenes † loquitur) melioribus oculis non vident; ſed iis tantùm qui ſenſus carnis appellantur, & in conſilio ſerpentis aperti ſunt. In quam ſententiam idem Origenes accipit illud. *Quis fecit videntem & cæcum?* Nec non illud. *Videntes videbitis, & non videbitis.* Sunt enim oculi, quibus cœci vident, & quibus videntes non vident. Similiter etiam accipit illud Chriſti. *In iudicium veni ego in hunc mundum, vt non videntes; & videntes cæci fiant*: quia in peccatoribus, non vident illi qui meliores ſunt, interni videlicet quos corporea cœcitas nequaquam occludit; ſed potiùs aptat, vt cernant acutiùs; ſola peccati tenebricoſitas offundit, & contuitione prohibet.

* *Cap. 24. Num.*

† *Hom. 17. in Num.*

LXIII. *Inde tam multi in loco videntium cæci.*

Quàm multi igitur ſunt in Chriſtiana Eccleſia cœci? quàm multi, integro corporeo oculo manu tentantes, & ad vidēdum melioribus luminibus impotes? Scatere orbem huiuſmodi cœcis, vtinam difficile eſſet per vincere. Cheridus apud S. Paulinum *, impacti vnci ferrei cuſpide trina confixus oculum, hanc malè vtentium corporeis viſibus cœcitatem agnoſcit, & eſſe intus corde tenebroſos, iuſtis rebus cœcos, iniquis oculatos profitetur. Pleniùs in eandem ſententiam diſputat, agens cum Autolyco Ethnico, Theophilus Antiochenus *. Vrgenti enim *Oſtende mihi Deum tuum*, reſpondet Theophilus. [Animi tui oculos præbe videntes. Quemadmodùm enim oculis carnalibus humanæ vitæ actiones apprehendimus, probantes ea quæ inter ſeſe differunt; ſiue lucem, ſiue tenebras; album, aut atrum; pulchrum, aut turpe; commenſurabile aut incommenſurabile; id quod ſuis numeris

* *Natali 7. S. Felicis.*

* *Lib. 1. initio.*

aut conſtat. aut diſtat; aut quod partibus excedit; aut mutilum eſt, ſiue defectum patitur; ſic ſe res habet quod attinet ad animi oculos, ſi id quæritur vt Deum aſpicere poſſint. Nam Deus non ab omnibus videtur, verùm illi ſoli eius aſpectu frui poſſunt, quibus datum eſt: iis nempè qui animi oculos afferunt, non clauſos, ſed apertos. Omnibus quidem ſunt oculi: at quorundam adeò ſunt obſcurati, vt Solis lucem intueri nequeant. Cæterùm non propterea ſolares radij fulgore carent, quod à cœcis non videntur: imò ſeipſos, & ſuos oculos potiùs culpent cœci. Pari ratione, ô homo, animi tuis oculis offuſa eſt caligo, cuius cauſam nullam aliam, quàm tua ſcelera & peccata, dicito. Vt ſpeculum ſpendidum, ſic hominis animum purum & mundum eſſe oportet. Si rubigo inuaſerit ſpeculum; quod hoc patitur, idem & tibi accidet, vbi peccatũ te occupauerit. Talis vt dicã, quod ſentio, Deũ cernere nequam valebit. Si itaque deſideras, vt Deum meum tibi ob oculos ponam, primùm peto temetipſum mihi oſtendas; vt ſciam ſiſne adulter, ſcortator, fur, raptor, ſpoliator, cinædus, contumelioſus, calumniator, iracundus, inuidus, & ſuperbus: Síſne contemptor, percuſſor, auarus, parentibus parum obtemperans, plagiarius, tuóſque liberos vendens. His, qui prædictis criminibus ſunt innexi, nequaquam apparet Deus, niſi priùs ab omni inquinamento ſe repurgarint. Hæc omnia tenebras oculis inducunt, non ſecus ac ſi humor aliquis in oculos exteriores influat, qui obſtat quo minùs ſolis lucem diligentiùs contemplari queant. Haud diſſimili ratione, ô homo, impietas tua te occœcat; quo fit, vt nequeas Deum videre.]

Eandem cœcitatem improborum omnium aſtruit his verbis Philo † tractans illud Abrahamo dictum. *Suſpice cœlum.* [Suſpice vt arguas cœcum vulgus hominum, quod cum ſibi videatur cernere, orbatum eſt lumini

minibus. Niſi fortè non eſt orbum, dum bona malis antefert, iuſtis iniuſta, perturbationes tranquillitati animi, immortalibus mortalia: repulsiſque monitoribus ac caſtigatoribus, cum ſuis præceptis atque monitis, adulatores admittit, & ſermones inuitantes ad voluptatem, otium, ignorantiam, atque delicias. Ergo ſolus bonus videt. Quamobrem & Prophetas, priſci nominabant *videntes*. Qui autem foras prodiit; non ſolùm *videns*, ſed & *Deum videns*, appellatus eſt *Iſraël*, ſic enim hæc vox interpretatur.] Loquitur ex detrita omnium ſermonibus ethymologia vocis *Iſraël*, vt S. Hieronimus *a* eam nominat, habétque ratam ipſe Hieronymus compluribus locis *b*, & apud eum Euſebius, in Hebraïcorum nominum expoſitione, itémque Nazianzenus *c*, Hilarius *d*, Baſilius *e*. Verius tamen eſt, probatiorem vocis *Iſraël* ethymologiam, cui Delrius *f*, & Ducæus *g* ſuffragantur, aliud ferre; ita vt *Iſraël* idem ſonet, quod *fortis in Deum*. Sed hoc alibi verſandum eſt. Nunc inſiſto doctrinæ Philonis, qui ſolum probum (cuiuſmodi erat *Iſraël*) videntem pronunciat; improbos autem omnes, cœcos: quippè qui non diſcernant verè mala à verè bonis.

a *qq. in Geneſ. ad cap.* 32.
b *Amos* 4. *Oſee* 8. *Ierem.* 31.
c *Orat.* 2. *de Theol.*
d *In Pſal.* 3.
e *In cap.* 1. *Eſaia.*
f *ad c.* 32. *Geneſ. V.* 28.
g *Ad Ep.* 1. *B. Pauli.*

Hæc ratiocinatio apertè efficit, neminem peccatorem oculos animæ habere; ſed cuiuis tali, ſuffuſa eſſe impuro humore interna lumina, quo viſione prohibeantur. Auarum cœcum eſſe, Plutus cœcus conteſtatur. Sed & Fortuna cœca habebatur, vt quos fortunis dicunt abundare, viſu deſtitui agnoſcamus. Cœca fraus nihil videt, vt dixit S. Laurentius agens cum vrbis Præfecto, & omnia ægritudinum corporearum genera ad varios peccatores accommodans. Nominatim tamen, & ſupra quæcunque alia vitia, cœcant hominem vitia ventris, & partium quæ ad ventrem ſunt. Nimia enim ingluuie, præſertim vino abundantiùs rigata; ſicut corporis oculorum, ita & animi aciem hebeſcere ac

re

Digitized by Google

tundi, in confeſſo eſt. Cœcitatem ab ingluuie contrahere, fertur cetus. Dum enim inſatiabili voracitate infercit ventrem, augeſcit corpus in modum immanem; vnáque creſcunt ſupra menſuram congruam palpebræ; indéque oculorum obturatio & cœcitas. Cui malo vt occurreretur, prouidendus ei fuit à naturæ autore, ductor piſciculus, vt Ariſtoteles, Plinius, Oppianus, aliíque annotarunt, & expreſſum eſt à Claudiano a illis verſibus.

a *Lib.2. in Europ.*

Sic ruit in rupes, amiſſo piſce ſodali,
Bellua, ſulcandas qui prænuius edocet vndas;
Immenſúmque pecus paruo moderamine caudæ
Temperat, & tanto coniungit fœdera monſtro.
Illa natat rationis inops, & cæca, profundi
Iam breuibus deprenſa vadis, ignara reuerti
Palpitat, & vanos ſcopulis illidit hiatus.

Igitur ſicut corpori ab ingluuie, præſertim affuſo multo vino, (vt aſſolet) intemperatè humente, obtingit cœcitas; ita & animo. Quod ipſum de voluptatibus quæ ad ventrem ſunt, eſt extra dubium. Nam de corporea per illud vitium exoculatione, Theotimus docere poteſt; quem memorat S. Ambroſius, cum admonitus à Medico vt temperatè ſpecioſa coniuge vteretur, ni cœcari vellet; fræni ea in parte impotem, ruentem in opus exclamaſſe *vale charum lumen.* Cœcum cupidinem hanc ob cauſam olim depictum, Galenus, † ad cœcutientes, ac denique cœcatos ab immoderata venere oculos retulit, & aſtipulatus eſt Oribaſius * Alij de excœcatione interna, id acceperunt, vt Zeno ſerm. de charitate & quos refero tractans extrema virtuti caſtitatis oppoſita. Eſtque apud omnes rata hæc interna per libidinem exoculatio; æquè ac per iram, vt Seneca diſſerit, * lumina animæ & corporis in irato oblæſa docens.

† *Lib.4. de locis cap.8.*
* *L.1. Euporiſt. c.22.*
† *Lib.6. de virt. n.165.*
* *L. 2. de ira cap.36.*

Sunt hi omnes in tenebris, nec eis Sol Chriſtus affulget,

fulget, aut Luna Eccleſia, cuius ambitu continentur, videndi facultatem impertit. [Sicut enim Sol & Luna, (inquit Origenes †) illuminant corpora noſtra: ita & à Chriſto atque Eccleſia illuminamur, ſi non ſimus mentibus cœci. * Nam ſicut Sol & Luna corporalibus oculis cœcos quantumvis illuſtrent, illi tamen recipere lumen non poſſunt; ita & Chriſtus, lucem ſuam præſtat mentibus noſtrat; ſed ita demum nos illuminabit, ſi nequaquam cœcitas mentis impediat.] Nec aliud ſupereſt cœcatis animo, (vt ibidem ſubdit Origenes) quàm imitatione cœcorum illorum de quibus Matthæus *, ſequi Chriſtum, clamando vt misereatur noſtri; efficiátque, vt viſu redonati, poſſimus deinceps lucis eius ſplendore radiari. Quod aſſequemur, ſi dignetur refingere in nobis interiores oculos, quibus ſolis, æterna & diuina conſpiciuntur; per peccatum autem magna hominis calamitate effodiuntur, aut ita obſtruuntur vt viſione prohibeantur. Miſeriam multorum hanc cœcationem animi negligentium, deplorat S. Auguſtinus. *

† Hom. 1. in Geneſ.

** Cap. 9. & 20.*

**Serm. 18 de verb. Dom. cap. 6.*

LXIV. *Cæſaris interni oculi, ob contrarias cauſas, exquiſitè perſpicaces.*

Et ſanos & exquiſitè deterſos habuit hos internos oculos, quantumvis corpore cœcus Cæſar: optanda ſanè oculatione ſimul ac cœcitate, qualem in Samſone celebrabat S. Paulinus *, cum diceret. [Cœcitate Samſonis qua corporeis tantùm oculis captus, ſpiritales non amiſit, illuminor ad intellectum bonum: vt exemplo illius ſciam, quos magis debeam oculos habere. Non enim inuocaſſet ille vir Dominum, in ſuæ virtutis auxilium, niſi mentis oculos habuiſſet incolumes, quibus lumen eſt Chriſtus, in cuius lumine videbimus lumen. Quod ſi ſemper ardet in lucerna corporis noſtri, tunc opera tenebrarum occidunt, & Princeps huius mundi mittitur foras.] Optabat ſibi hanc cœcitatem externam, oculationi internæ nexam, idem S. Paulinus, ſubiungens paulo poſt. [Et mortem mihi Samſo-

** Epiſt. 4.*

Digitized by Google

nis, & cœcitatem volo; vt viuam, & videam Deo. Nam forſitan ille, receptis propter futurum myſterium in coma viribus, recipere ſimul, vt amiſerat, oculos non deſiderauit; quia virtus illa cœleſtis gratiæ, internis ſana luminibus, corporeo non egebat obtutu. Hoc igitur exemplo, & nos, contentis ad Dominum ſenſibus, carnales oculos ſecularium rerum auerſione coërcemus, quibus orbari Propheta deſiderabat, cum diceret, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et Dominus ipſe †, oculis Iudæorum cœcitatem præferens dixit, *Si cæci eſſetis, peccatum non haberetis.* Reminiſcamur qua pernicie illis in paradiſo oculi ſint aperti, quos tamdiu habuerunt illuminatos Deo, quamdiu clauſos habuere peccato. Nam tum demum pubertatis & nuditatis ſuæ hauſerunt pudorem, cum bonæ conſcientiæ caſtitatem cuius lumine veſtiebantur, præuaricationis crimine perdiderunt. Et ideò luminis damnum eſt, ad vſum tenebrarum vti luminibus; & oculos in terrena defixos, cœcare cœleſtibus. Illuminatur autem anima, tali cœcitate, qua deſpicit mundum, vt conſpiciat Deum. Quia *omne* (inquit) *quod in mundo eſt, concupiſcentia oculorum eſt.* Ob hoc Apoſtolus, obduci aciem noſtram huic mundo, & enubilari Chriſto docens, (ei ſcilicet qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt omnis hominis mentem venientem;) ſollicitat nos ab aſpectu præſentium in ſuſpectum æternorum.] Hoc, eodem Paulino iudice, eſt benè cœcum eſſe, non videndo peccatum; & benè oculatum, conſpiciendo iuſtitiam. Exactus eſt ad hanc Paulini amuſſim Cæſar, qui vidit vbique iuſtitiam, & oculos quos habebat expeditiſſimos, clauſis oculis quibus terrena percipiuntur, aſſiduè defigebat in Deum; è cuius immenſa luce, iubente ipſo de tenebris lumen ſplendeſcere, radiis perfundebatur cœleſtibus, eràntque ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

† *Ioann. 9. V. 41.*

Hoc

Hoc in terra. Quid in cœlo? Nullus quippè ibi cœcitate grauabitur, ſed omnes ibi, quia mundo corde fuerunt priuſquàm è vita excederent, Deum manifeſtè videbunt. Stultè autem vt meritò pronunciauit Cæſarius †, ſtultus nebulo effutiuit, *Qui hic oculos non habet, nec in futuro oculos habebit quibus Deum videat*; atque adeò cœcus perſeuerabit in cœlo. Quo ſtultiloquio, vel etiam blaſphemia, mirè turbauit miſerum cœcum, genere nobilem, ſed ob ſua ſcelera iuſſu Henrici Ducis Saxonis excœcatum. Verſa autem exoculatione in medicinam, piè admodùm vitam exegit ex quo fuit excœcatus, iugis in ieiuniis & dolore de peccatis ac orationibus. Sed vt erat rudis literarum, audito eo ſtulto quem retuli ſtulti hominis ſermone, de non videndo à cœcis Deo in altera vita, admodùm cōturbatus, totus erat in gemitibus eam ob cauſam, donec dedoctus errorem, intellexit, etiam hîc cœcos corpore, viſu in cœlo donari, non interno duntaxat, quo ſolo Deus conſpicitur, ſed etiam externo atque corporeo. De quo nulla eſt dubitatio quoad ſanctos cœlo illatos quantumvis in hac vita cœcos, quicquid ſit de reprobis in hac vita cœcis, quos Durandus * & Valentia † poſt reſurrectionem, cœcos perſtituros affirmant. At beati rediuiui, quamvis hîc cœci fuerint, corporis oculos recipient perſpicaciſſimos, & interno viſu, etiam pluſquàm lyncei erunt, quandoquidem Deum videbunt, quod non niſi ſpiritualibus oculis, hoc eſt intellectu haudquaquam cœco præſtabitur. Sanabitur ergò perfectè in cœlo, cœcitas hîc noſtra, oculante Deo, & præſtante vt in lumine eius videamus lumen. Quod quantum ſit futurum beneficium, D. Auguſtinus ad illud Pſaltis *, *& hæreditas eorum in æternum erit*, negat explicari ſatis poſſe. [Quantum enim præſtat cœco, qui illi oculos ſanauerit, vt videat hanc lucem? Cum ſanus factus fuerit ille, nec inuenit quid dignum rependat ſanatori ſuo.

LXV. *Cæſaris, ſicut tenebra ita & lumen; in terra & in cœlo.*

† *L. 2. mir. c. 36.*

* *In 4. de 44 q. 2. & 3.*

† *t. 4. d. 11. q. 3. p. 3.*

* *Pſal. 36. conc. 2.*

ſuo. Quantum libet enim illi det, quid dabit tale quale ille præſtitit? Vt plurimum det, aurum dabit, & multum aurum, dabit, ille lucem præſtitit. Vt nouerit ille quia nihil dat, videat in tenebris quod dat. Quid ergo dabimus nos Medico illi, oculos interiores noſtros ſananti, ad videndam quandam lucem æternam, quæ eſt ipſe?] Hoc dedit in cœlo, Cæſari hîc cœco, DEUS. Sic eum, vt pia perſuaſio fert, depulſa omni cœcitate oculauit. Ibi verò maximè, ſicut tenebræ Cæſaris, ita & lumen. Appendantur in ſtatera iuſta, anni quibus vidit mala. Attendanter quas adumbrauimus, eius & animi, & corporis ærumnæ, & graues & diuturnæ; ſumma ſemper ſerenitate, & animo ad omnes DEI nutus facto, patientiſſimè exceptæ. Nec dubium, quin liceat de eius planè inſigni beatitate facere coniecturam, & aſſeueranter profiteri; ſicut tenebræ eius fuerunt ita & iumen eius nunc eſſe. Quanquam abſque coniectaneis per anfractus ratiocinationum, & iuſta præmij ac perpeſſionum contentione dimiſſa: vel ex ſtatu corporis, quod hîc conſpicamur incorruptionis prærogatiua honeſtatum, intelligere perſpicuè licet, quàm bonus DEUS rectis corde; & in illomet corpore ſagittarum DOMINI ſcopo, ſicut tenebræ præfuerunt, ita & lucem DOMINI promicare. Quis enim ſtupore non defigatur, videns corpus aqua intercute in vita diuexatum, per octimeſtre aquis poſt mortem infoſſum, corruptis ac putrefactis linteaminibus quibus obuoluebatur, illæſum prorsùs ac labis expers permanſiſſe, hodiéque poſt annos circiter quadraginta neſcire corruptionem? En ſicut tenebras, ita & lumen. Non eſt mentitus, qui poſt tenebras ſperaudum lucem admonuit: & ſcilicet quantum quis intra caliginem mœrorum ac ærumnarum merſus per vitam fuerit, tantum ſplendoribus nulla nube infuſcandis, in parte ſortis Sanctorum in lumine, à luce inacceſſa perfundendum.

Hoc

Hoc, de cœlo, Cæſarem conteſtantem audire videor: hoc è loculo ſuo corpus inſonat voce muta ſed viua: qualem cognati ſanguinis, ſuis Lugdunenſibus exhibebat Eucherius * ; & ſuis quoque vocem Martyrum Chryſoſtomus †.

** Hom. de SS. Epipodio & Alexādro.*
† Ser. 65. Tomi V. Græcol.

LXVI.
Terminalis allocutio prior, ad viciniæ noſtræ Hæreticos, interiùs tenebratos ac cæcos.

Receptui canendum eſt. Vtcunque enim executus videor, quod receperam, monſtrata Cæſaris ſimul cœcitate & oculatione; & ſicut eius tenebris, ita & lumine. Non priùs tamen abſiſto dicere, quàm duplici hominum generi, congruentem huic loco allocutionem impendam. Vnum eſt, verè mente cœcorum, in tenebris errorum extra Eccleſiam hærentium. Alterum filiorum lucis, qui in loco videntium à Deo collocati, cœleſti luce, niſi vltrò cœcutiant, frui poſſunt. Hæreticos Cæſar dum ſuperſtes fuit, iuuit ſtudioſiſſimè, & non paucos è tenebris errorum abductos, ad lucem fidei reuocauit. Ipſi quidem (quæ ſumma cœcitas eſt,) iactant lucem ſuam, & Catholicos tenebris damnant, adeò inuerecundè, vt ex recepta apud eos loquendi formula, quos ab Eccleſia ſeductos in eādem ſecum caliginem pertrahunt, *illuminari* confirment. Nec aliter ad Deum vota concipiunt, ſi quando alicui conſortium ſuæ à lumine rebellionis apprecantur, quàm illis ſolemnibus vocibus; *Illuminet te Deus. Lumine te ſuo dignetur Chriſtus.* Hoc ab eis fit pro more veterum erronum. Sic Martianus Ethnicus *, illuminationem ſpondebat Chriſtianis. Sic Barcochebas, Euſebio † referente, cum Iudæis implanandis daret operam, veniſſe ſe ad eorum illuminationem profitebatur. Iudæi tempore Iuſtini * ſuorum proſelytorum illuminationem æquè iactabant. Æui ſui Hæreticis D. Auguſtinus †, idem falſiloquium familiare fuiſſe teſtatur. Claudius Taurinenſis *, & Iconomachus, & Arrianus, illuminationem ſuam, & Catholicorum tenebras, per elongationem à ſole veritatis, iactabat. Lucifer Cala-

** Acta SS. Iuliani & Baſiliſſæ.*
† 4. Hiſt. c. 6.
** Dialo. cū Trypho.*
† Tract. 45. in Ioann.
** Apud Ionam. l. 3. ad finem.*

Digitized by Google

† Quod mor. ſit pro Dei Filio.

ritanus †, Conſtantium Arrianorum partiarium illis verbis affabatur. [Cum ſis ipſe totius erroris fons, affirmas te luminis portitorem; cum ſis tenebris obſeſſus omnibus.]

** Epiſt. 50.*

Cap. 48.

Ex eo igitur priſcorum erronum vſu, Sectarij hodiéque lucem ſuam (ſcilicet), & tenebras noſtras buccinantur. Et quamvis in tenebris exoculati verſentur, quæ tamen maxima & teterrima ignorantia eſt, cœcitatem ac tenebras ſuas ignorant, nec ſecus ac illa apud Senecam Harpaſte * labem ſuam in alios transferunt. Cæſar ſuperſtes, pleriſque eorum quibus vndecunque ora noſtra cingitur, ſuam ipſorum pluſquàm Cimmeriam caliginem, lucem falsò denominatam, retexit. Nec minùs illos nunc, niſi ſpontè tenebris ſuis inhæreſcant, excitat ad veram lucem, ingeſtis tot ſanctimoniæ illuſtribus argumentis, quanta in eius exoculatione corporea micuerunt. Nam quod à Siracide de Eliſæo eſt proditum, poteſt ad Cæſarem proportione accommodari. *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.* Neque ea dico monſtra operum & mirabilia, queis tam multi votorum rei, anathematis oblatis ſunt atteſtati. Sanationes nimirum omnis generis, cœcorum, claudorum, aridorum, Paralyſi ſolutorum, viſcerum torminibus, anhelitus difficultate, neruorum luxatione, capitis corporeis incommodis laborantium; quibus interpellata apud Deum Cæſaris gratia, optatam exorauit ſoſpitatem, vt non tam ex ſcriptionibus de eius rebus geſtis, quàm coram vſurpare oculis licet. Sint hæc omninò magna. Non ſunt tamen maxima quæ Cæſar edidit, vel edere porrò pergit mirabilia. Non ſunt hæc monſtra illa operum, quæ Cæſar in vita patrauit. Mihi, tot tantíſquè eius perpeſſionibus lubentiſſima voluntate exceptis, deferendum hoc decus videtur. Nec catachreſis inſimulandus ſum, perpeſſionibus indito *Actionum* nomine. Nam etiam S. Chryſoſtomus

Digitized by Google

mus *, approbante Damaſceno †, quam Chriſti *paſſionem* appellamus, *actionem* potiùs, & quidem maximam præcipuéque admirabilem, dicendam pronunciauit; quod Chriſtus patiendo omnia illa ediderit illuſtriſſima facinora, deletæ mortis, domiti, & de throno deiecti Satanæ; cœleſtium munerum omnium exoratorum hominibus, reſerati cœli; cæteráque quibus dignè ſe vno, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Itaque proportione ſeruata, Cæſaris perpeſſiones ſupra humanum morem aſperæ, quibus Chriſto patienti configuratus eſt, *actionum* nomine veniunt, & quidem monſtroſarum; adeò inſolitæ fuerunt, ac præter communem morem.

** Hom. 2. in Acta.*
† 3. de fide c. 15.

Sanè pius Alexandrinus, (quod referente Caſſiano * didici) rogatus ab infidelibus ecquæ miracula Chriſtus edidiſſet; patientem ſuam conuitiorum atque ſannarum tolerantiam allegauit; hæc arbitratus ſumma eſſe miracula, à quibus par ſit celebrare Chriſtum, in omnibus ſuis patientem, vt S. Leo † diſertè dixit, aſtipulante Ruperto *, qui ſpeciem quarti ſimilis filio Dei, in fornace Babylonica cum tribus pueris obſeruati, Chriſtum expreſſiſſe ait, cum ſuis omnibus in tribulatione verſantem, eíſque perpetiendi vires naturæ negatas, beneficè ſubminiſtrantem. Sic Deus deſcendit cum Ioſepho in foueam; & gens ac Deus eius de fornace ferrea ſeruitutis, educti à Propheta † dicuntur. Sic Cyprianus * martyrem pœnis ſuis fortiorem deſcribit, hoc ſolùm conuoluentem, quod in eo plus quo patitur Chriſtus, quàm ipſe patiatur; vt propterea laus victoriæ ac perpeſſionis Chriſto adſcribatur: manifeſto argumento, quod eius fuerint in perpetiendo partes præcipuæ. Hæc igitur ſunt æui noſtri miracula, in Cæſare à Chriſto edita, quæ præſertim ſuſpicio, ingeſtáque aduerſariis fidei volo. Et cætera quidem miracula, de B. Chryſoſtomi ſententia, malignè eludi per cauillos

** Collat. 12. c. 13.*
† Serm. 7. de paſſ.
** Lib. de victor. verbi Dei cap. 24. & l. 1. in Dan. c. 7.*
† 2. Reg. 7.
** Lib. de laude Martyr.*

Digitized by Google

uillos poſſunt;quales Hæreticis,ne ad mirabilia quæ in Catholica Eccleſia fiunt, cum opponuntur, planè muti hæreant, ſolemne eſt excogitare atque obtrudere, vt apud Bellarminum † videre eſt atque etiam apud creditum Alanum Copum *. Sunt verè cauilli illi planè gemini iis Ethnicorum vanis obtendiculis aduersùs Chriſtiana miracula, quæ Origenes * & S. Auguſtinus † referunt atque refellunt. Aduersùs iſta perpeſſionum piè exceptarum miracula, nihil licet excipere;cauilli omnes præcluduntur. Planè hæc ſunt mirabilia magna quæ facit Deus ſolus,vt Abbas Chæremon diſſerit *; eodem accommodans quod eſt de Deo apud Amos. ***Qui facit omnia, & conuertit ea, & tranſmutat in matutinum vmbram mortis***: quod tum præſertim contingere ait Chæremon,cum homines quondam incitatiſſimorum motuum,& ad leuicula quæque incommoda, patientiæ rudes; in eximiè patientes euadunt; ita vt ſtringantur quaſi malleatoris incus, ad dura quæque inconcuſſi;cuiuſmodi in aſperrimis perpeſſionibus fuiſſe Cæſarem, liquidò eſt demonſtratum.

† *Lib. de notis Eccl. c.* 14.
* *Dialo.* 2. *c.* 4.
* *Lib.* 1. *contra Celſ.*
* *Lib.* 18. *Ciuit. c.* 18. *& lib.* 21. *c.* 8.
* *Cap.* 5. *iuxta* 70.

Itaque quod Clodouiſdam, Alboini Gotthi Ariani vxorem Catholicam, facere admonebat S. Nicetius Treuirenſis †; vrgere nimirum maritum, propoſitis miraculis Sanctorum eo tempore in Eccleſia illuſtriũ, quales nulli inter Hæreticos occurrerent; poſſum ipſe quoque,erga noſtrates ſectarios præſtare;propoſitis his quæ dixi potioribus & minùs calumniæ patentibus Cæſaris miraculis:fidentérque his oſtentandis obteſtari; Num tale quippiam apud vos micat totius ſanctimoniæ ac patientiæ exemplar? Quis apud vos, ſiue nunc ſuperſtes, ſiue iam fato functus, talia aliquando edidit fortitudinis Chriſtianæ miracula? Nam quæ aliquorum,in cruciatibus iuſtè pro falſa religione irrogatis, à vobis prædicatur patientia, non fuit hæc virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ; obfirmatio, non conſtan

† *Epiſtola ad eam.*

Digitized by Google

conſtantia; peruicacia, non fortitudo; qualem in Gentilibus quoque nonnullis, mundana cupiditas, non Dei charitas fecit, vt dixit Concilium Arauſicanum 2. * vſurpatis D. Auguſtini † verbis: cuius etiam ſunt illa alibi * in hanc ſententiam egregiè prolata. [Aliquandò victi à Diabolo, vincunt dolores; non habentes patientiam, ſed duritiam.] Qui næuus, pulchritudinem perpeſſionum Cæſaris, & piorum quorumvis Catholicorum patientiæ gloria illuſtrium, minimè deuenuſtauit.

** Cap. 17.*
† Lib. de patient. c. item 17.
** Serm. 421 de diuer. c. 5.*

LXVII. *Allocutio altera, ad domeſticos fidei quoſcunque.*

Verto orationem ad domeſticos fidei, qui gemina ſerie diſtincti occurrunt. Prior eſt Chriſtianorum, extra ſacram familiam à Cæſare conſtitutam. Poſterior, perſonarum eiuſdem familiæ. Priores admonendi ſunt exemplo Cæſaris, caueant abblandiri carni ſuæ; & in leuiculis à carne ſpiritui recalcitrante difficultatibus, cauſari carnis infirmitatem. Stomachantem memini hac ex cauſa Origenem *, cum agit de batillo pleno carbonibus. Præfatus enim nonnulla de ſpiritus nutrimentis, & hortatus fideles ad ea vſurpanda, ſubdit: [Nolite conqueri de infirmitate carnis; Nolite dicere, quia volumus, ſed non poſſumus: Volumus continenter viuere, ſed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur ſtimulis eius. Tu das ſtimulos carni tuæ; Tu eam aduersùs ſpiritum tuum armas & potentem facis, cum eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris. An neſcitis, quia non poteſt ædificium iſtud Eccleſiæ ex leproſis lapidibus conſtrui?] Significat, carnem vitij vlceribus corruptam, non eſſe idoneam, vt ei conſerta anima, creſcat in templum ſanctum in Domino. Itaque ſanctis Dei hominibus illud præcipuum ſtudiũ fuit, carnem ſuam coërcere, ac veluti ſale ſalire victimam Deo deſtinatam, ne putredine corriperetur. Armarunt ſeipſos ſtrenuè aduersùs hunc hoſtem inteſti-

** Hom. 9. in Leuit.*

Digitized by Google

num, nec flexi à faſcinatione nugacitatis obſcurante bona, mollitudine ſoluerunt ſeſe; ſed perinde ac ſi in alieno corpore paterentur, ad aſpera omnia obduruerunt; nunquam ignauia fracti, nunquam perpeſſionum aſperitate deterriti.

Fecit hoc inſigniter Cæſar, vix vt neceſſe ſit anteriora exempla conquirere. Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt. Cæſarem, præ tot perpeſſionibus, quibus velut incus fuit ſub Dei malleo, demiramur, & fœlicem prædicamus, qui tanta infractæ conſtantiæ & indomabilis patientiæ argumenta in tot aduerſis ediderit. At ipſe non ex alia maſſa concretus, alióve ſubacta humido, quantam expreſſimus, (veriùs delineauimus,) generoſitatem prodidit. Quid vetat ſanctè æmulari eam animi erectionem, illud adamantini pectoris robur? Quinimò quomodò non pudet nos, linqui animo ob tantulam ſuccuſſionem, quâ interdum quatimur? Res profectò probri refertiſſima, & magnam bonis æſtimatoribus apta inferre confuſionem. Expoſtulabat meritiſſimò S. Auguſtinus *, quod homines eandem Chriſti fidem cum martyribus profitentes, & martyribus religioſam venerationem impendentes, ob exceptos patienter membrorum laniatus; linquantur animo ad iniurias temporum Chriſtianorum; atque adeò ad malorum minutalia, puta verbulum incongruentius, aut minùs molle; vt ſummum, quod conuitij ſpeciem vel maledicti præferat. Et iactamus, ſi perſecutor ingrueret, exprompturos nos fortitudinem; qui in tam modicis, támque nullis, deficimus? Fidenter S. Bernardus †, mentitionem talia iactantibus impingit. [Si iuncis fragilibus cedit infirmitas noſtra, quomodò telis reſiſteret? Videtis quomodò ad nihilum redacti ſumus; & ſicut ſolent mulieres aut paruuli, pugnantes laudamus alios, pugnare ipſi non poſſumus.] Proh caducitatem ſanctorum inſtitutorum

præ

* *Serm. 6. de verb. Dom.*

† *Serm. de B. Clemente.*

præ ignauia quâ torpemus? Tam multa, tam dura, ac dira, exceperunt generosè ſimul ac patienter homines Dei, ſimiles nobis paſſibiles, eadem circundati infirmitate, nec ad aliam vocati hæreditatem. Congratulamur illis, ſed gloria eorum, iuxta Bernardum, non abſque confuſione noſtra. Quomodò enim obſcuratum eſt aurum mutatus eſt color optimus?

Hæc ne vniuerſalis eſſet querela, prouidit Deus æuo noſtro, hominem qui poſſet in exemplum abſolutæ omnibus numeris patientiæ ſtatui. Cæſarem dico, quem conſcidit vulnere ſuper vulnus; vt excuſatio deficeret molliculos, qui pro reduuia efferantur. Monſtratum in eo voluit Deus, non patere viam in paradiſum, niſi per igneam romphæam exurentem ac perpurgantem, iuxta concinnam Nyſſeni *, & Amedæi Lauſanenſis †, ac Philippi Abbatis * obſeruationem. Tãtis verò eum Deus communiuit præſidiis, vt liqueat feciſſe Deum carmina in nocte; & (quod alius Propheta habet) necterentur in illo carmen & veh. Id eſt (interprete D. Gregorio *) eſſent ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Sic communitum, placuit DEO omnia ſapientiſſimè diſponenti, deducere per viam quam initiauit, & ſuis ipſe veſtigiis carne amictus ſignauit; viam duram & ſalebroſam, dumis ac ſentibus horrentem, ac præacutis ſtratam muricibus; qualibus Cato Cenſorius, addictum litibus forum conſtrauit †, vt offenſus pedes Romanus populus, locum illum aut refugeret, aut citò deſereret. Sed ſic Deo viſum, cui facile eſt ex tribulis roſas ſublegere; & per dura aſperáque, ad omnem amœnitatum & ſuauitatum affluentiam traducere; & quidem ſeruata ad aſperitates & imbonitates proportione, vt comprobetur, quod à Platone dictum eſt, Deum * in cœlo exercere Geometriam.

* *Orat. 2. in SS. 40. Martyres.*
† *Hom. 5. de Deipar.*
* *Lib. de ſalute primi hom. c. 24.*
† *26. mor. cap. 11.*
† *Ex Plinio l. 19. c. 1.*
* *Apud Plutarchũ 8. Sympoſ. q. 2.*

Subminiſtrat hic locus, vnde exemplo Cæſaris tam

dura tamdiu æquanimiter perpeſſi, animos faciam fidelibus omnibus, ne in aduerſis linquantur animo, ſed finem Domini operiantur. In quam rem opportuniſſimum videtur, adhibere inſignem & admodùm piam ac ſacris teſtimoniis diuitem Petri Cellenſis † ad Abbatem Villarienſem, durè hîc exercitum, allocutionem; qua eius tolerantiam, & ſubſecuturam omnis lachrymæ exterſionem committit, pro bonorum & malorum proportione. Habet eius vniuerſa oratio, planè locum in Cæſare, imò multò magis: quo duriùs iſte exercitus videtur, quantum coniectura aſſequi licet. Sic igitur ad Abbatem Petrus. [Audiui vos in labore hominum eſſe, & calicem ſororis noſtræ quæ eſt paſſio Chriſti, cum his qui in torculari premuntur, frequenter bibere. Amara quidem potio bibentibus illam, ſed ſpem ſalutis optimam, in ſe habet repoſitam. Nihil enim ad cœlum euntibus tutiùs, quàm ſequi ſtratam ſanguine Chriſti tinctam; quàm veſtigia clauorum impreſſa proſpicere, & ante oculos ſuos Chriſtum ſemper præſcriptum & perſcriptum inſpicere. Rectiſſimum hoc iter ad tribunal gratiæ. Via hæc latronibus vacua, & finem ſuum pertendens ad illum qui peregrinantibus eſt via, proficiſcentibus veritas, peruenientibus vita. Duri ſunt lapides ad caput Iacob in itinere quieſcentis, aſperi ſilices cacumina montium petenti: pungunt ſpinæ & tribuli teneros pedes, femori infiguntur ſagittæ; ſed numquid non erit finis? *Finem* (inquit Apoſtolus *) *Domini vidiſtis, patientiam Iob audiſtis.* Quid igitur poſt finem, quid in fine? *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* In fine ſiquidem apprehendemus, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas Crucis Chriſti, & profundum. Longitudo dierum in dextera eius: latitudo, vt ſit tanta cognitio de Deo, quanta dilectio; tanta dilectio, quãta beatitudo; tanta beatitudo, quanta dulcedo Dei; tan-

† *Ep.* 113.

* *Iacobi* 5.

ta dulcedo, quantus ipſe DEUS. Sublimitas in capite Nazarei, IESVS Nazarenus, Rex Angelorum. Profundum, cum omnia ſubiecta erunt ei, præter illum qui ſibi ſubiecit omnia.] En quo Crux Chriſti, electos hic Chriſto confixos ſubuehit. Eandem quippè ipſorum, & Chriſti crucem eſſe pronuncio: ſicut vnum corpus, caput & membra conficiunt. En quo nominatim Cæſarem ſubuexere tot perpeſſiones; quibus admenſam eſſe gloriam in cœlis reponendam, ſacris oraculis edocemur. Hæc omnes fideles gloria manet per totam æternitatem, ſi modò Cæſarem imitatione exprimentes, fortitudini eius & oculatæ cœcitati participantes, ad terrena cœci, ad cœleſtia ſint perſpicaces: quod eſſe totum aduentus Chriſti conſilium, in iis cœcis quos aliquando Chriſtus ſanauit prædelineatum, Origenes egregiè admonuit †.

† Tract. 13. in Matth.

LXVIII. *Specialiter ad ſacrum cœtum à Cæſare cõſtitutũ; gratulatio, pro tali patre, vicißimq; Cæſari patri pro talibus filiis.*

Conuenienda obiter ſupereſt, priuſquàm excedo, Cæſaris ſacra familia, gratulando inprimis tanta optimi inſtitutoris decora; atque adeò domeſtica propriáque ornamenta. Quid enim? Collucent radiis parentum filij carnis, non refundetur gloria Patrum in filios ſpiritus, & eos filios qui ſe non degeneres imitando præſtentur? Habetis PP. ornamentum domeſticum præcellẽs, vnde ſanctè in Chriſto gloriari ſanctáque ſuperbia efferri poſſitis, memores generis, memores veſtrorum in ſpiritu natalium. Poteram ego, quidem, S. Hieronymi Marcellam celebrantis * argumentationem adhibere: qui cum Paulam & Euſtochium ſanctæ illi Heroïnę aſſignaſſet diſcipulas, harum decora in Magiſtram retorſit, veluti ramorum gloria honeſtat, arborem è qua progerminarunt; his vſus verbis. [Facilis æſtimatio eſt, qualis Magiſtra, vbi tales diſcipulæ.] Poteram inquam ego quoque, diſcipulorum & filiorum in Chriſto decora, ſanctum virtutum odorem, ſuauiſſimè perſpirantem, zelum ſalutis proximorum, flagrantem

** Ad principiam.*

in Dei rebus charitatem veſtram, retorquere in Cæſa-ſarem, ſpiritualem Magiſtrum & Patrem. Sed parcens modeſtiæ veſtræ, ad patris potiùs decora in vos refundenda animum applicaui, ingerens gloriam quæ de tam ſancti capitis prærogatiuis in membra redundat. Quod eſſe locuples gratulationis argumentum, vniuerſa quæ præceſſit diſputatio, manifeſtiſſimè conficit; cum monſtratum ſit, quantus Dei ſeruus Cæſar in terris fuerit, & quanta apud eum gratia in cœlo valeat, qui eò, (vt non vana fert coniectura) tot opes meritorum, tot virtutum facultates præmiſit.

Iuſtum tamen eſt, ſic ſancto huic cœtui ſpiritualem patrem atque ſpiritus magiſtrum ornatiſſimum gratulari, vt ea S. Theodori Studitæ †, cum S. Platonis feſtiua memoria agitaretur, ad cœtum cui ipſe Sanctus præfuerat, admonitio non prætereatur. [Egregij Magiſtri cogit neceſſitas, egregios eſſe & diſcipulos, cognoſcendo ex arbore fructu.] Ad infamiam namque poſterorum potiùs pertineret Patris gloria, ſi herois filij, noxæ eſſent. Etiam Ethnicus Poëta *, huiuſmodi gloriam ſugillabat, cum diceret;

† *Catech. 69.*

* *Iuuen. ſaty. 8.*

----Sed te cenſeri laude tuorum
Pontice noluerim, ſic vt nihil ipſe futuræ
Laudis agas; Miſerum eſt alienæ incumbere famæ.

Notabat, infelicíque parentum inſignium fato adcribebat Spartianus †, multos tales degeneres filios, parentibus potiùs inferentes dedecus; eo quod alij ab eis inſiſterent itineri, quàm referrent ipſi à progenitorum gloria & ſplendore ornamenti. Et vtinam nuſquam, & nunquam, eſſet locus ſimili quoad ſpirituales filios expoſtulationi; ita vt non exaudiretur deinceps vox illa, à ſancto Inſtitutore ad exleges filios aliquandò publicè facta Bononiæ, cum degeneres homines, veréque filij alieni ob morum peregrinitatem, virum ſanctum in ſolemni precatione *patrem* appellaſſent, & vt filiis

† *In Seruo.*

Digitized by Google

filiis non deeſſet, ſupplices popoſciſſent. NEQVE EGO PATER, NEQVE VOS FILII. Nimirum vt ſubſit his denominatiobus ſua veritas, nec ſint inania & rerum vacua nominum ſimulacra, animentur neceſſe eſt paternarum expreſſione virtutum; ita vt veluti obuerſetur Pater in filiis; & illius formam, horum effigies repræſentet.

Exerro, adeò alienam ab hoc loco diſputationem inferens, cum fuiſſet potiùs Patri optimo gratulandum, quod prole gaudeat conſimillima, ſítque locus ei filij ritè inſtituti elogio quod eſt apud Siracidem *. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Deo gloria, qui quam famulo ſuo inecit mentem de curanda ſollicitè, coniunctione cum Deo, de iuuandorum proximorum ſtudio, de Chriſtianæ præſertim doctrinæ, cuiuis hominum conditioni ac ætati ad fructum accommodatè tradendæ, perennari in ſobole voluit; ita vt non ſit fraudatus inſtituti autor à deſiderio ſuo perpetuandæ ſanctæ illius informationis, in doctrina quæ ſola cœleſtis eſt, ſola ſine qua non eſt ſalus. Aliarum doctrinarum complurium traditione, abſque magno diſpendio carebit Eccleſia. Quæ dicitur *Chriſtiana doctrina*, eiuſmodi eſt, vt qui eam ignorauerit, ſit ignorandus. Itaque mirum non eſt, ſitientiſſimos ſalutis animarum homines Dei, tanto ſtudio, doctrinæ huius tradendæ curam, per ſe ac ſuos eſſe complexos. S. Ignatius Loyola noſter, non modo ipſe, rudis licet vernaculi idiomatis quo hæc Chriſtiana inſtitutio tradenda erat, quàm accuratè in hanc inſtitutionem incubuit; ſed etiam ſuos ne vnquam in ea tepeſcerent, inter concipienda poſtrema religionis vota, eius muneris cum fide exequendi mentionem interponere, ex formula nuncupandi vota præcepit. Et fuiſſe cordi, hoc ſtudium eius ſodalibus, argumento eſſe poteſt, quod primus liber

* *cap. 10.*

à

Digitized by Google

à Scriptoribus Societatis vulgatus, Catechiſtica Petri Caniſij doctrina compendiaria, fuit: Vt liceat affirmare, ſtruices ingentium voluminum cuiuſcunque diſciplinæ quæ ab homine religioſo tradi poſſit, è quibus ſpiſſum opus *Bibliotheca Societatis IESV*, ab accuratiſſimo Scriptore Philippo Alegambe eſt à dornatũ, fundamento illius lucubratiunculæ eſſe ſuperſtruendum; tantum non expreſsè clamante prouidentia, quò vniuerſa Religioſorum Scriptorum ſapientia ſit referenda. Commoda inſignia vel etiam neceſſitatem traditionis huius doctrinæ, proſecuti ſunt, qui exemplo ſuo (cum res tulit) in eo munere præiuere poſteris; Cyrillus Hieroſolymitanus *, Gregorius Nyſſenùs †, Auguſtinus *, Ioannes Gerſo †, Edmundus Augerius, aliíque ab Antonio Poſſeuino recenſiti, iuſta de hoc argumento ſcriptione ad Iuonem Tarterium Trecenſem Decanum, cuius in hoc ſacro munere obeundo ſollicitudinem ſannis profanorum exagitatam, fouet & multiplici rationis autoritatíſque firmamento optimè ea lucubratione communit Poſſeuinus *.

* *In Catechesibus.*
† *In orat. catech.*
* *De catech. rud.*
† *2. p. l. de paruu. ad Chriſt. trah.*
* *Cap. 2.*

Quare Patres, tam fructuoſæ; (parum eſt quod dico, cum dicendum fuiſſet, prorsùs neceſſariæ;) doctrinæ tradendæ partes, ab optimo Inſtitutore Cæſare, familiæ ſuæ ex inſtituto commiſſas, expleri à vobis cum fide & pari Eccleſiæ commodo, ſupra reliquas iuuandorum proximorum curas, quas religioſè ſuſcipitis, optimo Fundatori aduentitij gaudij ſuperpondium eſſe, nullus dubito. Et olim quidem in Chriſti Eccleſia, non aliæ erant Chriſtianorum Oratorum partes, quàm munere iſto tradendæ Chriſtianæ Doctrinæ defungi, nec aliud de ſacris pulpitis ſuggeſtíſve Eccleſiaſticis inſonabat, vt ex S. Auguſtino diſcimus, qui opus inſigne de Chriſtiani Oratoris informatione, inſcripſit, *de Doctrina Chriſtiana*. Per degenerationem autem ſanctis vſibus ſemper obrepentem, ſubierunt ſacra

pulpi

pulpita, declamationes fartæ farraginibus, è penitiore Theologia, ſcholis potiùs accommodata; è curioſè captatis ſcripturarum detorſionibus; è rerum naturæ peritia; è profanorum ritibus; ex humana hiſtoria; & pleriſque huiuſmodi gerris, ad literaturæ potiùs oſtentationem & captandam Eccleſiaſtæ gloriam facientibus, quàm ad audientium informationem, quò collimare par fuerat orationem. Itaque incumbit neceſſitas, iis quibus ex inſtituto, aut ex voti religione ſanctum hoc ſtudium Chriſtianæ Doctrinæ commendatum eſſe debet, cum fide exequendi, quod tam neceſſarij, nedum fructuoſi muneris conſentanea cura depoſcit. Idque à vobis eximiè præſtari, me tacente, res ipſa loquitur, & vberes fruges in horreum Domini aſſiduè importatæ, dubitare non ſinunt. Quam eſſe dicebam, peculiaris aduentitij gaudij materiam optimo parenti, excubanti è cœleſti ſpecula in cœtum à ſe tanto ſtudio plantatum ac excultum; nec minore affectu nunc dilectum, quàm cum in vita mortali pro ſe quoque ſollicitus, tantam illi beneuolentiam, nec euanidam, ſed cum cura impendit. Pergite porrò Patres cumulare autoris optimi lætitiam nouis ſubinde acceſſionibus. Defigite in hoc totius ſanctimoniæ ſpeculum oculos animi, neque vnquam vos capiat eius contuendi ſatietas: quia vt ſapienter diſſerit Abbas Piammon †, hortans ad profeſſionum fundatores ritè agnoſcendos; [Neceſſe eſt, vnamquamque viam ad illum finem, ſuum pertrahere ſectatorem, ad quem autor ipſius, inuentórque peruenit.]

† *Collat.* 18. *c.* 4.

LECTORI.

NON poterit prorſus aliena videri à ſcriptione de homine Dei Cæſare de Bus, appendicula de eius ad vitam in ſpiritu, informatore, qui obiter, ac verbulo duntaxat, indicatus eſt num. 12. Et quamvis plena & argumento commenſa Tractatio longioris eſſet operæ ; in Societatis Ieſu Hiſtoriam, vel peculiarem de eo Commentarium, quem adornari audio, reſeruandæ; Tamen guſtus perexiguus vberioris ſcriptionis, erit hoc loco peropportunus, vel ad lucem affundendam numero illi duodecimo, vel ad Magiſtri qui Cæſarem ſcientiam ſanctorum docuit, atque adeò optimè nexus cum eo eſt, nonnullam notitiam ſubminiſtrandam, pleriſque omnibus, qui hoc margaritum (vt cum Chryſoſtomo ac Theodoreto loquar) pro vſu Dei erga ſanctos ſuos, in oſtreo adhuc deliteſcens, etiamnum imperuium ac inuiſum habent. Depromo eum guſtum ex meo Limonario n. 83. ſic habet.

Digitized by Google

LIMONARII DE VARIA CHRISTIANA HISTORIA ÆVI noſtri, §. LXXXIII.

Petri Pecqueti, ex Societate Ieſu, vita innocentiſſima, pretioſa mors, ac cœleſtis pridem mortui ſpecies.

VIVEBAT Auenione ante annos ſexaginta Petrus Pecquetus, vulgò *Peguetus* Allobrox, ex Myanẽſi ad Camberium alumno, Societatis Ieſu Sacerdos. Sed quia non ita pridem, poſt annos quatuor ſupra triginta à pio exceſſu, diuina luce circumfulgens apparuit, dignum viſum eſt, quæ de eo à maioribus quibus cum vixerat, ad nos permanarunt, non præterire.

Vir erat eximiæ pietatis, & orationi ac conſuetudini cum Deo, valdè addictus. Crucis verò amantiſſimus ſemper fuit, quam ei Deus pro ſuo erga electos vſu, ſæpè prouidit; inſignibus patientiæ ac conformitatis cum diuina voluntate exemplis mirificans ſeruum ſuum. Abſtemius erat, & cibi admodùm abſtinens; & è graui morbo qui Socios decem vel vndecim abſumpſerat, vtcunque ſoſpes; tantum carnis faſtidium contraxit, vt reliqua vita carnem non guſtaret. Dexteritate in tractandis & ad bonam frugem ſtabiliter reuocandis pœnitentibus, fuit admirabili. Certis experimentis comprobatum eſt, quorum ille, vel ſemel,

Digitized by Google

confeſſionem excepiſſet; eos, reliqua vita (quæ in pleriſque ad multos & multos annos eſt prorogata,) in frequentatione Sacramentorum, & animi collectione fuiſſe aſſiduos. Vel ſolo conſpectu, afflabat pietatem. Solabatur afflictos efficaciſſimè, & ad conſentiendum Deo omnia ſapienter diſponenti, quàm prudentiſſimè adducebat; ita vt nihil optatius eſſet, quibuſvis, aut ſuorum deſiderio lugentibus, aut calamitate aliqua grauatis, quàm optimum Patrem, vel adire vel acceſſere; (quod ex vicinis quoque oris non rarò accidebat,) vt melle piorum alloquiorum quibus valebat plurimum, abſtergeret amarorem animi, & pia ſuauitate commutaret. Partus eius eſt, patientiæ miraculum, & Chriſtianarum virtutum omnium inſigne exemplar, æui noſtri Didymus, R. P. Cæſar de Bus; cui & in ſtudiis pietatis, & priuatim in Grammaticis minutiis, proſpiciens ad quæ & quanta à Deo vocaretur, Magiſter fuit, vt in viri illius ſanctiſſimi rebus geſtis, videre eſt.

Gratia Pecquetus apud omnes fuit tanta, vt in turbine vehementiſſimo, qui Auenionenſe Societatis Ieſu Collegium propè euertit, ſolus prodire foràs, & Sociis neceſſaria conquirere, innoxius & indemnis potuerit. Hæretici enim clancularij, magno numero intra vrbem degentes, vt præſidium Catholicæ fidei per Patres Societatis adhibitum excluderent, & facilem ſibi viam ad vrbem occupandam, alterámque in Pontificio ſolo Geneuam conſtituendam munirent, (quod pridem moliebantur,) grauem populi inuidiam aduersùs Patres concitarunt, diſſeminato rumore, quod P. Antonius Poſſeuinus Collegij Auenionenſis per id tempus Rector, Romam Procurator Prouinciæ Lugdunenſis à cœtu Patrum de more ablegatus, egiſſet cum Pontifice, vt Tribunal quæſitorum de fide, Auenione ſtatueretur, iiſdem legibus, & accuratione ac ſeueritate, qua Romæ,

Digitized by Google

Romæ, & in Hiſpania. Qua inuidioſiſſima calumnia pulſati patres, & de vita periclitati ſunt, tormentis bellicis ad Collegij euerſionem ex publico armamentorio iam deductis, & odio incenſiſſimo profani vulgi ac optimatum patuere; ita vt niſi autoritas Georgij Cardialis Armeniaci, qui Cardinalis Caroli Borbonij Aueniouenſis legati Collega, vrbem cum ſumma poteſtate moderabatur, grauibus minis, vrbanum Magiſtratum à nefariis conſiliis deterruiſſet, extrema omnia ſubeunda Patribus fuiſſent, ac vt minimùm, omnes vrbe exturbati, aliò migrare adacti eſſent. Per illius ergo procellæ tempus, quod non fuit prorſus exiguum, ſolus P. Pecquetus, qua erat apud omnes veneratione, à nemine vnquam verbo aut facto iniurioſo violatus, prodire domo, & ſociis proſpicere potuit. Diſtentum denique operibus pietatis, & proximi iuuandi aſſidua contentione fatigatum, nouus excepit labor, ſubmiſſis ex Italia à Gregorio 14. copiis, quibus vrbem Aueniouenſem & Venayſſinum Comitatum ei continentem, tutaretur per tempora Galliæ turbulentiſſima. Earum enim copiarum pars longè maxima, ex peſtilente morbo decumbens, Noſocomium ampliſſimum opplebat, quo ex Chriſtiana charitate Collegij Rector Franciſcus Gormius, cum aliis tribus ſociis, quorum vnus erat P. Pecquetus, ad ægrorum miniſterium aduolauit. Ipſe Gormius, hauſta ex pio officio lue, paulo poſt obiit. Cœteri grauiſſimè tentati ſunt, panis peſtilentibus ab ægrorum attactu & cura contractis. P. Pecquetus poſt longam cùm peſtilente febre colluctationem, nihilo melius habens, ad Prioratum Metamienſem in Montanis Cauarum, ablegatus eſt; tentaturus num cœli mutatio commodatura eſſet valetudini. Sed cum pertinax morbus ægrum in dies penitiùs exederet, nec præ vitiatione vrbis Aueniouenſis ex tot ægrorum colluuie, tutus ad Collegium eſſet regreſſus, iuſſus eſt

ad Oppidum propinquum, *Mormoyrono* nomen, ſecedere: vrgente præſertim D. Coleto Oppidi Parocho, qui ex optimi Patris informatione, in Rectorem animarum eo nomine dignum euaſerat. Apud illum anno 1591. Iulij XI. P. Pecquetus placidiſſimè & ſanctiſſimè & efflauit animam, non abſque argumentis compluribus diuinæ erga eum beneficentiæ. Nam & cubiculum in quo exceſſit, quamdiu in eo corpus illius examine hæſit, multa luce eſt colluſtratum, & ſuauiſſima fragrantia ibidem eſt afflata: ac dum tumulo conderetur, crux de cœlo ſuper eum conſpicua fuit.

Hæſit corpus in eo tumulo per annos quatuor ſupra triginta, ab anno nimirum 1591. ad annum vſque 1626. quo de ſacris exuuiis in vicinum Carpentoractenſe Collegium reportandis, moliente Patre Claudio Marthodo qui ſuperſtitis ſanctimoniam perſpexerat, cogitari eſt cœptum. Dúmque (vti aſſolet,) moræ nectuntur, & languidè pium conſilium promouetur; accidit, vt Rectore Collegij P. Claudio Maillardo, anno ſignato 13. Martij ſub horam octauam Sacris operante in ara principe, Scholaſtici intereſſent, è duobus inferioribus Grãmaticæ Ordinibus: è quibus duo pueri intra circumiectos ſacræ aræ clathros, camillorum munus obibant. Super Sacrum ergo miniſterium, ſpecies obiecta eſt hominis è noſtris in ea intercapedine quæ aram maximam à minori guttis reponẽdis erecta, diſtinguit. Ibi inquam ad ſecundum altaris gradum, viſus eſt Pater iunctis manibus nixus in genua, & Chriſtum venerabundus inſpiciens, à prima maioris cerei accenſione, ad peractam Synaxim, & collatam de more à Sacerdote benedictionem in ſacri fine. Caput calantica veſtitum erat; barbæ & capitis capilli ruffi; iámque canitie aſperſi: facies ita micabat, vt vix ſplendorem ferret intuentium acies. Vndecim duntaxat adoleſcentulis conſpicua fuit ea ſpecies; camillis nimirum

rum & aliquot aliis qui ſeptis ligneis inſidebant Sacris intenti. Leo Bouchet Aptenſis qui ex ea parte Sacerdoti miniſtrabat, cum eluendo Sympuuio vinum Sacerdos porrecto calice expoſceret, accedere aliquandiu cunctatus eſt, horrore Sacro perculſus; quo ægrè depulſo, accedens denique ad guſtos, & locum vnde ſpecies extabat, vix Sui compos, vinum ſuper altare, timidæ manus errore profudit. Eadem ſpecies ſequenti luce in iiſdem circumſtantiis eſt obuerſata, ita vt Scholaſtici per vices in eum locum vnde Pater parebat, ſuccederent; eum ſibi mutuo gratulabundi indicantes, nec abſque iucundis multorum lachrymis. Cúmque finito iam Sacro, poſtquàm Sacerdos populo benedixerat, ſpecies Patris euanuiſſet, & iam parantem exſcendere Sacerdotem, mulier de porrigenda diuina Euchariſtia interpellaſſet, denuò ſpecies Patris exhibita eſt, Chriſto accidẽtis, donec Sacra pyxis tabernaculo eſſet illata. Ex ritè perpenſis, & accuratè notatis ſpeciei obiectæ adiunctis omnibus, qui hominem nouerant, liquidò confirmarunt ſpeciem fuiſſe Patris Pecqueti, de cuius proinde exuuiis referendis, actum feriò eſt, reciſis omnibus moris. Relatum ergo eſt corpus; & eo ipſo loco in quo ſpecies eius conſpicua fuerat, conditũ. Res (tametſi conſulto Antiſtite, & exorata maiorum venia,) ſilentio peracta; ne vindicatio Eccleſiaſtica anteoccupari priuata pietate videretur.

Deus non vno Suffragio ſerui ſui memoriam honeſtauit. Inuenta eſt intra capſam qua corpus condebatur, corolla precatoria quam Pater Superſtes piè decurrere ſolebat. Eius vnum granum, admotum matronæ primariæ quæ decem diebus continuis morbo cardiaco grauata fuerat, illicò depulit inualetudinem. Alij aliis diuinis beneficiis, de cœlo cumulati produntur. Sed mihi (quod de S. Malachia à B. Bernardo egregiè ſcriptum eſt,) maximum miraculum quod Pecquetus

fecit,

Digitized by Google

fecit,ipſe fuit. Tametſi concionator non illaudatus, aliquando audiuit,tamen in Confeſſarij munere, potior eſt viſus. Decora Concionatoris Apoſtolici, & Confeſſarij eximij, cumulauit prærogatiua Martyrij charitatis, quam aſſecutum par eſt credere, hominem piæ proximorum ægrorum ſubleuationi immortuum,lenta licet & non properata morte;quod ad auctius, (quippè diuturnius & moleſtius,) martyrium, referre haud parum poteſt. Exhibui perelegantem imaginem operarij Euangelici pictor inelegans. Vnde faxit benignum numen, vt colores Sanctimoniæ & venuſtatem pietatis traham.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Rerum maioris momenti.

ABaſſiie cœnobia populoſiſſima, conficta. 81
Abbates ſupra Epiſcopos. 150
Abbatiſſa de Iouaro, inſtructa Eccleſiaſtica Iuriſdictione. 105
Abbatiſſa Fontebraldenſis quibuſvis aliarum priuilegiis potitur. 105
Abelardus contra Fontebraldenſes. 139. & ſeqq.
Abſtinentia S. Bernardi, quanta. 311
Abuſio præproperè aggredientium docere. 38
Aculeus an Regi apum. 186
Adamus luminatione cœcatus. 456
Non eſt creatus cœcus. 458
Adulteratores verbi Dei, quinam. 40
Ægidius à Præſentatione, cœcus ſapiens. 435
Agrius cur dictus Philiſcus. 183
Alenus Samnites, apibus addictiſſimus. 183
Aleys S. Bernardi mater, ſanctiſſima. 220. addicta S. Ambroſio. 222. piiſſimè mortua, feſta eiuſdem ſancti die. 223
Alleluia, cœnobium confictum. 81
Amedeus Lauſanenſis laudatus. 255
Amma, mulierum Antiſtita. 140
Amor ex oculis. 409
Amoris Doctor, S. Bernardus. 185
Amor quomodò docet Muſicam. 408
Anacletus Pſeudopapa, deſertus ope S. Bernardi. 279

Angeli ſubſunt capiti deſpicatioris naturæ. 105
Anglus Princeps,procus Monialis ob eius oculos. 930
Antiſtita poteſt præcipere in virtute obedientiæ. 104
An poſſit excommunicare. ibid.
Antiſtitarum Fontebraldi, vis directiua & coërcitiua. 104.
Antonia,Magiſtra pietatis. 353
Antonij Toloſani,decora. 437
Antonius Patauinus,mutauit inſtitutum. 101
Antonius Santarellus,cœcus doctus. 439
Apes furro ſubductæ,furi parum vtiles. 287
Apes,quorum criminoſorum ſymbolum. 326.& ſeqq.
Apicula nunquam ſatis laudata. 170
Apis laudatores. 183
Apis ſuper apes, Chriſtus. 185
Apium exortus vnde 193.à fœtore abhorrent. Ibidem.
Et à ſordentibus Venere. 194
Aponus fons, ignem & aquam emittens. 340
Apoſtolici prædicatores,qui à Papa ad hoc adhibiti. 20
Apoſtolici hæretici, ſubacti à S. Bernardo. 236
Apoſtoli quomodò aptati ad prædicandum. 22.& ſeqq.
Apoſtolorum ſcientia in pentecoſte. 24
Approbatio religionum per pontificem, infallibilis. 141
Aqua ferrum emolliens. 357
Arbriſſellus, villa Rhedonenſis. 11
Archibertarij exerratio. 77.141
Aremberga in Robertum benefica. 64
Ariditas animi,quàm moleſtia. 375
Ariſtipus μηπροδέδακτος. 239
Ariſtomachus,apum ſpeculator. 183
Armigeri Sacerdotes. 51
Armorica,ingenioſorum ferax. 10
Arundinetum quid. 43
Aſperitates vltroneæ,cultura terræ noſtræ. 381
Auaritia, labes peculiaris Monialium. 90
Auenionenſe cœnobium conerſarum. 73

Auis

Auis cœli, S. Dyoniſius ex Chryſoſtomo. 320
Aureolæ quid. 160

B

Balena præ ingluuie cœcatur. 474
Baſilij Porphyrogeniti ſæuitia. 415
Beatrix Fontebraldenſis, lapſa. 95
Beda an cœcus. 433
Beliſarij cœcatio & mendicatio, an vera. 413
Belli ſacri copiæ, quantæ. 277
Benedictus 2. retractat ſententiam. 47
Bernardus Maſſilienſis conuerſarum informator. 73
Bernardini Realini factum nobile. 358
Bernardus S. an in vtero ſanctificatus. 210. 211
Bernardi S. prudentia. 246
Facundia eius, ſemel irrita. 65
Bernardi S. rectio quàm perfecta. 265
Bernardus Tironenſis, vir magnus, 16
Alius à Claræuallenſi. ibid.
Bernardi Tironis ardor in ſpuritias Sacerdotum. 50
Berta Philippi Franci coniux, dimiſſa. 38
Beſtiarij, qui. 41
Birgittani inſtituti approbatio. 142
Blaſphemiæ tentatio, quæ. 368
Boanerges, quid. 112
Bonum pro duro ac difficili, 272
Botrus quibus in flore lædatur. 38
Braſilorum cœcorum mira ad baptiſmum progreſſio. 448
Bubulcus Lauſanenſis, ſpanurgus. 449
Buſiæ familiæ claritudo ſecularis. 350

C

CÆſaris de Bus,morbi 386. & ſeqq.
Calami beſtiæ,quinam. 42
Caleati Euchariſtiam , & verbum tractatum , quomodo ſimile. 133
Caluinus in dicendo,qualis. 230
Calumnia grauari ſanctos,perantiquum. 45. 162
Canonici Regulares,cur ſic dicti. 68
Carcer,quanta pœna. 401
Carniś tentatio,quàm moleſta. 370
Carnotenſis Comes,vexat Eccleſiam. 60
Carolus Fernandes,cœcus ſapiens. 433
Caſtitas apum. 191
Caſtitas nitentiſſima S. Bernardi. 313.& ſeqq.
Caſtitatis viuicomburium. 143
Catelli cœci,ſub Iuſtiniano,panurgia. 407
Cera non fit ab ape. 204
Cera ſymbolum nobilitatis. 225
Cera vltima,quid. 276
Cerei homines per voluptatem. 189
Ceroma matris S. Melitonis. 182
Charitatis,mel cum fauo. 284
Chriſtiani,apes. 124
Chriſtiani omnes,Mariæ filij cum Ioanne. 118
Chriſti fortitudo nexa ſapientiæ. 33
Chriſti ſermo,quomodò in poteſtate. 80
Chriſtus,apis ſuper apes. 155
Chriſtus Eccleſiæ oculus. 491
Chriſtus non amandus ob B. Virginem. 231
Circuli ferrei ad corpus macerandum. e3
Circumciſio, quod humilitatis exercitium Chriſto dedd-rit. 107. ex ſe non erat niſi cauterium. ibiq.
Ciſtercienſium decora. 266.& ſeq.

Clarauallis laudata. 248.& ſeqq.
Clariſſæ fortes pro Caſtitate, Ptolemaide. 94
Clauſi, pro cœcis. 401
Clauſura Monialium, qualis iam olim. 77
Non continet templum Parthenonis. ibid.
An primùm Fontebraldi inducta. ibid.
Etiam vrgente incendio, ſeruata Marciniaci. 79
Cœlites, bellatores inſignes. 445
Cœcus quibus actibus excludatur, iure humano. 411
Cœci ſancti. 459.& ſeqq.
Cœci ſapientia illuſtres. 430.& ſeqq.
Cœcitas à peccatis. 469.470
Cœcitas, quantum malum. 389.& ſeqq.
Cœcitatis Encomiaſtæ, ridiculi. 395
Cœlum ac Infernus, ſimul, vbi. 373
Cœnobia, aluearia. 189
Cognatio cum filia ſpirituali, quænam. 52
Colaphizatio Pauli, quæ. 371
Columna nubis, ſimul ignea. 344
Communicatio bonorum ſpiritualium, cuiuſmodi. 159
Conceptio pura B. Virginis, S. Bernardo accepta. 299
Concionatores ſtrepentes vocibus, muti moribus. 39
Conciones in plateis, probatæ. 40
Confirmationis Sacramentum. 449
Conſcientiæ timoratæ mos. 55
Conſtantia vrbs Neuſtriæ, ſpurcis olim ſacerdotibus ſcatens. 50
Conſultor arcanorum Domini, Ioannes. 114
Contrariorum mira conſertio. 339
Conuerſarum vox, non ſonat eductas è meretricio. 71
Conuerſio mulieris ad virum, quæ. 145.146
Corporis maceratio per S. Bernardum adoleſcentem. 313
Corpus humanum, cereæ compactionis. 206
Correptiones quomodò temperandæ. 265
Criminoſi graues, exoculati. 390.& ſeqq.

Digitized by Google

Curſus Ioannis ante Petrum, quid myſticè. 118
Cultus ſpecialis alicuius ſancti,exempla varia. 109

D

DÆdala apis,vnde, 245
Dæmones,latrones Dei. 385
Damaliochus,Roberti Arbruſcellij,pater. 11
Debbora rectrix Iſraëlis. 144
Decalogus animatus,quis. 445
Democritus cur ſe cœcarit. 394
Denunciatio in ſocietate Ieſu vigens, malè improbata. 149
Deſiderius Viennenſis,calumnia grauatus. 47
Deſolationis animi acerbitas. 376
Deuotionis lolia,varia. 289.290.291
Deuotio ſolida,& vera, cuiuſmodi. 289.293
Deuotus S. Bernardus,antonomaſticè dictus. 294
Deus cum ſuis,in tribulatione. 418
Deus, totus oculus. 450
Dibongad,apiarium tentationum. 328
Didymus,cœcus videns. 431
Diffidia per S.Bernardum compoſita. 281
Diuites benefici in Religioſos,quibus collati. 88
Diuinitas à prænotione futurorum. 441
Doctor mellifluus S. Bernardus,cur. 182
Doctores,oculi Eccleſiæ. 427.428
Doctor optimus,quis. 161
Dominatus viri in mulierem,quid ferat. 98
Dominicus Loricatus. 33
Dos Monialium, cuiuſmodi. 89. nulla olim Fontebraldi. ibid.
Dubius in fide,eſt hæreticus. 369
Dulces aquæ in medio mari. 342
Dulcedo Euchariſtiæ. 293

DUX

Digitized by Google

Dux belli, electus S.Bernardus. 278
Dyoniſius quomodò cœcaret exoſos. 393

E

EBba Abbatiſſa, fortis. 94
Ebraldus an ſicarius. 63
Ecce filius tuus, dictum de Chriſto, non de Ioanne. 126
Emmanuel à Valle, cæcus ſapiens. 435
Encomia varia S.Bernardi. 321.& ſeqq.
Epiphanij Ticinenſis, facundia. 273
Epiſcopæ olim, quæ 103
Epiſcopatus varij S.Bernardo delati. 319
Epiſcopi ſub Abbatibus. 150
Epiſcoporum periculum. 357
Epiſcopus illiteratus, præco mutus. 26
Epiſtola ad Gaufridum in Robertum, conficta à Roſcelino 144
Epiſtola de viro perfecto, apud Hieronimum, eſt Maximi. 118
Eruditio in ſcriptura; quid. 23
Euchariſtiæ ſuauitas. 304. mira opera ibid.& ſeqq.
Euerſio paucorum, non eſt probrum cœtus totius. 96
Eugenius 3. quantus Pontifex. 253
Eunuchus, Ioannes Apoſtolus, quomodo. 116

F

FAbiani Iuſtiniani ceſpitationes. 240
Fabula, etiam de vera narratione. 431
Famæ violatio, acerba. 378
Fauſtus Rhegienſis, gente Armoricus. 10
Fauſtus Manichæus S. Ambroſio in dicendo ſuperior. 229
Feræ arundinis, hæretici. 42

Ferrum

Digitized by Google

Ferrum & teſta commiſta humano ſemine,quid. 282
Feſtum Dei Patris,recens excogitatum quale 289. Item feſtum cordis B. Virginis. 291
Fidanza, cognomen S. Bonauenturæ. 240
Figmentum Lugdunenſe,de Moniali Biothanata. 46
Fœminæ,maritorum reuerentes. 98
Fœmineus dominatus in Eccleſia reprobatus,quis. 102
Fœmineus principatus,cuiuſmodi. 145
Fons Grationopolitanus igni admiſtus, 340
Fons veritatis non niſi à vacuefactis potatus. 28
Fontebraldenſes,qua in parte omnes ſuperarint. 80
Fontebraldenſes viris imperantes,quæ. 100
Fontebraldenſis cœnobij Encomiaſtæ. 74
Fontebraldenſis cœnobij initium. 12
Fontebraldenſis inſtituti approbatio, 142
Fortes tres Dauidis 2. Reg. 29. quinam. 8
Fortuna cœca,cur. 471
Franciſca S. è ſtirpe Cæſaris de Bus. 349
Franciſci Mayronij de filiatione Ioannis ſententia. 182
Eranciſci Titelmanni inſignia decora. 126
Fratris per Fratrem, ex exoculatio horrenda. 409
Fruges ſpiritus,ex perpeſſionibus. 419
Fuci exoſi apibus. 196
Fuga Antiſtiti probroſa. 58
Fulienſes laudati. 263
Fumus, oculis animæ noxius. 467
Fundatorum aureola. 160

G

GAldricus S. Bernardi patruus. 274
Gaudij fons, oculus. 409
Gaufridus Carnotenſis,vir inſignis. 60
Gaufridus Vindoc. an autor Epiſtolæ in Robertum. 45. fuit Roberto coniunctiſſimus. 46

Googl

Gerardi Epiſcopi Engoliſmenſis,conſtantia. 56
Geometria apum. 244.245
Godofredus à Perona,laudatus. 256
Gradus cognationum contemptio,quomodo hæreſis. 51
Gregorio Magno impoſitum de S.Deſiderio. 47
Gregorius Naz. tentationem à carne paſſus. 371
Gregorius VII. laceratus à Sacerdotibus Concubinis. 50
Gulielmi Aquitani tetræ notæ 35. iam pœnitentis lorica. ibid.
Trux admodùm. 180
Domitus à S. Bernardo. ibid.& 304
Quantis onuſtus probris. 59.furit in Patres Pictauienſis Concilij. *Ibid.* Pacatur. *Ibid.* relabitur ſed tandem plenè ſanatur.ibid. Alius Gulielmus,æquè nequam. 60

H

HÆreſeos horror in Ioanne Apoſtolo,& ſuis. 112
Henricus Apoſtata, à S. Bernardo contritus. 235
Homo *totus morbus*, Hippocrati. 416
Humilitas Chriſti in circuncisione,in quo ſita. 107
Humilitas,virginitatis collactanea. 316
Quanta in S. Bernardo. 317
Ægriùs ſeruatur in magnis meritis. ibid.
Hyems & æſtas ſimul,vbi. 343

I

IAcobus Furnerij, quantus Pontifex. 259
Ianſeniſtarum detorſiones,quibus ſimiles. 44
Ignis & aquæ mira coniunctio,vbi. 340
Imaginum ius Romanis,quid. 205
Inceſtæ copulationes Sacerdotum,duplices. 52.53
Infirmitas,officina virtutis. 383
Ingluuies,cœcat. 472

Iniquitas viri, quomodò melior benefaciente muliere. 140
Initium dulcoris, quid. 183. initium creaturæ Dei. ibid.
Inſtituti mutatio, an probanda. 121
Inſtitutorum varietas, cur prouiſa. 33
Intentio pura, Chriſto, oculus ſimplex. 422
Ioannes an tranſubſtantiatus per Chriſti affatum. 131. 132
Ioannes Benedictus, quem Ordinem profeſſus. 70
Ioannes Bona, laudatus. 241
Ioannes Euangeliſta, quantus Sanctus. 121. etiam Ethnicis in admiratione. *Ibid.* verè obiit. 123 Patrum de eius præcellentia iudicium. IXI. & ſeqq. qui ei addictiſſimi. 136. reſurrexiſſe probabile. 123
Ioannes Tiſſerand, an primus conuerſarum adunator. 73
Ioannes la Barriere, laudatus. 263
Ioannis Gambaſſij cœci, mira opificia. 446
Ioannis Valens, (alterius à Minorita,) naratio mira. 92
Iob æui noſtri, Cæſar de Bus. 386
Iordanus Saxo quid moneret prædicatores. 27
Ioſephi Galleti, cœci, dotes eximiæ. 435
Irenæus, ſecuris omnium hæreſeon. 113
Iſraëlitæ, quomodò mel de petra biberunt. 190. 191
Iſraël quid ſonet. 471
Iuo Carnotenſis, quantus vir. 67
Iulianus Toletanus, malè notatus. 48
Iuriſdictio ſpiritualis, an cadat in mulierem. 103
Iuſtitia apiculæ. 287
Iuſtiniani Rithnometi ſæuitia. 414

Labor

L

LAbor diuiduus apum,quid Senecæ. 199
Lac Deiparæ quod S. Bernardus ſuxit, quale. 297
Latrones à Roberto conuerſi. 64.65
Laurentij Gambaræ,nobile factum. 358
Laus à generis nobilitate,eſt profanorum. 411
Lauſanenſium pietas hodiéque, in B. Virginem, vnde. 256
Laus indebita,potiùs vituperatio. 76
Lectionis priuatio quàm dura cœco. 412
Leo Papa III.crudeliſſimè habitus. 393
Leo IX. à ſpurcis Sacerdotibus exagitatus. 50
Leproſorum monaſterium,an Fontebraldi. 151
Eorum ſubleuatio,quanti apud patres. *Ibidem.*
Libertas ſanctorum in carpendis ſceleribus. 37
Libido,gulæ collactanea. 313
Libri commendabiles,qui. 228
Libri conditoria animorum. 413
Libri iuueniles aboliti. 358
Linguas deſpicere,arduum. 361
Locus videntium,Eccleſia. 368
Locutio per ſigna,malè ab Eraſmo deriſa. 84
Loquacitas fœminea. 81
Loricati ex vanitate. 14
Non item alij verè pij, celantes eam ſui vexationem. ibid.
Lucis notiones variæ. 347
Lucernæ,oculi forma. 451
Lucidum corpus,pro læto. 410
Ludouici Belli, decora. 439
Ludouici Vretæ,fabulamenta Æthiopica. 81
Ludouicus Guiotius,pietatis Magiſter. 353
Lumen cœli, pro Sole. 410

Luna, cur dicta *patricia.* 215
Lutetia, *Cariatſepher.* 26
Lutherus in dicendo, qualis. 230
Luxuria appendix ſaginæ. 91

M

MAgnæ mentes, ex profano ſenſu, quæ. 225
Marciniacenſe cœnobium, quomodò conuerſarum. 74
Quàm arcta ibi concluſio. 77
Margarita, ſymbolum Incarnationis. 341
Mariæ alumnus ſpecialiſſimus, S. Bernardus. 297
Maria Deiparæ ſacra omnia Fontebraldenſia cœnobia. Et omnia templa Ciſtercienſium ex inſtituto S. Bernardi. *Ibid.*
Maria inſpulſis deuotionibus culta. 289. & ſeqq.
Maria, Ioannis mater, quomodò. 127
Maria, quomodò Ioanni in ſua. 135
Marius de Curte, cœcus ſapiens. 435
Martini S. Vaticinium de Fontebraldo. 69
Martyres in Eccleſiæ pace, qui. 417
Martyrium quotuplex. 163
Martyrium S. Bernardi. 309
Maſculinè prolata, de vtroque ſexu. 166
Mauri Marcheſij, decora. 440
Mauront us ape caput circumuolante, præſignatus Monachus. 125
Mel ab altari olim ablegatum. 177. cur. ibid. & 178. non item in noua lege. 181
Mel incorrupta præſtans corpora. 315
Melchioris Cani error circa approbationem Religionum. 141
Mella varia quibus abſtinendum. 325
Mel multiplex, phyſicè & moraliter. 272. & ſeqq.

Mel

Mel non conficitur ab ape. 204
Meretricis Edeſſenæ ſolers dictum. 98
Merindolenſes hæretici, Valdenſium reliquiæ. 350
Meritorum participatio in ordinibus, quid. 160
Metanoea, domus Conuerſarum. 73
Meteoriſmus à Chriſto improbatus, quis. 108
Militabant olim ſoli nobiles. 208
Militia & malitia, nexæ. 351
Militis vox, quid olim ſonaret. 154
Minæ, ad Epiſcopatum ſufficientes. 58
Miracula potiora, quæ. 158
Miracula ſpiritualia, potiora. 66
Monachi ſub paludamento. 32
Monachus Philippo, quaſi *monoculus*. 426
Monaſterium triplex, Fontebraldi. 72
Moniales in veteri Teſtamento. 139
Monialium Antiſtitæ, abſurdè reiectæ ab Abelardo. 139
Monialium cura quàm oneroſa. 152
Monialium Orientalium, decora. 75
Morbi ſingulares variarum ſanctorum. 416
Mortui in die paraſceues. 164
Motiuum genuinum obedientiæ. 106
Mulcedo eloquij quàm potens. 66
Muliebris ſexus reparatio. 355
Mulieres ſe ferro macerantes. 33
Mulieres factæ regnis in ſalutem. 356
Mulieris depreſſio, memoria ſui ſexus. 109
Mulieris ſunt, colus & fuſum, non res Eccleſiæ. 102
Mulier ſub viri poteſtate. 98
Muſcæ ad morboſa accurrentes, qui myſticè. 326
Multa hac, exoculant. 464. 465

N

NEro multos primarios,fecit Beſtiarios. 41
Nicaſius à Voërda,cœcus ſapiens. 434
Nicephoni error de concionibus Roma ablegatis. 21
Nicolai Boneti,quæ ſententia de filiatione Ioannis. 132
Nilus,aqua & ſanguis ſimul,iuxta Theodotum. 343
Nobilitas S.Bernardi ſecundùm carnem,eximia. 325
Nobilitatis ſymbolum,cera 205.datur à cenſu. 206
Fluxa eſt & caduca. 215
Nomen *Ioannis*,ſonat *cui donatum eſt*. 113
Nominalium caput,Roſcelinus. 43
Nomina ſanctorum,quàm pretioſa. 66
Nonna mater Nazianzeni,quàm ſancta. 221
Nonna quid. 140
Noui homines,qui dicti. 205
Nouitas inſtituti,non ſemper improbanda. 147.148
Nox ſicut dies illuminata,quid. 348
Numerus Fontebraldenſium quàm copioſus. 82

O

OBedientia apum. 195.196.197.198
Obedientiæ motiuum parere ſicut Domino. 106
Obedientia per omnes rerum ordines. 377
Obedientia religioſa,quanti eſſe debeat. 97
Oblocutiones de S.Bernardo. 310
Oculi,malorum feneſtræ. 397
Oculi pretioſitas. 406
Oculi,rectores Eccleſiæ. 451.452
Oculi ſtructura mirabilis. 402.403
Oculorum exemptio ad tutelam caſtitatis. 23
Oculorum vſus ad quanta. 399
Oculus in vniuerſa terra,apud zachariam,quid. 408

Ocu

Oculus pro quavis re præcipua. 454
Oculus ſimplex, pura intentio. 422
Odæ virginis facinus. 94
Officiperdæ qui, Bleſenſi. 26
Ogerius autor ſermonum de cœna apud Bernardum. 340
Opes, alienum quid. 213. fluunt. 215. collatæ ſcorto. 216
Opus bonum, vt bona febris. 257
Opus perfectum, Iacobo, martyrium. 417. & 162
Ordiendum ab arduo facto. 363
Ordines cur dicti, cœtus Religioſi. 97
Ordines ex D. Bernardi inſtitutione. 261
Orguendis, mater Roberti de Arbruſcello. 11
Orientales Moniales, quàm ſanctæ. 75
Oſſa corporis Eccleſiæ. 23
Ignis de excelſo in ea miſſus, in Pentecoſte. *Ibid.*
Oxyrinchi cœnobia populoſiſſima. 83

P

Πάρθενος Græcè, ignis extinctus. 91
Papa cur dictus *Apoſtolicus.* 20
Eſt flumen ſacræ doctrinæ. *ibid.* eſt primus prædicator. *ibid.*
Pariſienſis Academiæ decora. 25
Pater ſibi quiſque, & mater quoad animam. 214
Patricia luna, cur. 015
pauli pugna ad beſtias, qualis. 41
pauli ſermones terram euerterunt. 31
paulus tentatione carnis pulſatus. 370
paupertas Euangelica, an virtus ſpecialis. 87
Eius laudatio *Ibid.* 88
Quàm probata Roberto. 88
paupertas Religioſa in apibus adumbrata. 190
pax pro felicitate. 410

Pecca

Peccator bruteſcit. 41
pedum Truncatio à cœcitate. 401
Pentecoſte,tempus ditatorum Apoſtolorum. 24
Perſuadendi vis in S.Bernardo,quanta. 274
Petaurum ſpirituale, Ioannes. 114
Petri Damiani,locus mollitus. 232
Petri Vermilij ſpurciloquium. 96
Petronilla de Camilliaco,laica & vidua. 108
fuit prima Abbatiſſa Fontebraldenſis. *Ibid.*
petrus Abelardus,à S.Bernardo contritus. 233
petrus Abelardus gente Armoricus. 10
petrus à S.Ioſeph,laudatus. 242
petrus de Stellis eremita, belli ſacri tubicen. 14
petrus Epiſcopus pictauienſis,vir inſignis. 56
petrus pecquetus,curator animarum inſignis 357. & 491. ac ſeqq.
petrus pictauienſis,Fontebraldenſium vexator. 138
philippi Franci libidines 57.ſæpè damnatus. 58
philiſcus Thaſius,apum ſtudioſus. 183
pietas ſpecialis erga vnum ſanctum,vacat labe. 109
platonis Abbatis,ſancta libertas. 37
plutarchus,totius ſapientiæ venus ac lyra. 238
plutus cur dictus cœcus. 471
poloni Reges à ſanctis Epiſcopis correcti. 37
pontifex approbans Religionem infallibilis. 141
pontifices Romani,concionati. 21
pontij Ceuæ,decora. 439
porphyrius exprobrauit mulierum in Eccleſia dominatum. 102
poteſtatiuus prædicator,quis. 29
potens ſermone quis. *ibid.* & 30
præſagia ex apibus. 273
prædicationes Ioannis Euang.quàm multis locis & quamdiu. 122
præsbyteræ olim,quæ. 103

procu

Digitized by Google

Procurator aliquando pro Fundatore. 70
Prophetæ *videntes*, dicti. 441
Proſperorum origo ex aduerſis. 421
Prudentiæ vox polyſima. 443
Prudentia apum. 244
Prudentia iuſtorum, quæ. 456
Prudentia S. Bernardi. 286
Pſeudodialectica Roſcelini. 45
Pudor noxius depellendus. 362
Pugillares vnde. 226
Pulchritudo corporea, quàm fluxa. 218
Pythagoræorum, ſtragula quotidie colligata. 463

Q

QVadraginta Martyres, in cordolium Satanæ. 420
Quercetani de S. Bernardo ſuſpicio, improbata. 234
Querela de S. Bernardi genere, minùs perſpecto. 325
Querelæ de prælata homini ape. 246
Quindecies viginti cœci Pariſienſes. 445
Quindecim millia cœcati, monoculis ducibus per centurias. 415

R

RAdulfus de Fuſteia, quis, & quantus. 14
Ranguarda, Petri Cluniacenſis, mater. 78
Rectores in temporalia præcipuè intenti, imprudentes. 266
Reges ſub S. Bernardo duce, ad bellum dantes nomina. 778
Regula pro vtroque ſexu eadem, quomodò. 141
Religionis nomen vnde ductum. 288
Religioſi apes. 186. 187. 188. à quibus id tractatum. 200

Religioſi cum beatis ſpiritibus compoſiti. 199
Reſurrectionis ſpecimen, Dies poſt noctem. 400
Rex apum an aculeatus. 186. & 265.
Regina apis. 196
Robertus Arbruſcellenſis, gente Amoricus. 10
Eius pater & mater. 11
Variè inflexum eius cognomen. *Ibidem.*
Nequaquam Pariſienſis. 12
Sapiens ſimul ac fortis. 12.13
Pauli pare lion. 32
Item Baptiſtæ. 36
Tres eius ſocij, quales. 14
Præcipuè curauit alterum ſexum. 15
Quantus Concionator 20. verè Apoſtolicus. 22
Theologiæ profeſſor, & Doctor Pariſienſis. 10
Zeſus eius in Hæreticos 18. In Sacerdotes ſpurcos. 19. In inceſtuoſos 20. In Simoniacos 21. an ipſe aliquando Simoniacus. 55
Impudicitiæ peruersè notatus. 48
Eius gloria eſſentialis, quanta. 159. aureola. 160
An martyr. 163.164
Cor eius miraculis clarum, vbi aſſeruetur. 154
Roberti Franci inceſtuoſi, pœna. 52
Robertus Mancop, cæcus ſapiens. 434
Romanus Pontifex abſque cognatis. 259
Roſa, oculus florum. 454
Roſcelinus Tritheita. 43
Negabat partes actu. 45
Impoſturæ eius in Robertum & S. Anſelmum. 44

S

SAcerdotes ſputci, quomodò hæretici. 49
Eorum intemperiæ in Gregorium VII. 50
Salutationes matutinæ Deorum. 292

Sal terræ, igneum & aqueum. 340
Sancti cœci. 459
Sancti ex Claraualle educti. 153.257
Sanctorum in ſeipſos ſæuitia. 380
Sanitas noſtra, vaporea. 218
Sapientia quorundam cœcorum. 430
Satanæ in ſanctos efferatio. 384
Scenici ſpirituales. 292
Schiſma Petri Leonis. 279
Scipio vnde denominatus. 444
Scripta S. Bernardi, qualia. 227. & ſeqq.
Scriptores apes. 201.202.203
Scriptores variè commendati aut improbati. 228.229
Schynx, ſapientiæ & fortitudinis ſymbolum. 13
Senſus vnius compenſatio, ex alterins defectu. 443
Senum & annoſorum liberi, ferè ſancti. 11
Sermones abſque operibus, inutiles. 27
Seruitus primùm in muliere. 199
Seruus Euangelicus, fidelis & prudens. 32
Signa Monaſtica, quæ. 84
Significatio loco nominis. 9
Silentium Religioſis quàm fructuoſum. 84.85
Silentium ſtupendum Fontebraldenſium. 81
Simoniaci quomodò Hæretici. 53
Sinenſis cœcus, mirabilis. 461
Socij boni, argumentum ſanctitatis. 18
Species corporea S. Bernardi adoleſcentis, eximia. 209
Spes, ſanguis fidei. 285
Spiritualis iuriſdictio in muliere, qualis. 103
Spiritus ſanctus, oleum lætitiæ. 24
Stampenſe Concilium. 279
Subtilitas quorundam ſimoniacorum. 54
Sueno Rex Daniæ, contemptor graduum cognationis. 53
Sugerij pro Fontebraldenſibus apologia. 138

Superbia nolentium ſe retractare comperto errore. 48
Suppoſita S. Bernardo ſcripta. 239
Syluestri Redonenſis prudentia. 26

T

Tabulæ ceratæ. 227
Templarij initio optimi. 261
Tenebræ & lumen, conſerta, vbi. 345
Tentati à carne Sancti pleriſque. 371. 272
Tentationes circa fidem, moleſtiſſimæ. 368
Terræ ſanctæ deſolatio. 276
Teſſelinus S. Bernardi pater, apprimè pius. 219
Theodidacti varij. 136. 437
Theodoræ ſanctæ, ſimplicitati à læna impoſitum. 346
Theologicarum virtutum decora. 283
Theotimus præ libidine cœcus. 472
Thomæ Mori erga patrem ſuum reuerentia. 272
Tiberij oculi, noctu radiantes. 346
Tironum, locus Abbatiæ, non Tyrocinum. 16
Tranſitus ad aliud inſtitutum, an prdbandus. 101
Trecenti cœci Pariſienſes. 445
Triduana, virgo Scota, cur oculos ſibi eruit. 23
Tyrocinium virtutis, in Cæſare de Bus. 352

V

Vaccæ populorum, quæ. 42
Valetudo S. Bernardi tenuiſſima, quorſum. 307
Vallis abſynthialis, quæ poſtea Claraualllis. 69
Varietas inſtitutorum, cur prouiſa. 149
Velum muliebre, cur dictum *poteſtas*. 99
Veritatis fons, ſolis vacuefactis patens. 28
Vermiculus tenerimus, ſapientiæ ſymbolum. 2
Veſtius vir ſacerdotalis, ſub paludamento. 220

Viciſſi

Digitized by Google

Viciſſitudines in ſorte ſanctorum. 365.366
Victorinus depudiuit vanitati. 362
Viduæ Iſapoſtolæ. 354
Virginum ingenia,ad tuitionem pudoris. 93
Virgo, ſæpè,pro Moniali. 72
Virgo,tota vita,S.Bernardus. 315
Virtutes morales,apiarium. 285
Virtutes religioſæ,mel. 287
Viſus internus in cœco quis. 428.429
Viſus perfectior auditu. 405
Vitæ ſanctorum deſcriptio,vnde auſpicanda. 349
Vitalis Moritonienſis,quantus vir. 17
Non fuit Roberti frater,niſi in Chriſto. ibid.
Viui Martyres,qui. 417
Vlyſſis Aldrouandi, decora. 440
Voluptas facit hominem cereum. 179
Voluptates pauperum,liquidiores. 190
Votum Antonini de non ſera morte,quorſum. 218
Votum pro pace. 281
Vrbanus II. Robertum iubet prædicare. 20
Eius variæ conciones. *Ibid.*
Quantus per eas concurſus ad bellum ſacrum. 22
Laudat Robertum. *Ibid.*
Vrim & Thummin,quid. 23
Vrſi Podolienſes,foueis,melleis mutati. 281
Vulnera Chriſti, pabulum deuotionis. 299

X

XEnophon,apis Attica. 183

Z

Zelus Roberti in ſacerdotes concubinos. 51
Ziſca, bellator cœcus. 445
Zeugmatius Concionator cœcus. 737

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Menda ſic emenda.

2. R*Eg.* 29. 1. lege 2. *Reg.* 23. *Robertus pag.* 18. l. *VI. Imo potius pag.* 22. l. *IX. Hæſit pag.* 26. l. *haſit. Deglubend.* X. pag. 26. l. *deglubenda Alterant* X pag. 27. l. *Alteram. Hæſit* 16. pag. 38. l. *haſit. Brutorem* 17. pag. 41. l. *brutorum. Roberti* 18. pag. 47. l. *Roberti. Obleſiues* R. 25 *pag.* 63. l. *oblaſiones Meretrici* R. 30. pag. 71. l. *Meretrici Monaſtrium* pag. 72. l. *Monaſterium Plurimaius pag.* 82. l. *Plurimatus Cœnobrij* pag. 83. l. *Cœnobij. πρόβατοι* pag. 91. l. *πῦρ ἑαυτῶν Patrici* 99. l. *Patricij Hærenti* R. 42. pag. 108. l. *harenti* Diplychis R. 44. pag. 125. l. *Diptychis.* Abbathæ 23. l. *Abbatia* Mulieris ad virum ſubiectionem 145. *virorum ad mulierem ſubiectionem.* 158. Allorcutione l. allocutione. 173. quem l. *quàm.* 174. elogiolum l. elogiolum. 174. alueis l. aluearijs. 175. perfeſſiones l. perpeſſiones. 176. antediſtorum l. antedictorum. 206. Nyſſerio l. Nyſſeni 213. voce l. vocem. 217. Lapis l. Lais 220. Aleth. l. Aleys 224. nihil. l. nihili 234 Reodderunt L. Refoderunt. 241. principua l. *Principum* 242. piemolcarum l Polemicarum. 422. Macertum l. Mamertum 440. *ἀναλφάκ*ος l. *ἀναλφάβητ*ος 444. Baouarus l. Bauarus 460. Razeuſiol. Razeus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google